Fr. Library

WITHDRAWN

THEOLOGIA MORALIS

THEOLOGIA MORALIS

AD MENTEM

S. ALPHONSI M. DE LIGORIO EPISC. ET DOCT.

ET EX EJUS OPERIBUS

POTISSIMUM DEPROMPTA

CURA ET STUDIO

JOANNIS MORINO

CONGREGATIONIS MISSIONIS S. TH. DOCT. COLL.

Editio VIII emendata
juxta canones Codicis iuris canonici

VOLUMEN II.



240
M859t
v.2

NEAPOLI

EX TYPIS PONTIFICIIS A. ET SALV. FESTA

S. Blasii Bibliopolarum 39-40

1918

Jura quae a lege sunt Auctor sibi reservat.

DE PRÆCEPTIS PARTICULARIBUS

In praeceptis Decalogi et Ecclesiae de obligationibus disseruimus quae omnes christianos in communi spectant; nunc superest ut de praeceptis particularibus, seu de aliquibus peculiaribus obligationibus agamus, quae quibusdam hominibus ratione proprii status vel officii speciatim incumbunt.

PROŒMIUM

1. — *Q.* Quotuplex status in vita christiana?

R. Duplex distinguitur status in vita christiana, nempe status *vitae communis*, in quo homines per viam seu observantiam mandatorum Dei ad consequendam vitam aeternam tendere debent; et status *perfectionis*, in quo additur observantia consiliorum. Christus ipse vitam et statum christianorum in duos ordines distribuit, unum profitentium vitam communem mandatorum, cum adolescenti de via ad vitam aeternam inquirenti respondit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata;* alterum profitentium vitam altiorem et perfectam, cum eidem juveni subjunxit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et veni sequere me* [1].

2. — *Q.* Quid est status perfectionis, et quomodo divitur?

R. Status perfectionis est quaedam *vitae professio*, seu *quidam vivendi modus stabilis ad perfectionem vitae christianae obtinendam vel exercendam institutus.* Cum autem regula vitae christianae praeceptis et consiliis constet, patet quod ejus perfectio duplex est: una *essentialis*, posita in observantia mandatorum; altera *accidentalis*, posita in observantia consiliorum. Prima sistit in caritate appretiativa seu essentiali; secunda in perfectione ipsius caritatis, nempe in peculiari quadam super-

[1] Matth., XXI, 17 21.

abundantia caritatis quae communem christianorum caritatem superat. Haec autem perfectio caritatis sita non est in aliquo transitorio caritatis actu quamvis intensissimo, sed in tali habituali caritate ut homo proxime praeparetur et disponatur ad agendum facile et consueto quodam modo juxta Dei praecepta et consilia [1].

Status igitur perfectionis, quatenus est status specialis vitae, *in suo esse per opera consiliorum constituitur*, unde ejus essentia potius in observantia consiliorum quam praeceptorum ponitur [2], et dividitur in statum perfectionis *acquisitae* seu *exercendae*, qui est proprius quidem Episcoporum, imperfecte autem Sacerdotum et Clericorum omnium; unde dicitur status perfectorum; et statum perfectionis *aquirendae*, qui est veluti schola in qua docetur modus perfectionem acquirendi, qui propterea dicitur status proficientium, seu tendentium ad perfectionem, qualis est status religiosus [3].

[1] S. Th 2ª 2ae, q. 184, a. 2, 3, 6.

[2] *Suarez*, De Relig. L. I, c. 11 a 12.

[3] Status perfectionis acquirendae alius incompletus seu inchoatus est, alius completus. Ad priorem non requiruntur tria praecipua consilia evangelica paupertatis, castitatis, et obedientiae, sed sufficit aliquod consilium sive sit unum ex illis tribus praecipuis, sive sit aliud, consilia enim numero quamplurima sunt. Ad posteriorem vero requiruntur et sufficiunt tria consilia evangelica paupertatis, castitatis et obedientiae ex obligatione observanda, quae consequenter voto firmari debent. Status autem religiosus status est completus perfectionis acquirendae S. Th. 2ª 2ae, q. 184, a. 4; q. 186, a. 6, 7.

DE STATU RELIGIOSORUM

Tractatus hic tribus capitibus constat: 1. *de natura status religiosi, de ingressu in religionem, de novitiatu, et de professione religiosa; 2. de obligatione servandi regulas et vota; 3. de privilegiis statui religioso adnexis. — Accedit Appendix de Clausura, et altera Appendix super Decreto* Quemadmodum.

CAPUT I.

De natura status religiosi, et de erectione et suppressione religionis, provinciae, domus.

ART. I.

De natura status religiosi.

3. — *Q.* Quid est status religiosus?

R. Status religiosus *est stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt*, qui ab omnibus in honore habendus est. **Can. 487.**

Ad statum igitur religiosum sensu *latiori* requiritur 1° ut fidelis vivat in stabili et communi vivendi modo, a legitima ecclesiastica auctoritate approbato, nam ille tantum ab Ecclesia habetur uti religiosus qui ducit vitam in communitate, sub uno capite et sub certa regula, quae ad consequendam perfectionem idonee conducat. Hinc ut religiosus non habetur qui, emisso voto paupertatis et castitatis, obedientiam vovet confessario aut Episcopo, quia vi hujus voti superioribus non subjicitur.—2° Ut fidelis obligationem assumat servandi tria vota obedientiae, castitatis et paupertatis; cum enim status religiosus sit exercitium tendendi ad perfectionem, et sacrificium Deo pergratum quo quis totaliter se et sua Deo offert, per illa vota non solum removentur primaria perfectionis impedimenta, sed holocaustum Deo gratissimum offertur, nam religiosus per votum *obedientiae* suam voluntatem Deo offert; per votum *castitatis* suum corpus, et per votum *paupertatis* sua bona.

Sensu autem strictiori et canonico ad statum *regularem*, requiritur insuper solemnitas votorum; non quidem *per se*, sed ex jure canonico; ita ut secluso privilegio, illi soli qui vota solemnia emittunt stricte appellentur *Re-*

gulares [1]. — Unde S. Cong. Ep. et Regul. (16 sept. 1864) declaravit: *Qualitate vere regulari non gaudere Congregationem cum votis simplicibus, nisi privilegio hoc concedatur* [2]. Quare Congregationibus religiosis per se non competunt privilegia votis solemnibus concessa [3].

Moniales autem, ut earum vota hodie solemnia dici possint, clausuram papalem observare debent. Imo necesse est ut ab origine tali clausura fuerint obstrictae; nam si illam a S. Sede impetraverint postea, vota remanent uti fuerant ab initio [4].

Sola Sedes Apostolica approbare potest Instituta religiosa sensu strictiori, seu Regulares; Episcopi vero approbare possunt Instituta religiosa sensu latiori seu non Re-

[1] Ex quibus votis solemnibus si unum desit, Institutum Regulare non intelligitur. Item si vel unum votum simplex fuerit, uti votum paupertatis, quod Sanctimoniales quaedam, praesertim in Galliis, emittunt, et rerum suarum neque dominio, neque disponendi jure se abdicant. *D'Annibale*, I, 102 (3).

[2] Sodales Societatis Jesu, quamvis, tyrocinio expleto, vota tantum simplicia emittant, nihilominus ex privilegio sunt veri religiosi, adeo ut talia vota, non secus ac professio solemnis, matrimonii validitati obstent. Idem dicendum videtur de aliis Religiosis qui, juxta Decretum Pii IX, 19 mart. 1857, absoluto novitiatu, per triennium cum solis votis simplicibus remanent ea lege ut (sicut praedicti Societatis Jesu sodales) ipsi quidem perpetuo religioni mancipentur, sed religio eos rejicere possit, quo in casu illi a votis liberi evaderent. *Berardi*, Praxis, 671; *Bal'erini ad Gury*, II, 138 (*a*).

[3] Ordines religiosi *stricte dicti*, in quibus emittuntur *vota solemnia*, reducuntur ad supremus has species:

1° Ordines *Monachales*, qui, vi proprii instituti, non ordinantur ad ministeria clericorum, sec profitentur in primis vitam contemplativam ac solitariam.— Hujusmodi sunt: Basiliani, Cassinenses, Camaldulenses, Valumbrosiani, Cistercienses, Trapistae, Olivetani, Sylvestrini, Hieronymitae, Cartusiani, Antoniani etc.

2° Ordines *Clericales*, qui ex proprio instituto detinentur in ministeriis spiritualibus, ad quae ordinatione ecclesiastica deputantur. Tales sunt: Canonici regulares v. *g.* Basilicae Lateranensis, et Clerici regulares v. *g.* Theatini, Barnabitae. Somaschi, Jesuitae, Clerici minores, Ministri infirmorum, Clerici Matris Dei et Piarum scholarum.

3° Ordines *Mendicantes*, sub quo nomine comprehenduntur ii quibus, ex regula vel constitutionibus a Sede Apostolica approbatis, interdictum est reditus et possessiones in communi habere, quamvis illa habeant ex Pontificis dispensatione, sicut hodie, ex Trid., sess. 25, *de Regul.* cap. 3, dispensatur cum omnibus mendicantibus, praeter Minores de Observantia et Capuccinos.—Quare, ad Ordines Mendicantium pertinent: a) quatuor antiquiores ordines: S. Dominici, Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum, de quibus fit mentio in *cap. unic.* § *Sane de Relig. domibus in* 6°; — b) Ordines Servorum Mariae, Minimorum S. Francisci a Paula, S. Hieronymi (ut declaravit S. Pius V in Constit. 35ª *Romanus Pontifex*); — c) Societas Jesu, ex Bulla *Dum indefessae*.

4° Ordines *Militares*, ut milites S. Joannis et Teutonici, qui ordinantur ad militandum pro defensione Ecclesiae adversus infideles, aliosque ejusdem hostes.

5° Ordines *Hospitalarii*, v. g. S. Joannis de Deo, qui ex scopo instituti ordinantur ad exercitium hospitalitatis, quoad receptionem peregrinorum, curationem infirmorum, etc. (*Marc.* II, 2136).

[4] *D'Annibale*, I, 102 (3). — Moniales in Gallia, stante praesenti rerum statu, non dicuntur Religiosae stricto sensu, ut ex variis S. Poenitentiariae responsis colligi potest. Attamen Moniales in Sabaudia degentes professionem solemnem adhuc emittunt, licet haec provincia Galliae adnexa fuerit anno 1861, quia res religiosae vices ordinationis civilis non subeunt, quod declaratione Pii IX confirmatum fuit. *Gury*, Casus Consc. II, 97.

gulares.—Ex hodierna autem *praxi* Sedes Apostolica nova Instituta religiosa non approbat uti Ordines proprie dictos cum professione votorum solemnium, sed solum ut Congregationes religiosas cum votis simplicibus.

4. — *Q.* In quonam consistit distinctio votorum solemnium a votis simplicibus?

R. Licet omnes Theologi et Canonistae vota solemnia a votis simplicibus distinguant, non conveniunt tamen in quo haec distinctio consistat.

Opinio communior et probabilior tenet quod haec distinctio non consistit in apparatu vel caeremoniis, aut aliquo ritu benedictionis seu consecrationis, sed in *Ecclesiae acceptatione*, quae votum ut solemne acceptat, et in *effectu moràli* quem producit votum solemne, quique non tribuitur voto simplici [1].

Effectus ille moralis, qui non a sola voluntate voventis pendet, sed etiam *a voluntate Ecclesiae* votum acceptantis Dei nomine, duplex est: unus in eo est ut religiosus se in perpetuum tradat et obliget religioni, quae vicissim erga eum obligetur, adeo ut vinculum sit *ex utraque parte indissolubile*; alter in eo est ut religiosus *omnino inhabilis* reddatur ad *valide* efficiendos *actus votis repugnantes* [2].

5. — *Q.* Votorum acceptatio ex parte Ecclesiae quonam jure necessaria est ad statum religiosum constituendum?

R.—**1.** Certum est ipsam necessariam esse *ex jure ecclesiastico*; ita statutum est ab Innoc. III, et per eam status religiosus uti *status* in Ecclesia completur, unde ex tali acceptatione Summ. Pontifex constituitur ut supremus Praelatus quorumlibet religiosorum, atque jus et potestatem dominativam in ipsos acquirit.

2. An vero haec acceptatio necessaria sit *jure divino-naturali*, seu attenta propria natura status religiosi, disput. Th.—Sententia affirmativa, doctrinae S. Thomae conformior, est probabilior. Et sane: status religiosus includit veram *traditionem* seu *donationem*, per quam homo penitus Deo se mancipat, abdicando nimirum jus illud naturale, quod quisque, servatis praeceptis, habet de se suisque rebus pro arbitrio disponendi. Et licet praedicta traditio ipsam votorum emissionem comitari soleat, est tamen aliquid a votis diversum, quod eis superadditur; nam votum ex sua natura non est nisi promissio, vi cujus non ipsius rei dominium, sed jus solummodo ad eam habendam confertur: traditio autem, quae legitime ab aliquo acceptatur, est vera et perfecta donatio, quae efficit ut res seu persona oblata irrevocabiliter sub acceptantis dominium trans-

[1] In votis solemnibus duo distinguenda sunt: Solemnitas votorum seu professionis religiosae, quae importat impedimentum dirimens matrimonii, et substantia votorum seu professionis. Solemnitas est juris mere ecclesiastici; substantia juris divini, *Ballerini*, I. Tr. 3, n. 293.

[2] *Suarez*, de Relig. L. 2, c. 5. — Votum solemne illud est « quod ab Ecclesia ut tale acceptatur, et voventem inhabilem reddit in perpetuum et immutabiliter (spectata lege ordinaria, et seclusa dispensatione pontificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominium rerum acquirendum, vel retinendum ». S. Poenit. 1820, Cf. *Suarez*, de Relig. L. 2, c. 5, et *Lehmkuhl*, I, 498.

ferratur [1]. Porro donatio exigit ut acceptata sit ab eo cui fit, seu in casu nostro a Deo, mediante homine vicem Dei gerente, nempe Ecclesia; ergo acceptatio Ecclesiae necessaria est jure divino-naturali ad statum religiosum constituendum [2].

6. — *Q.* Status religionis, est ne institutionis divinae an humanae?

R. Disput. Th., et tres adsunt sententiae [3]. — *Prima* tenet esse institutionis divinae, seu ipsius Christi, ideoque de necessitate essentiae ad Ecclesiam pertinere. — *Secunda* e contra asserit esse institutionis humanae, eo sensu quod Ecclesia sine Ordinibus regularibus existere possit.—*Tertia* vero distinguit, et dicit statum religiosum repetendum esse immediate a Christo *quoad substantiam*, ab Ecclesia vero *quoad formam*, seu quoad particularem et determinatum modum vivendi. Et haec sententia probabilior videtur; quia cum status religiosus quoad substantiam nihil aliud sit quam ille vivendi modus quo homines Deo specialiter se offerunt, profecto sequitur ipsum repetendum esse a jure divino, non quidem praeceptivo, sed consulente. Quatenus vero talis status accipitur veluti peculiare quoddam ac stabile institutum, profecto a jure ecclesiastico promanare dicendus est.

Quare status religiosus est quoad substantiam ita Ecclesiae connaturalis et necessarius ut ad ejus integritatem pertinere dicendus sit [4]. Et re quidem vera jam ab Ecclesiae primordiis fuere qui vitam ac evangelica consilia accuratius exagerent, et corpore in servitutem redacto, mente a rebus terrenis libera, in sancta Dei contemplatione quiescerent, ab ipsa severioris vitae exercitatione *Ascetae* dicti [5] a graeca voce ἀσκέω quae exercitationem indicat.

7. — *Q.* In Codice iuris canonici quo nomine veniunt diversi status religiosi?

R. In Codice iuris canonici diversi status religiosi veniunt nomine: —1° *Religionis* societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel

[1] *Marc*, n. 2129.

[2] Hinc vota quae fiunt soli Deo, et *a nemine acceptantur*, non inducunt essentiam status religiosi. Atque hinc fuit cur Papa Alexander VII in Const. *Ex commissa*, 22 sett. 1655, edita in favorem Congregationis Missionis seu Lazaristarum (etsi ipsa tria vota emittere intenderet una cum quarto voto perseverantiae toto vitae tempore in eadem Congregatione) haec notatu dignissima statuerit, videlicet: « Ut, in eorum votorum emissione, nemo intersit, qui ea acceptet nomine Congregationis, sive Nostro et pro tempore existente Rom. Pontificis nomine... Utque dicta Congregatio non censeatur propterea in numero Ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri saecularis». Quod nisi Pontifex hanc clausulam adjecisset, Lazaristarum Congregatio non esset saecularis, sed proprie religiosa, habens nempe status religiosi essentiam, sensu latiori sumptam, et veritatem. *Marc*, n. 2130.

[3] *Suarez*, de Relig. L. 3, c. 3.

[4] *Marc*, n. 2132.—Hinc apparet quantum a vero aberrant illi politici, et aliqui incauti catholici, qui temere et imprudenter asserunt ordines religiosos uti veteres institutiones non esse amplius temporibus nostris accomodatos, ideoque abrogandos esse. At perperam; nam Consilia evangelica a Christo Domino ad perfectionem assequendam tradita omni aevo semper accomodata sunt et utilia, et nunquam societati damnosa esse possunt, quia status religiosus pertinet ad integritatem Ecclesiae. *Vecchiotti*, Instit. Canon. I, L. 2. c. 9.

[5] *Vecchiotti*, Inst. Cant. I. L. 2. c. 9.

temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt.—2° *Ordinis*, religio in qua vota sollemnia nuncupantur; *Congregationis monasticae* plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem Superiore; *Religionis exemptae*, religio sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta; *Congregationis religiosae* vel *Congregationis* simpliciter, religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur. — 3° *Religionis iuris pontificii*, religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *Iuris diocesani*, religio quae ab Ordinariis erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit. — 4° *Religionis clericalis*, religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est laicalis. — 5° *Domus religiosae*, domus alicuius religionis in genere; *domus regularis*, domus Ordinis; *domus formatae* domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes. — 6° *Provinciae* plurium religiosarum domorum inter se coniunctio sub eodem Superiore, partem eiusdem religionis constituens. — 7.° *Religiosorum*, qui vota nuncuparunt in aliqua religione; *religiosorum votorum simplicium*, qui in Congregatione religiosa; *regularium*, qui in Ordine; *sororum*, religiosae votorum simplicium; *monialium*, religiosae votorum solemnium aut, nisi ex rei natura ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt solemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia. — 8° *Superiorum maiorum*, Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes. **Can. 488.**

Regulae et particulares constitutiones singularium religionum, canonibus Codicis iuris canonici non contrariae, vim suam habent, quae vero eisdem opponuntur, abrogatae sunt. **Can. 489.**

Quae de religiosis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent etiam pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet. **Can. 490.**

Religiosi praecedunt laicis; religiones clericales, laicalibus; canonici regulares, monachis; monachi, ceteris regularibus; regulares, Congregationibus religiosis; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus iuris dioecesani.

At clerus saecularis praecedit tum laicis tum religiosis extra eorum ecclesias, atque etiam in eorum ecclesiis si agatur de religione laicali; Capitulum vero cattedrali vel collegiale eisdem praecedit ubique locorum. **Can. 491.**

ART. II.

De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus.

8. — *Q.* Quid statutum est circa erectionem et suppressionem religionis provinciae, domus?

R. 1. Episcopi, non autem Vicarius Capitularis vel Vicarius

Generalis, condere possunt Congregationes religiosas; sed eas ne condant neve condi sinant, inconsulta Sede Apostolica; quod si agatur de tertiariis in communi viventibus, requiritur praeterea ut a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni aggregentur.

§ 2. Congregatio iuris dioecesani, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, remanet dioecesana. Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris plane subiecta. **Can. 492.**

Quaelibet religio etiam iuris dioecesani tantum, semel legitime condita, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sancta Sede, cui etiam reservatur de bonis in casu statuere, semper tamen salva offerentium voluntate. **Can. 493.**

§ 1. Religionem pontificii iuris in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere, monasteria sui iuris a monastica Congregatione separare et alii unire, ad unam pertinet Sedem Apostolicam.

§ 2. Exstincta provincia, de eius bonis statuere, salvis iustitiae legibus et fundatorum voluntate, spectat, nisi constitutiones aliud caveant, ad Capitulum generale vel, extra tempus Capituli, ad Moderatorem generalem cum suo Consilio. **Can. 494.**

§ 1. Congregatio religiosa iuris diocesani in alia diocesi domos constituere non potest, nisi consentiente utroque Ordinario, tum loci ubi est domus princeps, tum loci quo velit commigrare; Ordinarius autem loci unde excedit, consensum sine gravi causa ne deneget.

§ 2. Si ad dioeceses alias eam propagari accidat, nihil de ipsius legibus mutari liceat, nisi de consensu singulorum Ordinariorum quorum in dioecesibus aedes habeat, salvis iis quae, ad normam can. 492, § 1, Sedi Apostolicae fuere subiecta. **Can. 495.**

Nulla religiosa domus erigatur, nisi iudicari prudenter possit vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis vel alio modo congruae sodalium habitationi et sustentationi provisum iri. **Can. 496.**

§ 1. Ad erigendam domum religiosam exemptam, sive formatam sive non formatam, aut monasterium monialium, aut in locis Sacrae Congregationi de Prop. Fide subiectis quamlibet religiosam domum, requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et Ordinarii loci consensus in scriptis datus; secus, satis est Ordinarii venia.

§ 2. Constituendae novae domus permissio facultatem secumfert pro religionibus clericalibus habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, salvo praescripto can. 1162, § 4, et sacra ministeria peragendi, servatis de iure servandis; pro omnibus religionibus, pia opera exercendi religionis propria, salvis conditionibus in ipsa permissione appositis.

§ 3. Ut aedificentur et aperiantur schola, hospitium vel similis rationis aedes separata a domo etiam exempta, necessaria est et sufficit specialis Ordinarii scripta licentia.

§ 4. Ut constituta domus in

alios usus convertatur, eaedem sollemnitates requiruntur de quibus in § 1, nisi agatur de conversione quae, salvis fundationis legibus, ad internum regimen et disciplinam religiosam dumtaxat refereratur. **Can. 497.**

Domus religiosa sive formata sive non formata, si ad religionem exemptam pertineat, supprimi nequit sine beneplacito apostolico; si ad Congregationem iuris pontificii non exempta, supprimi potest a supremo Moderatore, consentiente Ordinario loci; si ad Congregationem iuris dioecesani, sola Ordinarii loci auctoritate, audito Congregationis Moderatore, salvo praescripto can. 493, si de unica domo agatur, salvoque iure recursus in suspensivo ad Sedem Apostolicam. **Can. 498.**

CAPUT II.

De religionum regimine.

9. — *Q.* Religiosi cuinam Superiori subduntur?

R. §. 1. Religiosi omnes, tanquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae.

§ 2. Cardinalis Protector cuiuslibet religionis, nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus, iurisdictione in religionem aut in singulos sodales non pollet, nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere, sed eius est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere. **Can. 499.**

§ 1. Subduntur quoque religiosi Ordinario loci, iis exceptis qui a Sede Apostolica exemptionis privilegium consecuti sunt, salva semper potestate quam ius etiam in eos locorum Ordinariis concedit.

§ 2. Moniales quae sub iurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum sunt, Ordinario loci subduntur tantum in casibus iure expressis.

§ 3. Nulla virorum religio sine speciali apostolico indulto potest sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum aut earum religiosarum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam. **Can. 500.**

10. — *Q.* Superiores quamnam potestatem habent in subditos?

R. §. 1. Superiores et Capitula, ad normam constitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta, habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro externo.

§ 2. Superioribus quibuslibet districte prohibetur quominus in causis ad S. Officium spectantibus se intromittant.

§ 3. Abbas Primas et Superior Congregationis monasticae non habent omnem potestatem et iurisdictionem quam ius commune tribuit Superioribus maioribus, sed eorum potestas et iurisdictio desumenda est ex propriis constitutionibus et ex peculiaribus Sanctae Sedis decretis, firmo praescripto can. 655, 1594, § 4. **Can. 501.**

Supremus religionis Moderator potestatem obtinet in omnes provincias, domos, sodales religionis, exercendam secundum constitutiones; alii Superiores ea gaudent intra fines sui muneris. **Can. 502.**

Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis possunt notarios constituere, sed tantum pro negotiis ecclesiasticis suae religionis. **Can. 503.**

11. — *Q.* Quid statutum est circa Superiores Religiosorum?

R. Firmis propriis cuiusvis religionis constitutionibus quae provectiorem aetatem aliaque potiora requisita exigant, ad munus Superioris maioris inhabiles sunt qui eandem religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio nati et annos quadraginta non expleverunt, si agatur de supremo religionis Moderatore aut de Antistita in monialium monasterio; annos triginta, si de aliis Superioribus maioribus. **Can. 504.**

Superiores maiores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones; Superiores autem minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium; quo exacto, possunt ad idem munus iterum assumi, si constitutiones ita ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo. **Can. 505.**

§ 1. Antequam ad Superiorum maiorum electionem deveniatur in religionibus virorum, omnes et singuli e Capitulo iureiurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.

§ 2. In monasteriis monialium, comitiis eligendae Antistitae praesit, quin tamen clausuram ingrediatur, Ordinarius loci aut eius delegatus cum duobus sacerdotibus scrutatoribus, si moniales eidem subiectae sint; secus, Superior regularis; sed etiam hoc in casu Ordinarius tempestive moneri debet de die et hora electionis, cui potest una cum Superiore regulari per se ipse vel per alium assistere et, si assistat, praeesse.

§ 3. In scrutatores ne assumantur ipsarum monialium confessarii ordinarii.

§ 4. In mulierum Congregationibus electioni Antistitae generalis praesideat per se vel per alium Ordinarius loci, in quo electio peragitur; cui, si agatur de Congregationibus iuris dioecesani, peractam electionem confirmare vel rescindere integrum est pro conscientiae officio. **Can. 506.**

§ 1. In electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune de quo in can. 160-182, praeter cuiusque religionis constitutiones eidem non contrarias.

§ 2. Caveant omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis.

§ 3. Postulatio admitti potest solum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur. **Can. 507.**

In sua quisque domo superiores commorentur nec ab eadem discedant, nisi ad normam constitutionum. **Can. 508.**

12. — *Q* Quaenam obbligatio Superiorum religiosorum?

R. § 1. Omnis Superior debet notitiam et exsecutionem decretorum Sanctae Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.

§ 2. Curent Superiores locales:

1. Ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet;

2.° Ut saltem bis in mense, firmo praescripto can. 565, § 2, christianae catechesis habeatur

instructio pro conversis et familiaribus, audientium conditioni accommodata, et, praesertim in religionibus laicalibus, pia ad omnes de familia exhortatio. **Can. 509.**

Abbas Primas, Superior Congregationis monasticae et cuiusvis religionis iuris pontificii Moderator supremus debet quinto quoque anno vel saepius, si ita ferant constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem per documentum mittere, subsignatum a se cum suo Consilio et, si agatur de Congregatione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet. **Can. 510.**

13. — *Q.* Quid statutum est circa visitationem domorum religiosarum?

R. Maiores religionum Superiores quos ad hoc munus constitutiones designant, temporibus in eisdem definitis, omnes domos sibi subiectas visitent per se, vel per alios, si fuerint legitime impediti. **Can. 511.**

§ 1. Ordinarius loci per se vel per alium quinto quoque anno visitare debet:

1.° Singula monialium monasteria quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt;

2.° Singulas domos sive virorum sive mulierum Congregationis iuris dioecesani.

§ 2. Visitare quoque eodem tempore debet:

1.° Monasteria monialium, quae regularibus subduntur, circa ea quae clausurae legem spectant; imo etiam circa alia omnia, si Superior regularis ea a quinque annis non visitaverit;

2.° Singulas domos Congregationis clericalis iuris pontificii etiam exemptae, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae;

3.° Singulas domos Congregationis laicalis iuris pontificii non solum in iis, de quibus in superiore numero, sed etiam in aliis, quae internam disciplinam spectant, ad normam tamen can. 618, § 2, n. 2.

§ 3. Quod ad bonorum administrationem attinet, serventur praescripta can. 533-535. **Can. 512.**

§ 1. Visitator ius et officium habet interrogandi religiosos quos oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant; omnes autem religiosi obligatione tenentur respondendi secundum veritatem, nec Superioribus fas est quoquo modo eos ab hac obligatione avertere aut visitationis scopum aliter impedire.

§ 2. A decretis Visitatoris recursus datur in devolutivo tantum, nisi Visitator ordine iudiciario processerit. **Can. 513.**

14. — *Q.* Quaenam alia statuta circa religiosos?

R. §1. In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi.

§ 2. In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit.

§ 3. In alia religione laicali hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam can. 464, § 2.

§ 4. In funeribus servetur praescriptum can. 1221, 1230, § 5. **Can. 514.**

Prohibentur tituli dignitatum vel officiorum mere honorifici; soli, si id permittant constitutiones, tolerantur tituli officiorum maiorum, quibus religiosi in propria religione reapse functi sint. **Can. 515.**

§ 1. Supremus religionis aut monasticae Congregationis Moderator, Superior provincialis et localis saltem formatae domus habeant suos consiliarios, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum.

§ 2. Sint etiam pro administratione bonorum temporalium oeconomi: generalis qui religionis universae bona administret, provincialis qui provinciae, localis qui singularum domorum; qui omnes officio suo fugantur sub directione Superioris.

§ 3. Oeconomi generalis et provincialis munus gerere Superior ipse non potest; munus vero oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat.

§ 4. Si de modo oeconomos eligendi constitutiones sileant, a Superiore maiore cum consensu sui Consilii eligantur. **Can. 516.**

§ 1. Quaevis virorum religio iuris pontificii procuratorem generalem habeat, qui, secundum constitutiones designatus, negotia propriae religionis apud Sanctam Sedem pertractet.

§ 2. Antequam praescriptum in constitutionibus tempus exspiret, ne amoveatur, inconsulta Sede Apostolica. **Can. 517.**

—

CAPUT III.

De confessariis et cappellanis.

15. — *Q.* Quaenam statuta circa confessarios et cappellanos?

R. § 1. In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis.

§ 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant.

§ 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur. **Can. 518.**

Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis. **Can. 519.**

§ 1. Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter

magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus.

§ 2. Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate. **Can. 520.**

§ 1. Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae.

§ 2. Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire.

§ 3. Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre. **Can. 521.**

Si, non obstante praescripto can. 520, 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipubblico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur. **Can. 522.**

Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religionis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere. **Can. 523.**

16. — *Q.* Quinam sacerdotes deputandi sunt in munus confessarii religiosarum?

R. § 1. In munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes.

§ 2. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari extraordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest.

§ 3. Confessarii religiosarum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immisceant. **Can. 524.**

Si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si

Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere. **Can. 525.**

Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, imo etiam ad tertium triennum confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est. **Can. 526.**

Loci Ordinarius, ad normam can. 880, potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiritur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur. **Can. 527.**

Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur, ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans. **Can. 528.**

Si agatur de religionibus laicalibus non exemptis Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a concionibus probare; si de exemptis, Superior regularis eosdem sacerdotes designat eiusque negligentiam supplet Ordinarius. **Can. 529.**

§ 1. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoque modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

§ 2. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes. **Can 530.**

CAPUT IV.

De vocatione religiosa de admissione in religionem, de postulatu, de novitiatu, et de novitiorum institutione.

ART. I.

De vocatione religiosa

17. — *Q.* Quid est *vocatio* religiosa, et undenam ejus necessitas?

R. Vocatio religiosa est *actus divinae providentiae supernaturalis, quo Deus aliquem ad statum perfectionis disponit per interiorem instinctum et gratias ad id necessarias.*

Necessitas divinae vocationis ex hoc patet quod ad statum excellentiorem, et eo magis ad excellentissimum, ut est status religiosus, requiruntur gratiae speciales, quae a Deo solo pendent; ergo ad Deum solum pertinet ad illum eligere et vocare.

18. — *Q.* Quaenam praecipua *signa* divinae vocationis?

R. Praecipua signa divinae vocationis haec sunt: 1° *Propensio animi* spontanea et constans ad illud vitae institutum. 2° *Aptitudo* seu *idoneitas* ad illius status officia convenienter obeunda; haec autem potissimum consistit in recto judicio, in indole bona, in animo jugo obedientiae submisso, in scientia relative sufficienti, et in carentia illorum defectuum corporis vel animi, qui vitae religiosae, aut fini Instituti repugnant. 3° *Absentia impedimentorum*, uti inopia parentum, mala valetudo corporis, etc. Postremum hoc signum, etsi negativum, est tamen maximi momenti, cum Deus suam voluntatem etiam per rerum circumstantias externosque eventus manifestare soleat [1].

Praeter haec ordinaria vocationis signa, alia extraordinaria recensentur, ut divina revelatio, singularis inspiratio, quorum exempla in sanctorum historia occurrunt.

Ut vero discerni possit utrum illa animi propensio sit a Deo, an a daemonis suggestione aut naturae propensione, considerandus est *finis* ob quem statum religiosum quis amplecti desiderat: cum enim status religiosus non sit ultimus finis, sed medium ad illum facilius et securius consequendum, non propter se appetitur sed propter aliud. — Si ergo *finis totalis* vel saltem *primarius*, quo quis ad religionem impellitur est *bonum spirituale*, v. g. ut periculis saeculi se eximat, ut Christi vitam imitetur, ut se totum Deo consecret, ut saluti suae melius consulat, etc., procul dubio talis vocatio a Deo est. — E contra judicandum si *finis totalis* vel *primarius* sit consequendi aliquod *bonum humanum et temporale*, v. g. commoda vitae, honorificum munus, etc. — Quod si bonum humanum et temporale sit tantum finis *secundarius*, vocatio censenda est a Deo (vid. *Monita*, etc., V. I, p. 367).

NOTA *pro praxi*: Aliquando quis sentire potest illam animi propensionem ad statum religiosum, quin adsit divina vocatio; nam saepe Spiritus Sanctus desiderium excitat alicujus rei, quin illius executionem velit; et reipsa in quibusdam excitat affectum et desiderium alicujus religionis propter bonum et meritum ipsius, quamvis eis talem statum particularem amplecti non expediat. Unde ipsum etiam propositum religionis, regulariter loquendo, intelligendum est ad hoc maxime dari a Spiritu Sancto, ut de religione assumenda consulatur, et mature expendatur quid divinae voluntati sit conformius [2].

19. — *Q.* Peccat ne 1° qui sine divina vocatione religionem amplectitur; 2° qui divinae vocationi non obtemperat?

R. Ad 1um: Qui certe sine divina vocatione statum religiosum amplectitur, graviter peccat si amplectitur statum religiosum qui sit simul *status sacerdotalis*; vel si adsint externa impedimenta quae gravem obligationem in religione assumendam impletu impossibilem reddunt. Seclusis his casibus, juxta S. Alph., S. Thomam et alios, perperam sane ageret qui statum religiosum assumeret sciens se non

[1] *Marc*, n. 2142, q. 2.

[2] *Suarez*, de Relig. L. 5, c. 8.

habere specialem vocationem ad statum illum. Attamen si firmam habet voluntatem obligationes religiosi status adimplendi, non peccat graviter; nam, licet periculo se exponat suscipiendo obligationes quibus difficulter satisfacere poterit, minori tamen periculo se committit intrando Religionis portum, quam vocatus qui in mare mundi subsistit. Praeterea, si bona est voluntate, post factum obtinere potest a Deo specialia auxilia quibus indiget; facienti enim quod in se est Deus nunquam deerit [1].

Ad 2um: E contra qui de sua vocatione moraliter certus est, religionem ingredi tenetur, non quidem *per se*, quia divina consilia per se nullam imponunt obligationem, sed *per accidens*, quatenus manendo in saeculo contra Dei voluntatem magno discrimini exponeret salutem suam aeternam. Quare qui divinam vocationem negligit non potest ab aliqua culpa excusari [2]. Imo, si quis crederet quod in saeculo manendo damnationem incurreret, tum ob suam fragilitatem quam inter saeculi occasiones expertus est, tum ob carentiam auxiliorum quae in religione haberet, non posset excusari a peccato gravi, quia in grave discrimen suae salutis se conjiceret [3].

20. — *Q.* Parentes vel Superiores, qui filios vel subditos a statu religioso avertunt, peccant ne?

R. Parentes vel Superiores qui noverint filios vel subditos esse a Deo vocatos, graviter peccant si *injuste* seu per minas, vim, fraudes, aut importunas preces ipsos a religione avertunt; imo, ut communiter dicunt Th., plerumque graviter peccant etiamsi tantum precibus et promissionibus utantur, quia hoc esse non potest sine gravi illorum damno: et peccant duplici peccato, nempe contra caritatem et contra pietatem, nisi excuset ignorantia, quae saltem ad breve tempus dari potest ob carnalem affectionem, ut observat S. Alph. — Non peccant tamen qui tantum ad tempus se opponunt piis desideriis filiorum juniorum ad probandam eorum constantiam, vel ob aliam justam causam. Attamen hac in re, ad vitandum periculum hallucinationis, consilio confessarii aut viri docti et pii uti debent.

An vero filius ad subveniendum parentibus teneatur religionem non ingredi, vel ab ipsa egredi, recole I, 672.

21. — *Q.* Ad quid tenetur qui votum emisit religionem ingrediendi?

R. Si vovit religionem *in genere* tenetur diligenter inquirere ad quam potiori instinctu moveatur et per requisitas dotes dispositus sit, et an in ea vigeat disciplina;

[1] Cf. *Génicot*, n. 76; S. Alph., *La vera sposa di G. C.*, cap. 24, VIII. Quoad Superiores tamen S. Thomas animadvertit: « Adolescentem ad religionem recipere illicitum esset si constaret, vel probabiliter crederetur de ejus incostantia, vel si quid aliud hujusmodi quae diligenter considerantur in religionibus bene institutis ». *Aertnys*, L. V, 4, q. 3°.

[2] Novitius qui religionem ingreditur animo non perseverandi, difficulter excusari potest a culpa gravi propter damna temporalia et incommoda quae religioni frustra afferret, et etiam propter scandalum quod aliis novitiis praeberet, cum exemplum socii magnam alteri tentationem ingerat. S. Alph., L, VI, 785.

[3] S. Alph., L. IV, 7a.

et si ab illa repellatur, probabilius aliam inquirere debet, quia ejus votum, cum sit generale de aliqua religione, nondum impletum est.

Si vero religionem vovit in *specie*, tunc aliquam domum illius Ordinis particularis tenetur ingredi; et ubi ab una repellatur, tenetur uti mediis ordinariis ut aliam ingredi possit.

Si autem vovit *in individuo*, ita determinando locum ut alium non intenderit, et in domum praefixam non admittatur, liber est a voto, quia sub hac tantum conditione se ligavit.

NONA: Docent communiter Th. eum qui religionem vovit non teneri ipsam quaerere extra propriam nationem vel provinciam; imo foeminam non teneri quaerere monasterium extra patriam longe a suis [1].

22. — *Q.* Qui religionem vovit, peccat ne graviter si, post ingressum, sine justa causa ab illa egrediatur?

R. Si vovens non habuerit animum profitendi, sed tantum experiendi, non peccat, modo convenienti temporis spatio experiatur. — Secus graviter peccat, quia per votum se ligavit ad profitendum; nisi justa causa adsit egrediendi, puta si inveniat religionem suis viribus imparem, aut ibi gravem et diuturnum moerorem experiatur [2].

23. — *Q.* Parochus et beneficiatus non Curatus possunt ne religionem ingredi sine consensu Episcopi?

R. Parochus potest quidem religionem ingredi, sine Episcopi consensu, imo etiam Episcopo contradicente, ut declaravit Urbanus II, et confirmavit Bened. XIV in bulla *Ex quo dilectus*; attamen, ex eadem bulla, parochus antequam ingrediatur, debet Episcopum certiorem facere de suscepto consilio, ne grex sine custode deseratur. Insuper decernitur parochiam non vacare, nisi post professionem, adeo ut fructus ad eumdem spectent durante tempore novitiatus. Idem dicendum de aliis beneficiatis, qui tamen non peccant, ex praefata bulla, si suos Episcopos certiorare omittant, timentes ne ab ipsis de suo proposito revocentur.

Ceterum declarat Bened. XIV quod Episcopus potest revocare suum clericum a religione, si ejus ingressus gravi detrimento esset Ecclesiae cui erat addictus [3].

ART. II.

De admissione in religionem, et de postulatu.

24. — *Q.* Quinam in religionem admitti potest?

R. In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus. **Can. 358.**

25. — *Q.* Postulantes admissi in religionem quid peragere debent?

R. § 1. In religionibus a votis perpetuis mulieres omnes et, si agatur de religione virorum, conversi, antequam ad novitiatum ad-

[1] S. Alph. L. IV, 72.
[2] S. Alph., L. IV, 72.
[3] S. Alph., L. IV, 74, 75.

mittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant; in religionibus vero a votis temporariis, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus.

§ 2. Superior maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre. **Can. 539.**

§ 1. Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati religiosi.

§ 2. Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum.

§ 3. In monasteriis monialium adspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur. **Can. 540.**

Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, premittant generalem anteactae vitae confessionem. **Can. 541.**

ART. III.

De novitiatu.

26. — *Q.* Quinam invalide, vel illicite tantum ad novitiatum admittantur?

R. 1.° Invalide ad novitiatum admittuntur:

Qui sectae acatholicae adhaeserunt;

Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent;

Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;

Coniux, durante matrimonio;

Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;

Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;

Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

Clerici qui ex instituto Sanctae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.

2.° Illicite, sed valide admittuntur:

Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;

Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit;

Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali. **Can. 542.**

Ius admittendi ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam pertinet ad Superiores

maiores cum suffragio Consilii seu Capituli, secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones. **Can. 543.**

Q. Quaenam testimoniales requiruntur pro admissione in novitiatum.

R. § 1. In quavis religione omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.

§ 2. Adspirantes viri debent praeterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.

§ 3. Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiori religionis Superiore.

§ 4. Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto § 3.

§ 5. Religioso professo, ad aliam religionem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis.

§ 6. Praeter haec testimonia a iure requisita, possunt Superiores, quibus ius est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.

§ 7. Mulieres denique ne recipiantur, nisi praemissis accuratis investigationibus circa earum indolem et mores, firmo praescripto § 3. **Can. 544.**

§ 1. Qui literas testimoniales ex praescripto iuris dare debent, eas non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore iuramento firmatas.

§ 2. Si ob graves rationes indicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus exponant.

§ 3. Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat.

§ 4. In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias, instituerint, referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia; sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat, et tandem, si agatur de illis qui in Seminario, collegio, aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint. **Can. 545.**

Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obliga-

tione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illias tradiderunt. Can. 546.

Q. Quid statum est circa dotem monialium ?

R. § 1. In monasteriis monialium postulans afferat dotem in constitutionibus statutam aut legitima consuetudine determinatam.

§ 2. Haec dos ante susceptionem habitus monasterio tradatur aut saltem eius traditio tuta reddatur forma iure civili valida.

§ 3. In religionibus votorum simplicium, quod ad religiosarum dotem pertinet, standum constitutionibus.

§ 4. Dos praescripta condonari ex toto vel ex parte nequit sine venia Ordinarii loci, si de religione iuris dioecesani. Can. 547.

Dos monasterio seu religioni irrevocabiliter acquiritur per obitum religiosae, licet haec nonnisi vota temporaria nuncupaverit. Can. 548.

Post primam religiosae professionem dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita cum suo Concilio, de consensu Ordinarii loci et Superioris regularis, si domus ab hoc dependeat ; omnino autem prohibetur eam quoquo modo ante religiosae obitum impendi, ne ad aedificandum quidem domum aut ad aes alienum exstinguendum. Can. 549.

§ 1. Dotes caute et integre administrentur apud monasterium vel domum habitualis residentiae supremae Moderatricis aut Antistitae provincialis.

§ 2 Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent; et praesertim in sacra visitatione de eisdem rationem exigant. Can. 550.

§ 1. Dos religiosae professae sive votorum sollemnium sive votorum simplicium quavis de causa discendenti integra restituenda est sine fructibus iam maturis.

§ 2. Si vero religiosa professa ad aliam religionem ex apostolico indulto transeat, durante novitiatu, fructus, salvo praescripto can. 570, § 1; emissa vero nova professione, dos ipsa huic religioni debentur; si ad aliud eiusdem Ordinis monasterium, huic debetur ipsa dos a die transitus. Can. 551.

§ 1. Religiosarum etiam exemptarum Antistita debet Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante, certiorem facere de proxima admissione ad novitiatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem.

§ 2. Ordinarius loci vel, eo absente aut impedito, sacerdos ab eodem deputatus, adspirantis voluntatem, saltem triginta diebus ante novitiatum et ante professionem, ut supra, diligenter et gratuito exploret, non tamen clausuram ingrediens, num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat; et, si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc adspirans poterit ad novitiatum vel novitia ad professionem admitti. Can. 552.

ART. IV.

De novitiorum institutione.

27. — *Q.* Quid requiritur ad validitatem novitiatus ?

R. § 1. Praeter ea quae in can. 542 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet:

1.° Post completum decimum quintum saltem aetatis annum;

2.° Per annum integrum et continuum ;

3.° In domo novitiatus.

§ 2. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur. **Can. 555.**

28. — *Q.* Novitiatus quomodo interrumpitur?

R. § 1. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacunque ex causa, etiam de Superiorum licentia.

§ 2. Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.

§ 3. Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.

§ 4. Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur. **Can. 556.**

Integer novitiatus peragatur in habitu quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant. **Can. 557.**

In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet. **Can. 558.**

29. — *Q.* Quisnam novitiorum institutione praficiendus est; et quaenam eius obligationibus?

R. § 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus.

§ 2. Si ob novitiorum numerum vel aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis.

§ 3. Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant. **Can. 559.**

Magister novitiorum eiusque socius eligantur ad normam constitutionum, et si quod in his tempus ad durationem muneris praescriptum sit, eo durante, ne removeantur sine iusta gravique causa; sed iidem rursus eligi possunt. **Can. 560.**

§ 1. Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac Visitatoribus; ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister,

perinde ac novitii, Superiori est obnoxius.

§ 2. Novitius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque obedire tenetur. **Can. 561.**

Gravi obligatione tenetur Magister novitiorum omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam can. 565. **Can. 562.**

Intra annum novitiatus Magister, ad normam constitutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat. **Can. 563.**

§ 1. Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis.

§ 2. Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur. **Can. 564.**

§ 1. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.

§ 3. Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur. **Can. 565.**

30. — *Q.* Quid statutum est circa confessores novitiorum?

R. § 1. Circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta can. 520 a 527.

§ 2. In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519:

1.° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891;

2.° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri;

3.° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;

4.° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi. **Can. 566.**

31. — *Q.* Quaenam alia statuta circa novitios?

R. § 1. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt.

§ 2. Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur. **Can. 567.**

In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit, eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est. **Can. 568.**

§ 1. Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest. — § 2. Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur. **Can. 570.**

§ 1. Novitius potest religionem libere deserere, aut a Superioribus vel a Capitulo, secundum constitutiones, quavis iusta de causa dimitti, quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere. — § 2. Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari. — § 3. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per octo saltem solidos dies. **Can. 571.**

CAPUT V.

De professione religiosa, et de obligationibus religiosorum.

ART. I.

De professione religiosa.

32. — *Q.* Quid requiritur ad validitatem cuiusvis religiosae professionis?

R. § 1. Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut;

1.° Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573; 2.° Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones; 3.° Novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit; 4.° Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur; 5.° Sit expressa; 6.° A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.

§ 2. Ad validitatem vero professionis perpetuae sive solemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam Can. 574. **Can. 572.**

Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur, vicesimum primum, si de perpetua sive solemni, sive simplici. **Can. 573.**

33. — *Q.* Religiosus tenetur ne ad vota in professione emissa, si superveniat aliqua circumstantia, quam si praevidisset, minime vota emisisset?

R. Affirmative: et hoc dicendum etiam pro votis, licet non solemnibus, quae emittuntur a viris aut mulieribus in aliquibus Congregationibus, maxime si addatur votum perseverantiae, prout fit in Congregatione Presbyterorum Missionis S. Vincentii a Paulo, et in Congregatione SS. Redemptoris, quia hic intervenit contractus onerosus et bilateralis. Nulla enim circumstantia superveniens, etsi non praevisa, potest contractus oneroros irritos reddere, unde sicut Congregatio nequit subjectum dimittere ob circumstantias supervenientes (exceptis circumstantiis criminum), ita nec

subjectus potest Congregationem relinquere.

34. — *Q.* Religiosus potest ne transire ad aliam religionem; et in casu transitus ad quid tenetur?

R. Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis. **Can. 632.**

Transicus ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, iura et obligationes peculiares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis, et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae.

Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus expiravit.

Transiens ad aliud monasterium eiusdem ordinis nec novitiatum peragit, nec novam emittit professionem. **Can. 633.**

Solemniter professus, aut professus a votis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis solemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione temporaria, de qua in Can. 574, vel admittatur ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam vel ad pristinam redeat religionem; ius tamen est Superiori cum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu. **Can. 634.**

Transeuntes ad alium monasterium eiusdem religionis a die transitus, ad aliam vero religionem ab edita nova professione:

1.° Amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius iura et obligationes suscipiunt;

2.° Religio vel monasterium a *quo* bona servat, quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem eiusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus, servandum praescriptum can. 551 § 2.; demum nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, §. 1 **Can. 635.**

Solemnitas votorum in eo qui legitime secundum superiores canones vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso extinquitur, nisi aliud in apostolico indultu expresse caveatur. **Can. 636.**

ART. II.

De obligationibus religicsorum.

35. *Q.* Quaenam obligationes religiosorum?

R. Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncupaverunt vota fideliter integreque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere. **Can. 593.**

36. — *Q.* Religiosus tenetur ne ad perfectionem, et quomodo?

R. Religiosus, vi suae professionis, tenetur non quidem actu esse perfectus, sed tendere ad perfectionem, tum per media *essentialia* statui religioso, idest per tria vota religionis, tum per media *accidentalia*, idest regulas proprii Ordinis servando. Hinc peccat mortaliter religiosus qui non

tendit ad perfectionem, seu qui, per actum directe suae professioni contrarium, positive perfectionem nolit [1].

An vero peccet mortaliter qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, de ceteris non curando, disp. Th. Communius et probabilius negant: nam eo ipso quod illa mandata servare vult, jam aliquo modo ad perfectionem tendit, cum adimplere velit plura quae respectu aliorum sunt mera consilia; nec regulam formaliter contemnit, sed tantum in rebus levibus negligit.—Attamen *in praxi* religiosus ita dispositus versari potest in gravi periculo mortaliter peccandi ex aliis capitibus, nempe ratione periculi transgrediendi vota, vel inferendi grave damnum religioni quoad regularem disciplinam [2].

37.—*Q.* Quomodo peccat religiosus qui regulas transgreditur?

R. Praemitto regulae aliae disciplinam tantum respiciunt in religione servandam; aliae vero votorum materiam ac conditiones definiunt, et istae eamdem ac ipsa vota obligationem imponunt. Hic de primis tantum. Hoc praemisso:

1. Si regula obligat sub peccato, ejus transgressio est contra votum, quia, cum talis regula sit praeceptiva, subditus, promittens observantiam regulae, se obligare censetur eo modo quo ipsa intendit: proindeque Carthusianus, v. gr., carnes edens, vel Franciscanus feria VI non jejunans peccat contra obedientiam regulae promissam [3], et peccatum est mortale si regula obligat sub mortali, et transgressio est in materia gravi; secus veniale.

2. Si autem regula non obligat sub peccato, religiosis illam transgrediens per se nec graviter nec leviter peccat, quia regula non est praeceptiva. Dixi *per se*, quia *per accidens* leviter peccat si illam violat ex negligantia, vel aliqua concupiscentia ductus; imo etiam graviter si illam violat cum gravi damno communitatis, puta si graviter perturbat disciplinam religiosam, vel grave scandalum praebet, vel ex formali contemptu agit.—Censetur autem quis regulas praetermittere ex contemptu, quando illas transgreditur animo non se illis vel praelatorum praeceptis subjiciendi, vel quia inanes et vanas ipsas putat [4]; non vero si concupiscentia ductus, vel quia putat illas sibi non esse necessarias ad salutem, vel quia judicat eas non praecipere sub gravi [5].

38. — *Q.* Quaenam obbligationes Superiorum religiosorum?

R. § 1. Curent Superiores ut omnes religiosi:

1.° Quotannis spiritualibus exercitiis vacent;

2.° Legitime non impediti quotidie Sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo incumbant;

3.° Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.

§ 2. Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, e-

[1] S. Th. 2ª 2ae, q. 184, a. 5; q. 186; a. 1.
[2] S. Alph., L. IV, 10, 11.
[3] Regulas habere ut inanes non semper infert veri nominis contemptum. Aliud sane est contemnere auctoritatem praecipientis, aliud parvi pendere rem praeceptam quasi inutilem, aut imprudentem. In priori casu habes vere formalem contemptum, non item in posteriori. *Ballerini ad Gury* II, 142 (*b*).

tiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat.

§ 3. Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.

§ 4. Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent. **Can. 595.**

39. — *Q.* Superior tenetur ne defectus subditores corrigere?

R. Superior, ait S. Alph., tenetur subditorum defectus etiam leves corrigere; quinimo si plures sunt, et tales ut disciplinam notabiliter valeant relaxare, ipse graviter peccat si, cum possit, negligit corrigere, quia observantiae relaxationem non impediendo, deficit in re gravi. Expedit tamen aliquando ut correctionem dissimulet, si defectus scandalum non afferrant, vel praevideat subditum ex correctione pejorem fieri, aut tempus opportunius sit expectandum.

CAPUT VI.

De obligatione servandi vota

§ 1.°

De voto paupertatis

40. — *Q.* Quaenam obligationes religiosi vi voti *paupertatis*?

R. Religiosis cum votis *sollemnibus*, emissa professione, amittit omne dominium bonorum temporalium sive mobilium, sive immobilium, quorum dominium transit ad communitatem.

Post sollemnem professionem, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari: — In Ordine capaci possidendi cedunt Ordini, vel provinciae, vel domui secundum constitutiones; in Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem. **Can. 582.**

Insuper facultate caret iis utendi, vel de iis disponendi sine Superioris licentia; ideo, verius, non potest beneficia ecclesiastica possidere. et quidquid quocumque modo acquirit, monasterio acquirit. Ex quo patet eum nec accipere posse quidquam suo nomine, quamvis datum ea lege ut ipsius fiat; nec in alios transferre quovis titulo, aut remittere si quid forte ei debetur, v. g. census, nec permutare, nec commodare ne eiusdem quidem coenobii fratribus, nec in eleemosynam dare.

Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt. Sed facultate caret iis utendi vel disponendi sine Superioris licentia; unde sine tali licentia valide quidem disponit quia habet dominium radicale seu directum suorum bonerum, sed illicite disponit, quia contra votum. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit. **Can. 580** § 2.

Ceterum in singulis Congregationibus attendendum est quomodo Regula et praxis votum paupertatis circumscribat, maxime quoad usumfructum, administrationem et dispositionem, quia plus minusve restringi potest.

C. Can. 3. Voto paupertatis non comprehenduntur manuscripta, sive propria sive ab aliis accepta; sunt enim partus ingenii, qui non cadunt sub voto paupertatis. Hinc Clem. VII declaravit quod religiosi disponere possunt de manuscriptis, etiam sine licentia [1].

4. Voto paupertatis non repugnat quod religiosi bona etiam immobilia in communi habeant [2]. — Excipe Cappuccinos et Minores Observantes, qui ne in communi quidem immobilia possidere possunt [3].

5. Item non repugnat quod religiosi, ex superioris licentia, peculium habeant pro usibus necessariis et honestis, modo, ad superioris nutum, parati sint eo privari. Constat ex consuetudine hodie fere universali a S. Sede tolerata. — Attamen superior qui, sine vera necessitate, usum peculii ubi non adest permitteret, ex S. Alph., a gravi culpa non excusatur, non jam propter voti laesionem, sed ob laxitatem quae ex tali usu oriretur [4]. — Nec potest superior alicui facultatem concedere expendendi in usus illicitos vel omnino superfluos, quia ipse non est dominus, sed simplex administrator bonorum monasterii, nec habet super ea facultatem, nisi in quantum canones et religio ei concedunt [5].

41. — *Q.* Quotnam modis religiosus peccare potest contra votum paupertatis?

R. Tribus modis, nempe: 1° Male acquirendo; 2° male possidendo; 3° male utendo; aliis verbis, sine debita licentia acquirendo, possidendo, utendo. Hinc peccat:

1. Si aliquid, etiam ex iis quae ad victum vel vestitum pertinent, sine superioris consensu expresso, tacito, vel praesumpto accipit pro se vel pro aliis. Item si aliquid recipit in depositum ad *instar contractus*, quia tunc intervenit jus et obligatio ex justitia; non vero si recipit tantum ad fideliter custodiendum, quia reapse nihil recipit [6].

2. Si absque debita licentia aliquid pretio aestimabile detinet, vel etiam, quoad solemniter professum, si quid detinet cum licentia indebita, vel cum licentia quidem debita, sed tali affectu ac si esset suae proprietatis.

3. Si rebus sibi ad usum concessis utitur ad usum illicitum, vel praeter illum a superioribus concessum. — Item si res culpabiliter destruit aut amittit, vel sine debita licentia alienat, aut quocumque modo damnum communitati affert.

42. — *Q.* Peccat ne contra votum paupertatis qui, absque licentia Superioris, accipit ab extraneo pecuniam in pia opera impendendam?

R. Si opera pia sunt determinata a donatore, certe non peccat contra votum, quia religiosus non esset nisi canalis donatoris.

[1] S. Alph., L. IV, 14.
[2] S. Alph., L. IV, 16.
[3] Trid. Sess. XXV, cap. 3, *de Regul.*
[4] S. Alph., L. IV, 15.
[5] S. Alph., L. IV, 30.
[6] S. Alph., L. IV, 24 et seq.; Hom. Ap. T. XIII, 17.

Si vero pecunia est ad libitum in pia opera impendenda, tunc disput. Th., Alii affirmant, quia religiosus sic agendo exercet actum proprietatis. — Sed alii probabilius negant, quia is pecuniam non accipit nec retinet tamquam dominus, nec administrat vel elargitur nomine proprio, sed nomine alieno, nempe tradentis [1].

43. — *Q.* Quaenam materia censenda est gravis in violatione voti paupertatis?

R. — 1. Quando violatio paupertatis est simul contra justitiam, quia usurpantur bona *monasterii*, communiter dicunt Th. requiri saltem materiam quae in furto peccatum grave constituit, *relative* ad diversas personarum conditiones (vid. dicta V, I, 958); qua in re monasteria mediocriter opulenta communiter aequiparantur dominis privatis sat opulentis. Nonnulli vero sat probabiliter majorem requirunt: unde quaenam materia uti gravis censenda sit, judicio viri prudentis definienda videtur, spectatis circumstantiis, v. g. paupertatis vel opulentiae monasterii; qualitatis rei, si est pecunia, aut vestes, aut libri, etc.; usus rei, si consumpta in usum proprium vel monasterii, an erogata in extraneos; si superior invitus est quoad rem, an solum quoad modum, etc.

2. Quando autem violatio est tantum contra religionem ratione voti, ex. g. usus indebitus bonorum quorum Religiosus cum voto simplici *retinet dominium*, non facile determinatur quaenam materia censenda sit gravis, et major est inter Th. dissensus. Sententia communior et probabilior tenet eam materiam constituere peccatum grave, quae in furto habetur ut *absolute* gravis pro conditione locorum et temporum (vid. V. I. 958); excepto casu quo Regulae alicujus Ordinis statuant minorem quantitatem ad graviter peccandum [2].

NOTA: 1° Violationes paupertatis, quae sunt etiam contra justitiam coalescunt ad gravem materiam efformandam eodem modo ac dictum est de furtulis in genere (v. I, 960); sed in exculentis et poculentis major quantitas requiritur. Violationes vero quae sunt tantum contra votum, nec justitiam laedunt, probabilius non coalescunt ad gravem culpam constituendam. 2° In violationibus quae sunt unice contra religionem, quo imperfectior est actus dominii, eo major quantitas requiritur pro gravi materia; unde quoad res mutuo datas vel acceptas sine superioris licentia, generatim non peccat graviter religiosus semper ac tutus est de restitutione; a fortiori si res ad usum sibi concessas commodet aliis religiosis ejusdem monasterii, quia in his minor est actus dominii.

44. — *Q.* Qualis debet esse licentia Superioris ut religiosus ea legitime uti possit?

R. Ut religiosus licentia Superioris legitime uti possit, ipsa esse debet: 1° *vera*, nempe a legitimo Superiore, immediate per se vel mediante alio, libere concessa, ideoque nec metu nec fraude extorta; 2° *rationabilis*, nempe concessa ad usus licitos et honestos; 3° *expressa*, vel, ut communiter

[1] *Sanchez; Bollerini ad Gury*, I, 157 (a).

[2] *Génicot*, II, 98; *Gury*, 11, 180.

dicunt Th., saltem *tacita*, seu *praesumpta de praesenti*, uti esset si superior jam videret id quod religiosus impendit aut accipit, et, cum posset faciliter prohibere, non prohiberet (quamvis haec non possit esse regula generalis); aut si in aliqua religione adesset consuetudo recipiendi aut impendendi aliquid sine licentia, et praelatus toleraret; - ratio, quia in hujsmodi casibus licentia tacita aequivalet expressae.

An vero sufficiat licentia interpretativa, seu *praesumpta de futuro*, nempe praesumptio quod superior annueret si rogaretur, disput. Th.: sententia probabilior affirmat, dummodo subditus vel certe vel saltem probabiliter credat superiorem licentiam concessurum; nisi, ut bene excipit Sanchez, in aliqua communitate obt servante vigeat praeceptum, u licentiae expresse petantur; - ratio, quia ad non peccandum contra votum paupertatis sufficit licentia, quae efficit ut acceptio non fiat nomine proprio, sed cum dependentia a voluntate superioris.

Ex dictis patet quod ex licentia debite praesumpta potest religiosus: — 1° ex bonis sibi ad usum concessis donationes remuneratorias facere [1]; imo plus donare quam accepit, quia postulat gratitudo ut semper plus reddatur quam fuerit acceptum; — 2° donare et erogare ad suum beneplacitum (modo ad honestum usum) quae ipse sibi parcius vivendo subtrahit, si certa quantitas sibi assignetur, ita ut neque monasterium teneatur majorem praestare, nec ipse de assignata rationem reddere; — 3° dare pauperibus aliquid exculenti vel poculenti; — 4° succurrere pauperi magna paupertate laboranti ex bonis monasterii, quando aditus ad superiorem non patet; — 5° leves donationes facere amicis et consanguineis in signum gratitudinis, vel debitae amicitiae, vel ad conciliandum aliorum amorem erga religionem; — 6° acceptare ab extraneis (nisi de contraria Superioris voluntate constet) rem Superiori tradendam; — 7° emere rem quam Superiori gratam fore existimat, si non facilis ad eum pateat recursus, v. g. in itinere [2].

NOTA: Exceptis his aut similibus casibus, nemo licite accipere potest dona a religiosis, quia nemo donare potest res alterius, ideoque dona accipiens restituere tenetur conventibus ad quos de jure pertinent.

45. — *Q.* Quodnam discrimen inter votum et virtutem paupertatis?

R. Hoc intercedit discrimen: Votum respicit actus externos proprietatis, et importat ut religiosus, si voto solemni est ligatus, nullum habeat dominium bonorum temporalium; si voto simplici tantum, ut bonis suis non utatur sine debita Superioris licentia.

Virtus vero etiam ad actus internos extenditur, et importat ut religiosus, tum voto solemni tum voto simplici ligatus, omnem deponat inordinatum affectum ad bona temporolia, et ipsis non utatur nisi in quantum necessaria sunt ad conservationem vitae, vel ad alios usus legitimos juxta Instituti regulas. Quare virtus multo latius patet quam votum: virtus enim violatur etiam solo in-

[1] S. Alph L. IV, 21.

[2] S. Alph., L. IV, 23.

terno affectu inordinato ; votum e contra violatur tantum quando quis agit, vel desiderat externe agere contra votum. Unde quoties votum quis violat, etiam virtutem laedit, non autem e contra.

§ 2°

De voto castitatis.

46. — *Q.* Religiosus ad quid tenetur vi voti *castitatis ?*

R. Religiosus vi voti castitatis tenetur se abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea interna et externa ; proindeque si peccat contra castitatem, duo peccata committit, unum luxuriae contra sextum Decalogi praeceptum, alterum sacrilegii [1] contra votum, et peccat etiam contra caritatem, si periculum adsit quod per suum peccatum religio infametur [2].

Ad majorem autem cautelam castitatis introducta est clausura, tum pro religiosis tum pro monialibus ; de qua dicetur in *Appendice.*

§ 3°

De voto obedientiae.

47. — *Q.* Ad quid tenetur religiosus vi voti *obedientiae ?*

R. — I. Religiosus vi voti obedientiae tenetur ad regulam servandam, si haec sub peccato obliget; quia votum obligat ad servanda ea quae in religione praecepta sunt. — Secus vero si regula non obligat sub peccato, quia tunc ipsa praeceptum non importat, sed est tantum ordinatio et medium ad perfectionem.

[1] Saltem *lato sensu* sumpti.
[2] *Ninzatti*, I, 911.

2. Religiosus vi voti obedientiae tenetur ad obediendum Superiori in omnibus quae directe vel indirecte explicite vel implicite *praecipit secundum regulas et constitutiones religionis.* — Dixi *praecipit ;* nam si Superior suam voluntatem, vel suum desiderium tantum manifestet: *regulariter* non adest stricta obligatio obediendi, etsi subditus aliunde peccare possit, v. g. ipsum contristando, reverentiam ei debitam non exhibendo, etc. *Regulariter*, quia juxta S. Alph. observanda est consuetudo uniuscujusque Instituti, nam in aliquibus Superiores pro *jubeo* solent dicere : *oro*, *placeat R. V.*, etc. [3].

3. E contra, vi voti non tenetur obedire Superiori : 1° in iis quae sunt *contra* regulam, nisi Praelatus possit in ea dispensare, et adsit justa causa dispensandi ; — 2° in iis quae sunt *supra* regulam, v. g. si praecipiat magnas macerationes, ad quas aliunde subditus non tenetur, quia tunc superior non habet jus praecipiendi. — 3° in iis quae sunt *infra* regulam, scilicet vana et inutilia, nisi praecipiat ex justa causa secundum regulam, e. g. ut obedientia exerceatur. Nec refert quod regulae jubeant in omnibus obedire ; id enim, non de obligatione voti, sed de obedientiae perfectione intelligitur [4].

48. — *Q.* Religiosus tenetur ne obedire praelato praecipienti revelare secretum ipsi creditum?

R. Distinguo : Si secretum est *commissum*, religiosus non tenetur, imo non potest illud revelare, quia bonum publicum exigit illius conservationem.

[3] S. Alph., Hom. Ap., T. XIII, 16.
[4] S. Alph., L. IV, 39, 40.

Si vero secretum est *naturale*, vel *promissum*, alii dicunt non teneri obedire, quia praeceptum naturale praevalet praecepto Superioris. Sed S. Alph. affirmat si ex secreti occultatione grave detrimentum passurus foret Praelatus, aut monasterium, aut alius innocens, quia tunc secretum naturale vel promissnm non amplius obligaret [1] (Vide dicta vol. I, 1122).

49. — *Q.* Quomodo peccat religiosus qui contra praeceptum obedientiae agit?

R. Religiosus contra praeceptum obedientiae agens: — 1° Peccat leviter si Superior praecipit in materia levi, et praecipit *simpliciter*, v. g. utendo his verbis *jubeo, praecipio*, quia tunc Superior tota sua auctoritate uti non intendit. — 2° Peccat graviter si Superior praecipit in materia gravi, utendo his aut similibus verbis: *in virtute sanctae obedientiae...; in nomine Domini...; sub poena excommunicationis ipso facto*, quia hae formulae denotant Superiorem velle tota sua auctoritate uti, ideoque obligare sub gravi. — 3° Peccat etiam graviter si Superiori obedire recuset in materia quidem levi, sed ex formali contemptu, vel cum gravi aliorum scandalo, vel cum gravi damno communitatis.

50. — *Q.* Quomodo religiosus obedire tenetur ne ullomodo peccet?

R. Ut religiosus in obedientia a quavis levissima culpa expers sit, oportet ut obediat: *Prompte*, idest statim, tempore praescripto, nullisque inquisitis rationibus, aut difficultatibus inanibus in medium adducti. 2° *Exacte*, nempe cum debita cura, ut opus bene perficiatur. 3° *Alacriter*, nempe libenti animo et sine ulla interna voluntatis repugnantia, saltem voluntaria.

51. — *Q.* Religiosus quis agit contra praeceptum obedientiae quotnam peccata comittit?

R. Disput. Th.: Alii volunt quod duo peccata committat, unum contra votum, alterum contra virtutem obedientiae, quia religiosus, etiam sine voto, superiori suo, obedire tenetur ratione traditionis sui ipsius factae in professione [2]. Sed alii dicunt unum solum peccatum committere contra votum obedientiae, quia tantum ex voto tenetur obedire; promissio vero et traditio religiosi facta in professione provenit ex motivo religionis, quod habetur per ipsum votum [3].

Violatio autem obedientiae, licet habeat quamdam speciem seu similitudinem sacrilegii propter suam magnam deformitatem, non est tamen verum seu proprie dictum sacrilegium.

52. — *Q.* Religiosi quibusnam Superioribus obedire tenentur?

R. Religiosi obedire debent: 1° Romano Pontifici, si forte per se ipsum aut per Congregationem de Religiosis aliquid decernat; 2° Ministro seu Superiori Generali; 3° Provinciali; 4° Superiori locali; 5° Eorum vicesgerentibus, quales sunt vicarii, et praepositi diversorum officiorum, si forte isti subalternos habeant.

In mandatorum conflictu, Superioribus altioris gradus obediendum est, nisi Superior immediatus facultatem sive interpretandi,

[1] S. Alph., L. IV, 49.
[2] S. Alph., L. IV, 46.
[3] *De Varceno*, I, Tr. V, c. 5, a. 6.

sive epikejam faciendi habeat, et nisi Superiori altioris gradus vetitum sit Superioris immediati auctoritati in eo casu derogare. Religiosi non exempti, quales sunt fere omnes moniales, Episcopo plus quam Superiori immediato obedire tenentur [1].

53. — *Q.* Valet ne licentia a praelato inferiori concessa, sed a majori denegata?

R. Si praelatus major *positive* prohibeat subdito exequi rem petitam, illa licentia non valet, quia tunc inferior nequit dispensare in mandato superioris. Secus valet, quia praelatus major, denegando tantum licentiam non intelligitur velle irritam reddere potestatem praelati inferioris. Quod si praelatus superior inferiori prohibuit illam licentiam concedere, tunc illicite quidem is concedit, sed valide, nisi Superior hujusmodi licentiam irritam declaraverit [2].

54. — *Q.* Quodnam discrimen inter votum et virtutem obedientiae?

R. Votum obedientiae respicit tantum externam executionem praecepti Superioris: virtus vero respicit internam animi subjectionem. Hinc subditus, qui superioris mandata externe integre servat, sed cum interna et voluntaria repugnantia, voto quidem satisfacit, a virtute tamen longe recedit.

Virtus autem obedientiae tres habet gradus: *primus* consistit in exteriori rei injunctae executione et effectu; *secundus* consistit in corde, nempe in voluntatis nostrae conformatione eum voluntate Superioris; *tertius* ulterius ascendit et in judicio consistit, nempe nostrum judicio Superioris accomodando, ita ut quod Superior fieri jubet, bene id jubere judicemus, nisi evidenter malum vel falsum esse constet. Quando ergo aderit haec conformitas in opere, in voluntate et in intellectu, tunc integra et perfecta erit ebedientia; si quid autem horum defuerit, manca et imperfecta [3].

55. — *Q.* Moniales quibusnam Superioribus vi voti obedire tenentur?

R. Moniales vi voti tenentur obedire: 1° Summo Pontifici; 2° Episcopo loci, si non sunt exemptae, secus Praelato Ordinis. Attamen etiam exemptae tenentur obedire Episcopo loci in iis, in quibus ille se gerit tamquam delegatus Apostolicae Sedis, puta in examine vocationis, professionis, et in observantia clausurae; 3° Abbatissae, in iis quae ad regulam pertinent [4].

ART. III.

De obligatione religiosi extra claustra manentis.

56. — *Q.* Ad quid tenentur religiosus apostata et fugitivus?

R. Praemitto: Religiosus *apostata* ille est qui, post professionem emissam, religionem deserit, animo non amplius ad illam redeundi. *Fugitivus*, qui sine licentia a claustro discedit, cum animo redeundi. Hoc posito:

Religiosus apostata et fugitivus tenentur ad religionem redire, et interim vota et regulam observare, habitum deferre, officium di-

[1] *Berardi*, 674.
[2] S. Alph., L. IV, 50; Hom. Ap., T. XIII, 20.
[3] *Rodriguez*, p. 3, t. 5, c. 2.
[4] S. Alph., L. IV, 51; Cf. *Génicot*, II, 85.

vinum recitare, et quidquid acquirunt, monasterio acquirunt.

57. — *Q.* Ad quid tenetur religiosus ejectus seu dimissus?

R. Praemitto : Religiosus *ejectus* seu *dimissus* est qui a legitimo Superiore e religione perpetuo fuit expulsus ob graves causas, puta quia in acceptatione occultavit impedimentum quod in illa religione censetur essentiale, vel quia in gravi et pernicioso crimine est notorie incorrigibilis. Hoc posito :

Religiosus ejectus : 1° tenetur sub gravi emendationem suam procurare, et correctus serio postulare ut iterum in religionem recipiatur, si dispensatus non fuit a votis modo absoluto, quia licet ob culpam ejectus, remanet tamen religiosus ligatus ; — 2° castitatem servare, et saltem, si in sacris sit, divinum officium recitare ; — 3° quoad votum paupertatis, usum habet omnium quae acquirit, et dominium manet penes cameram apostolicam. — Ad votum vero obedientiae et ad regulas non tenetur nisi iterum acceptetur.

57 (bis) — *Q.* Religiosus dimissus solvitur ne ab omnibus votis religiosis?

R. Religiosus qui vota temporaria tantum emissit, et est dimissus ad normam can. 648, ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641. §. 1. 642. clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem. **Can. 648.**

Religiosus professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant. **Can. 669.**

58. — *Q.* Ad quid tenetur religiosus e religione egressus?

R. Indultum manendi extra claustra, si est temporarium dicitur indultum *extra claustrationis;* si perpetuum dicitur *saecularizationis*. Hoc indultum sola Sedes Apostolica in religionibus iuris pontificiis dare potest; in religionibus iuris dioecesanis etiam loci Ordinarius. **Can. 638.**

Qui indultum *exclaustrationis* ab Apostolica Sede impetravit, votis ceterisque suae professionis obligationibus, quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus ; exteriorem tamen debet habitus religiosi formam deponere; perdurante tempore indulti caret voce activa et passiva, sed gaudet privilegiis mere spiritualibus suae religionis, et Ordinario territorii ubi commoratur, loco Superiorum propriae religionis, subditur etiam ratione voti obedientiae. **Can. 639.**

Qui, indulto *saecularizationis* impetrato, religionem relinquit ; 1° A sua religione separatur, habitus eiusdem exteriorem formam debet deponere, et in Missa et horis canonicis, in usu et dispensatione Sacramentorum saecularibus assimilatur.— 2°A votis liberatus manet, firmis oneribus ordini maiori adnexis, si in sacris fuerit ; non tenetur obligatione horas canonicas vi professionis recitandi, nec aliis regulis et constutionibus adstringitur. **Can. 640.**

Qui e religione, expleto votorum temporariorum tempore aut obtento saecularizationis indulto, egrediantur vel ex eadem fuerint

dimissi, nihil possunt repetere ob quamlibet operam religioni praestitam. — Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit, nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate provideat ut tuto et convenienti modo domum redeat et..... ho este vivere possit. **Can. 643.**

CAPUT VII.

De privilegiis religiosorum.

59. — *Q.* Codex iuris canonici quid statuit circa privilegia religiosorum?

R. Codex iuris canonici circa privilegia religiosorum sequentes canones statuit:

§ 1. Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione. **Can. 613.**

Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123. **Can. 614.**

Regulares, novitiis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis. **Can. 615**

§ 1. Regulares extra domum il legitime degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores, exemptionis privilegio non gaudent.

§ 2. Si extra domum delictum commiserint, nec a proprio Superiore praemonito puniantur, a loci Ordinario puniri possunt, etsi e domo legitime exierint et domum reversi fuerint. **Can. 616.**

§ 1. Si in regularium aliorum vel religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, et Superior monitus prospicere neglexerit, Ordinarius loci obligatione tenetur rem ad Sedem Apostolicam statim deferendi.

§ 2. Domus autem non formata manet sub peculiari vigilantia Ordinarii loci, qui, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, ipse per se potest interim providere. **Can. 617.**

§ 1. Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum.

§ 2. In religionibus tamen iuris pontificii Ordinario loci non licet:

1.° Constitutiones ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 533-535;

2.° Sese ingerere in regimen

internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis; nihilominus in religionibus laicalibus ipse potest ac debet inquirere num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morum ve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num Sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur; et, si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat; si qua tamen maioris momenti occurrant, quae moram non patiantur, decernat statim; decretum vero ad Sanctam Sedem deferat. **Can. 618.**

In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri. **Can. 619.**

Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis. **Can. 620.**

§ 1. Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.

§ 2. Hanc licentiam Ordinarii locurum, praecipue dioecesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit. **Can. 521.**

§ 1. Alii omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit.

§ 2. Religiosi Congregationum iuris dioecesani stipem quaeritare nequaquam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.

§ 3. Religiosis, de quibus in §§ 1 et 2 huius canonis, Ordinarii locorum licentiam quaeritandae stipis ne concedant, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; quod si necessitati provideri possit stipe quaerenda intra locum seu districtum vel dioecesim in qua iidem commorantur, ampliorem licentiam ne largiantur.

§ 4. Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii latini nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eundem finem mittant. **Can. 622.**

Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt. **Can. 623.**

Quod vero attinet ad modum in quaeritanda stipe servandum et ad disciplinam a questuantibus custodiendam, religiosi utriusque

sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis. **Can. 624.**

Abbates regulares de regimine, legitime electi, debent intra tres menses ab electione benedictionem accipere ab Episcopo dioecesis in qua monasterium situm est; postquam vero benedictionem receperint, praeterquam potestate conferendi ordines ad normam can. 964, n. 1, fruuntur privilegiis de quibus in can. 325, excepto pileolo violaceo. **Can. 625** [1].

[1] Appendix *de Clausura*. Cfr. Vol. I., pag. 165.

APPENDIX ALTERA

DECRETUM SS. LEONIS PP. XIII.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestae sanctaeque in se sint, ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur: imo et aliquando ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent: e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice Sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem SS. Canonum praescriptum fuit, ut Sacramentalis Confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est ut hujusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae jam fuerant, haud

raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant.

Quare SS.mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali praefecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die decimaquarta decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

I. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascunque dispositiones Constitutionum piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque etiam quam ajunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatoribus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Cengregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

II. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cujuscumque gradus et praeminentiae sint ne personas subditas inducere pertentent, directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad hujusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit ut Superioribus majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

III. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperiri suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. Praeterea firmo remanente quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Tridentino praescribitur in *Sess.* 25, *Cap.* 10 *de Regul.* et a S. M. Benedicti XIV statuitur in Constitutione quae incipit: « *Pastoralis curae* » Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento poenitentiae recurrere eae facile queant.

V. Quod vero attinet ad per-

missionem vel prohibitionem ad Sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

VI. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum Confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiorea hujusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

VII. Eadem Sanctitas sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Institutorum de quibus supra, sive virorum sive mulierum, ut studiose accurateque hujus Decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

VIII. Denique mandat ut praesentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Conslitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno statuto tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa. sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae ex Secreteria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 decembris 1890.

I. Cardinalis VERGA *Praefectus.*

✠ Fr. ALOYSIUS Episcopus Callinic. *Secretarius.*

BREVE COMMENTARIUM SUPER DECRETUM

QUEMADMODUM

Decretum hoc, uti ex primo ipsius articulo patet, respicit omnia et sola Instituta Religiosa professione et regimine penitus laica; nihil ergo immutatum est quoad Ordines et Congregationes clericales vel eas quae mixta sunt ex clericis et laicis, ac proinde a sacerdotibus reguntur. Objectum vero triplex habet: agitur enim de manifestatione conscientiae; de confessariis monialium; de frequentia S. Communionis.

1° *De manifestatione conscientiae.*

Manifestatio conscientiae duplex est:—Una respicit *culpas externas contra disciplinam et observantiam regulae.*—Altera respicit *quidquid soli confessioni sacramentali reservatum est,* nempe intimam manifestationem conscientiae, uti esset manifestare passiones quibus aliquis vexatur, tentationes quibus subjicitur, peccata in quae prolapsus sit, uno verbo manifestare vitia et virtutes.

At vero Decretum non loquitur de *priori* manifestatione conscientiae. Quare superior laicus, vel Superiorissa, quum semper habeant obligationem invigilandi circa disciplinam et externam observantiam regulae, semper habent jus imo et obligationem subditum interrogandi de disciplina et externa observantia regulae, v. g. an subditus silentium observet, an pia exercitia a regulis praescripta adimpleat, an proprium officium prompte et fideliter exerceat, etc.

Decretum igitur loquitur tantum de *altera* seu de intima manifestatione propriae conscientiae, circa quam tria statuit:

1. Ut omnes dispositiones quae in Constitutionibus seu Regulis respiciunt hanc intimam conscientiae manifestationem *omnino deleantur penitusque expungantur*, etsi dictae constitutiones essent approbatae a Sede Apostolica etiam in forma, ut ajunt, specialissima.

2. Ut Superioribus et Superiorissis districte prohibitum sit ne ullo modo subditos inducere pertentent ad hujusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam.

3. Ut subditi adhuc valeant suum animum Superioribus aperire ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu, modo id faciant omnino *libere et ultro,* tum quoad tempus, tum quoad modum, tum quoad materiam.

Igitur quum haec manifestatio omnino libera et spontanea esse debeat, consequitur quod Superior

nequit *ipsam consulere et curare ut fiat, approbando* qui eam faciunt vel qui omittunt *reprobando;* quia sic agendo, indirecte ad eam subditos induceret, et manifestatio non esset amplius libera et spontanea, Decretum eam tantum *non impedit;* quomodo ergo Superior *reprobare* posset subditum qui omittit rem quam Ecclesia nec *insinuat,* nec *commendat,* sed tantum permittit seu *non prohibet?*

Objicies: 1° Quum haec manifestatio libera sit, subditi, si concordes sunt, possunt, si velint, hanc praxim ut antea continuare. — Respondeo: haec agendi ratio nomen rei mutaret, non substantiam, et irrisorium redderet Decretum. Porro Decretum non nomen, sed remipsam, seu ipsam manifestationem abrogat; ergo.

2° In nostra Congregatione non adsunt abusus a Decreto deplorati. — Respondeo: *Nemo judex in propria causa;* et aliunde Decretum non solum abusus praeteritos tollere, sed etiam futuros et possibiles praevenire et impedire intendit; ergo.

3° Haec manifestatio in se bona est, ergo. — Respondeo: Non sufficit ut res bona sit in se, sed etiam bona esse debet ratione finis et circumstantiarum, v. g. ratione temporis, personae etc., ex noto axiomate: *Bonum ex integra causa;* ergo...

Quando autem aliquis subditus animum suum Superiori libere et ultro aperire vult, Superior ipsum audire tenetur. Sed si in tali manifestatione subditus ultro procedat, manifestando etiam quae soli confessioni sacramentali reservata sunt, Superior prudenter sileat et paterne eum admoneat illa soli confessario reservata esse.

2° *De Confessario Monialium.*

1. Praescriptiones Conc. Trid. et Bened. XIV sunt: — Quod Monasteria ex regula generali unum idemque habeant Confessarium ordinarium. — Quod Episcopi vel Praelati Regulares Monialium teneantur bis vel ter aut etiam quater in anno assignare Confessarium extraordinarium ex approbatis ab Episcopo ad Confessiones Monialium, cui Moniales etsi non teneantur singulae confiteri, tenetur tamen omnes ei se sistere ad audienda salutaria monita. — Quod Superiores debeant cum caritate desiderio indulgere illarum Monialium quae interdum Confessarium ab ipsis optatum petunt, etsi non semper gravia motiva praebeant hujusmodi desiderii.

2. Decretum autem non solum has praescriptiones servat, sed eas faciliores reddit sequenti dispositione, nempe: quod Superiores Confessarium extraordinarium non denegent subditis, *quoties ut propriae conscientiae consulant ad id adigantur,* quin Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. — Quaesitum fuit an casu quo concessus sit monialibus favor recurrendi ad confessarium extraordinarium *quoties* etc., talis concessio ita limitibus et conditionibus careat, ut ipsae eo uti queant constanter quin unquam confessarium ordinarium adeant, et ne ab Episcopo quidem redargui et impediri aliquomodo valeant, si rationibus haud probandis, aut futilibus ductae fuerint? S. C. Ep. et Reg. resp. *Negative.*

3. Petitio Confessarii extraordinarii fieri debet Superiori vel

Superiorissae domus, non vero Episcopo vel praelato regulari qui Confessarium ordinarium statuit. S. C. Ep. et Reg. 17 aug. 1891.

4. Ad subditum et non ad Superiorem spectat judicare quando quis Confessario extraordinario opus habeat. Sacra autem Congr. statuit quod Ordinarius moneat moniales et sorores de quibus agitur, dispositiones art. IV Decr. *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a Conc. Trid. et a Const. Bened. XIV *Pastoralis curae* praescriptum habetur. (S. C. Ep. 1 feb. 1892). Ergo ut monialis extraordinarium licite postulet, non sufficit quaecumque causa levis, sed justa et gravis requiritur.

5. Superior, quicumque sit, nequit Confessarium extraordinarium denegare, quamvis plane videat necessitatem esse fictam et vel scrupulis vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petente apprehensam. In hoc tamen casu subditus moneatur non posse extraordinarium petere, nisi ad id adigatur ut propriae conscientiae consulat. Eadem S. C.

6. Confessarii adjuncti, si quando cognoscant non esse probabilem causam ad se recurrendi, tenentur in conscientia ad declinandam auditionem confessionum sororum. Eadem S. C., 1 feb. 1892.

7. Causae, ob quas subditus Confessarium extraordinarium petere potest, essent, inter alias, si subditus ingentem, experiatur reluctantiam in confitendo penes Confessarium ordinarium, vel si adsit vera ratio spiritualis consolationis et profectus, v. g. si Confessarius ordinarius ex regula generali, veluti ex principio, Communionem frequentiorem reprobaret, vel exigeret dispositiones ultra regulas a probatis auctoribus traditas et praesertim a S. Alph. de Lig.

8. Si causae, ob quas subditus Confessario extraordinario indiget, non ad breve sed ad longum tempus perdurant, tunc ipsi permittendum est ut constanter ad aliquem e Confessariis adjunctis recurrat, sed in hoc casu Episcopus non debet silere, sed potius intervenire aliquo modo procurando ut salva sit sancita Bulla *Pastoralis* Eadem S. C., 1 feb. 1891.

9. Observare oportet quod Ecclesia generatim vetat ne Superiores domus sint etiam Confessarii ordinarii Monialium. Ratio evidens est; ipsi enim Superiores plena libertate non gauderent ad proprium munus obeundum, et subditi non semper aut non omnes debitam confidentiam cum ipsis habere possent: quae res praesertim observanda erit pro puellis educandis [1].

10. Demum, non abs re erit adnotare quod illae Communitates quae semper habent unum eundemque Confessarium ordinarium et unum eundemque extraordinarium male respondent menti Ecclesiae et dispositionibus Decreti; unde quam maxime saltem convenit Confessarium extraordinarium saepius mutare.

---

[1] S.C. S. R. et U. Inquisitionis die 5 julii 1899 decrevit ne Superiores confessionem exciperent suorum subditorum. Hoc decretum in alma Urbe est praeceptivum, extra Romam tantum directivum, sed valide commendandum.

3° *De frequentia SS Eucaristiae.*

1. Consuetudo Monialium quotidie ad S. Communionem accedendi *laudabilis* est. S. Poenit. 19 dec. 1885.

2. Statuta circa Communionem in familiis religiosis haberi non debent ut *prohibitiva*, ne plures fiant Communiones. — Quaesitum enim fuit an Statuta (seu Catalogum Communionum) haberi debeant ut prohibitiva ne plures fiant Communiones ; vel praeceptiva, ita ut omnes moniales conentur ita vivere, ut mereantur ad sacram Communionem accedere saltem in illis diebus ; et S. C. Ep. et Reg. resp.: *Negative ad primam partem*, at facultatem frequentius ad S. Synaxim accedendi relinquendam esse privative judicio Confessarii, excluso consensu superioris, vel superiorissae. *Affirmative ad secundam partem*, quoties rationabilis causa non obstet. Die 4 aug. 1888 ad Archiep. Burdigalen.

3. Confessarius, qui curat et permittit ut propriae poenitentes (Moniales, vel Puellae Caritatis) ad sacram Synaxim accedant frequentius et etiam quotidie juxta mentem Trid., dummodo habeant respectivas dispositiones nec propter hoc muneribus proprii officii deficiant, *non est inquietandus*. C. S. Off. 2 jul. 1880.

4. Permissio vel prohibitio accedendi ad S. Communionem spectat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium, quin Superiores auctoritatem habeant hac in re sese ingerendi, excepto casu quo subditus post ultimam Confessionem sacramentalem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Poenitentiae sacramentum accesserit. (Decretum *Quemadmodum*, a. V).

Igitur si subditus qui Communitati scandalo fuerit, vel gravem externam culpam patraverit, ad Poenitentiae sacramentum accesserit et Confessarius Communionem permiserit, Superior nequit amplius Communionem prohibere, etsi subditus forte nondum scandalum reparaverit, quia ad Confessarium tantum spectat judicare sive de obligatione scandalum reparandi, sive de tempore et modo hoc praestandi.

5. Subditus qui licentiam obtinuit accedendi saepius ad S. Communionem tenetur hanc licentiam Superiori, vel Visitatori, vel Provinciali participare solum quando licentiam obtinuit pro Communione *communiter* frequentiori aut quotidiana; non vero si agatur de licentia *pro aliqua tantum* Communione quae fit praeter dies toti Communitati statutos. S. C. S. Off. 2 jul. 1890.

Haec participatio fieri debet ab ipso poenitente, nec necessaria est responsio Superioris, et sufficit quod haec participatio fiat *semel* tantum.

6. Ad Confessarium solum spectat judicare de dispositionibus poenitentis juxta regulas a probatis auctoribus traditas, et praesertim a S. Alph. de Lig. S. Poenit. 19 nov. 1885.

7. Causae ob quas Confessarius permittere potest Communionem frequentiorem ex Decreto R. P. Leonis XIII duae sunt: *fervor* et *spiritualie profectus* poenitentis. Ergo major vel minor frequentia Communionis non solum a poenitentis fervore, sed etiam ab ejus

utilitate et profectu determinari debet. Errant proinde qui unam tantum causam admittunt saepius accedendi ad Communionem, nempe fervorem, et silent de secunda causa nempe de spirituali poenitentis profectu.

8. Si Superior juxtas gravesque causas se habere reputet contra frequentiorem Communionem, eas Confessario manifestare tenetur; facta autem hac manifestatione judicio Confessarii omnino acquiescere debet. Decret. Leonis XIII.

9. Quum autem ex decisione S. Rom. Ecclesiae Statuta in familiis religionis haberi non debeant ut *prohibitiva* ne plures fiant Communiones, evidenter errant: — 1° Qui docent Communiones exceptionis non esse juxta voluntatem Dei, quia non sunt juxta regulas; nam quae sit Voluntas Dei circa frequentiorem Communionem nullo meliori et tutiori modo nobis constare potest quam ex mente et doctrina S. Rom. Ecclesiae; et aliunde quaevis Regula quae frequentiorem Communionem prohiberet vel reprobaret eo ipso cessaret esse Regulam, quia esset contra Decretum. — 2° Qui docent Communiones exceptionis non esse faciendas ne violetur uniformitas, bonum maximum in Communitatibus; haec enim doctrina evidenter est contra mentem Ecclesiae et irrisorium redderet Decretum. Certe uniformitas magnum bonum est in Communitatibus; sed prudentiae Confessariorum spectat judicare quidnam, omnibus perpensis, utilius est poenitenti.— 3° Demum errant qui dicunt Communiones exceptionis esse *gratiam* a Confessariis factam, proindeque non adesse obligationem illas acceptandi et faciendi. Si confessarius illas libertati poenitentis relinquit, peenitens liber est eas facere vel omittere. At si Confessarius ob causas sibi notas eas poenitenti injungit, poenitens obedire tenetur, secus actum esset sive de auctoritate Confessariorum, sive de directione animarum.

DE STATU CLERICORUM

Tractatus de statu clericorum quatuor capitibus constat; 1° *De statu clericorum in genere*; 2° *De obligationibus communibus*; 3° *De Horis canonicis ;* 4° *De obligationibus particularibus. — Accedunt duae Appendices : prima de Beneficiis ecclesiasticis ; altera de Immunitate ecclesiastica.*

CAPUT I.

De statu clericorum in genere.

56. — *Q.* Quinam dicuntur clerici, et quid est status clericalis?

R. Clerici dicuntur qui per primam saltem tonsuram divinis ministeriis mancipati sunt.— Clerici non sunt omnes in eodem gradu, sed inter eos sacra hierarchia est, in qua alii aliis subordinantur. **Can. 108.** § 1, 2.

Status clericalis igitur ille est in quo quis per primam saltem tonsuram a saeculo segregatur, et divino cultui et ecclesiastico ministerio dedicatur [1].

57. — *Q.* Quid est hierarchia ecclesiastica, et quonam iure instituta est?

R. Hierarchia, graeca vox, quae latine significat *sacrum principatum* est complexio hominum qui Ordini clericali sunt adscripti, quique inter gradum suum quadam spirituali potestate gaudent a Christo Domino tributa.

De fide autem est adesse in Ecclesia Hierarchiam divinitus institutam [2]; unde iure divino clerici a laiciis distinguuntur.

58. — *Q.* Clerici quanam potestata praediti sunt?

R. Clerici duplici potestatè praediti sunt, ordinis et iuridictionis; hinc Hierarchia alia est ordinis, alia iurisdictionis. Ad Ordinem pertinet consecrare et benedicere, ad iurisdictionem regere, ligare et solvere.

Ex divina institutione sacra Hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, praesbyteris et ministris: ratione jurisdictionis Pontificato supremo, et Episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere. **Can. 108.** § 3.

59. — *Q.* Clericus tenetur ne adscribi alicui dioecesi?

R. Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui

[1] Vox *clerus* a graeco idiomate, latine *sortem* significat; unde clericus Deum habere ut suam partem et hereditatem, et ideo dicitur *in partem Domini vocatus.*

[2] Conc. Trid. sess. XXIII, c. VI.

religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur. — Per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt, *incardinatur* dioecesi pro cuius servitio promotus fuit. **Can. 111.**

60. — *Q.* Quid est excardinatio, et quid requiritur ut valida sit?

R. Excardinatio est adscriptio clerici alienae dioecesi. — Ut autem clericus alienae dioecesi valide adscribatur, seu incardinetur, a suo Ordinario obtinere debet litteras ab eodem subscriptas excardinationis perpetuae et absolutae; et ab Ordinario alienae dioecesis litteras ab eodem subscriptas incardinationis pariter perpetuae et absolutae. **Can. 112.**

Ceterum Ordinarius ad incardinationem alieni clerici ne deveniat, nisi necessitas aut utilitas dioecesis id exigat, et salvis iuris praescriptis circa canonicum ordinationis titulum. **Can. 117.**

62. — *Q.* Quaenam iura et privilegia clericorum?

R. Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere. **Can. 118.**

Omnes fideles debent clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam, seque sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint. **Can. 119.**

Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit. **Can. 120 § 1.**

Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis clericali alienis immunes sunt. **Can. 121.**

CAPUT II.

De obligationibus clericorum.

63. — *Q.* Quotuplicis generis sunt obligationes clericorum?

R. Obligationes clericorum aliae sunt *positivae*, aliae *negativae*; quae omnes iterum dividentur in *communes*, quae nempe omnibus clericis conveniunt, et in *particulares* quae ad eos specialiter spectant qui vel pastorale ministerium exercent, vel numero aliquo ecclesiastico speciatim funguntur. — De particularibus in capite quarto; hic de communibus tantum.

64. — *Q.* Quaenam *positivae* obligationes communes clericorum?

R. Obligationes communes positivae clericorum sex praecipuae sunt: sanctitas vitae; — coelibatus pro constitutis in sacris; — gestatio habitus clericalis et tonsurae; — obedientia proprio Ordinario; — exercitium proprii ministerii; — et recitatio horarum canonicarum pro constitutis in sacris et beneficiariis.

§ 1°

De vitae sanctitate.

65. — *Q.* Clerici tenetur ne ad specialem vitae sanctitatem?

R. Clerici tenentur ad specialem vitae sanctitatem et eo maiorem, quo altior est gradus sacrae Hierarchiae in quo positi sunt, tum ex praecepto divino, tum ex dignitate status, tum ex sanctitate ministerii.

Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et

recte factis in exemplum excellere. **Can. 124.**

Quare locorum Ordinarii curent: 1° ut clerici omnes poenitentiae sacramento frequenter conscientiae maculas eluant; 2° ut iidem quotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, sanctissimum Sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant. **Can. 125.**

Omnes sacerdotes saeculares debent tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designato vacare; neque ab eis quisquam crimatur, nisi in casu particulari, iusta de causa ac de expressa eiusdem Ordinarii licentia. **Can. 126.**

§ 2°

De caelibatu.

66. — *Q.* Clerici tenetur ne ad caelibatum?

R. 1° Clerici in maioribus ordinibus constitutis a nuptiis arcentur, et servandae castitatis obligatione tenentur; 2° Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt; 3° Coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab corundem ordinum exercitio prohibetur. **Can. 132.**

Haec caelibatus obligatio pro clericis in sacris ex communi sententia non est ex jure divino, sed ex jure ecclesiastico. — An vero sit immediate ex praecepto Ecclesiae, vel immediate ex voto, quod in ipsa ordinatione emittitur, disputant Th.. Sententia communior et probabilior tenet ipsam oriri immediate ex voto quod secundum Ecclesiae mentem in ipso facto ordinationis emittitur [1].

NOTA: Circa obligationem caelibatus Ecclesia aliquid Orientalibus indulget. Hi enim prohibentur quidem matrimonium contrahere post diaconatum; sed, si ante diaconatum jam erant legitime conjugati, possunt cum uxore vivere et ad presbyteratum ascendere; at ab episcopatu omnino arcentur.

67. — *Q.* Tenetur ne ad castitatem: 1° qui in ipso facto ordinationis expresse nollet castitatem vovere; 2° qui obligationem castitatis ignoraret; 3° qui invalide ordinatus fuisset?

R. Ad 1um: Affirmative, non quidem vi voti quod non emisit, sed certe ex praecepto Ecclesiae, quae, deficiente voto, eum ad castitatem adstringeret ex motivo religionis. Ita Th. communiter [2].

Ad 2um: Disput. Th.. Alii affirmant, etiamsi obligationem inculpabiliter ignoraret, modo vere intendat Ordines sacros suscipere, quia tunc implicite omnes obligationes Ordini adnexas assumere intendit. Alii vero negant, si Ordinem suscipit ignorans invincibiliter ei adnexum esse caelibatum [3].

Ad 3um: Negative, si invalide ordinatus fuisset ex defectu formae, vel materiae, vel intentionis, puta si quis per vim aut gravem metum Ordinem susciperet sine animo eum suscipiendi. In dubio

[1] S. Alph., L. VI, 808.
[2] S. Alph., L. VI, 809.
[3] *D'Annibale*, I, 147, (22).

tamen praesumendum est pro valore ordinationis.

NOTA: Qui ratione invalidae ordinationis non obligatur ad castitatem, nec ad divinum Officium tenetur [1].

§ 3°

De habitu et tonsura.

68. — *Q.* Clerici tenentur ne deferre habitum ecclesiasticum et tonsuram ?

R. Omnes clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legittimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, tonsuram seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent, et capillorum simplicem cultum adhibeant. — Clerici minores qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt. **Can. 136.**

Quare clerici in ordinibus sacris constituti, vel aliquo beneficio insigniti, peccant si habitum ecclesiasticum iuxta consuetudinem suae regionis non deferant, et graviter peccant si non deferant per notabile tempus, nisi rationabili causa excusentur ; et etiam si ad breve tempus dimittant aut occultent ad finem graviter malum. — Quodnam vero temporis spatium requiratur ad peccatum mortale hoc non regula generali, sed ex solis circumstantiis determinari potest. — Causa autem rationabilis excusans esset periculum gravis damni, periculum persecutionis, vel si quis in regiones pergeret in quibus clerici non solent publice habitum ecclesiasticum gestare.

§ 4°

De obedientia ordinario praestanda.

69. — *Q.* Clerici tenentur ne Ordinario obedire ?

R. Omnes clerici, praesertim vero presbyteri, speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et obedientiam exhibendi. **Can. 127.**

Clerici autem obedientiam Episcopo praestare debent: 1° Quia Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; 2° Quia sacri Canones hanc obedientiam praecipiunt; 3° Quia sacerdos in ordinatione ponens manus suas iunctas inter manus Episcopi dicentis : *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam ?* Respondit : *Promitto.* Hinc Benedictus XIV (Const. *Ex quo*): « Neque porro nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam Presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, juxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum ».

Episcopo praecipienti parendum est non solum si legem condat, sed etiam si in particulari aliquid ad modum veri praecepti exigat; et de hoc nemo dubitat. — Inter alia vero quae propter reverenetiam et obedientiam Episcopo debitam praestari debent sub gravi, praecipuum est ut Sacerdos, Episcopo non certiorato, Dioece-

[1] S. Alph., L. VI, 810.

sim non deserat ; eoque renuente alio non migret, nisi irrationabiliter prorsus Episcopus renueret, ut puta, si quis Religionem profitendo meliorem statam eligere vellet : quo casu, nisi forte Dioecesis in magnis angustiis versaretur, Episcopus dissentire nequiret. (Cf. Benedictum XIV, Constit. cit.).

§ 5°

De exercitio proprii ministerii.

70. — *Q.* Clerici tenentur ne proprium ministerium exercere ?

R. Clerici tenentur proprium ministerium exercere ne dicantur inaniter ordinati. Hinc quoties et quandiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legittimum impedimentum excuset, suscipiendum est clericis ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum. **Can. 128.**

Clerici, idcirco, studia praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant ; et in sacris disciplinam solidam illam doctrinam a maioribus traditam et communiter ab Ecclesia acceptam sectentur, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam. **Can. 129.**

§ 1. Expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum.

§ 2. In collatione officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ratio habeatur eorum qui, ceteris paribus, in memoratis periculis magis praestiterunt. **Can. 130.**

§ 1. In civitate episcopali et in singulis vicariatibus foraneis saepius in anno, diebus arbitrio Ordinarii loci praestituendis, conventus habeantur, quos *collationes* seu *conferentias* vocant, de re morali et liturgica ; quibus addi possunt aliae exercitationes, quas Ordinarius opportunas indicaverit ad scientiam et pietatem clericorum promovendam.

§ 2. Si conventis haberi difficile sit, resolutae quaestiones scriptae mittantur, secundum normas ab Ordinario statuendas.

§ 3. Conventui interesse, aut, deficiente conventu, scriptam casuum solutionem mittere debent, nisi a loci Ordinario exemptionem antea expresse obtinuerint, tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti curam animarum habentes, et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt. **Can. 131.**

Sacerdotes, ait Cl. Berardi, in sacra ordinatione Divinum Sacrificium offerendi, Poenitentiae Sacramentum administrandi, verbum Divinum annunciandi, etc., potestatem acceperunt. Hanc autem, potestatem exercendi aliquam eos habere obbligationem (nisi legitima causa excusentur) Th. communiter asserunt, dicente S. Thoma [1] : « Unusquisque tenentur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum » ; secus enim in vacuum gratiam Dei recepissent et frustra

[1] P. 3, q. 81, a. 10.

pro hominibus constituti fuissent in iis quae sunt ad Deum, neque pro Christo (prouti debent) legatione fungerentur.

Haec obligatio sub gravi urgere potest, idque certe contingeret si populus eorum ministerio valde indigeret : puta si Parochus et Vicarius sive ad confessiones audiendas (maxime in Paschate), sive ad rudes catechizandos, sive ad infirmos assistendos, etc., non sufficerent. Item si Parochus repente aegrotaret, aut sine Vicario remaneret, et interim necesse sit ut Sacerdos parochianus suppleat ; idque speciatim in locis montanis, ubi valde difficile esse solet cito supplentes invenire. Idem dic de Missae celebratione, si (te non celebrante) populus aut pars populi sine Missa die festo remanere cogeretur. Utique Parochi aut Parochiani debent congruam Sacerdotibus pro eis laborantibus eleemosynam suppeditare, qui enim altari inservit de altari vivere debet ; sed dari possunt circumstantiae, in quibus (attenta Parochi paupertate aut casus urgentia) Sacerdotes etiam sine elemosyna servitium praestare teneantur. Imo, et praeter casus illos urgentes, non bene se gerunt ii Sacerdotes, qui ex consulto solum quando pecuniam aut prandium expectant ad ecclesiam se conferunt. Demum notandum contingere posse ut quis officium quoque sive Vicarii sive Parochi (quando jam aliter provideri nequit, et maxime ex Episcopi praecepto) acceptare in conscientia teneatur. (Cf. Lambertini, Notif. XCIV) [1].

[1] *Berardi*, 356.

Monita a clericis servanda

Monitum primum. 1. Incede in habitu gravi, modesto, mundo, canonico — 2. Summo Pontifici et Episcopo tuo esto obediens in praeceptis, decretis, monitis ; obsequens corde, verbo, opere — 3. Fuge domus suspectas, consortium mulierum, ludos, choreas, theatra, venationes, contemptus, susurrationes et tumultus in Episcopum, superiorem quemcumque ; viles famulatus et turpem oeconomiam ; avaritiam ex munerum acceptione, ex inopportunis exactionibus, ex rei alinae administrationibus.

Monitum secundum. 1. Exercitate in scientia divina, ecclesiastica, civili. « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi » (*Os.* 4, 6).

2. In prudentia, in consiliis, judiciis et imperiis. « Dux indigens prudentia multos opprimet » (*Prov.* 28, 16).

3. In modestia et gravitate, in vestibus, sermonibus et moribus.

4. In liberalitate erga pauperes, peregrinos et templum. « Quo modo potueris, ita esto misericors » (*Tob.* 4, 8).

5. In temperantia quoad divitias, convivia, solatia.

6. In integritate coram Deo, hominibus, teipso.

Monitum tertium. « Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei » (*Lev.* 20, 26). « Sacerdotes induantur justitiam » (*Ps.* 131, 9). Perpende igitur numeris tui dignitatem angelicis humeris formidandam, regia celsitudine excelsiorem, omnibus venerabilem, admirabilem potestatem in Corpus et Sanguinem Filii Dei, in peccata hominum remittenda, in aereos atque tartareos spiritus ; strictam obligationem tuam studendi angelicae puritati, seraphico fervori, incessanti progressioni in virtutibus. Factus es interpres et legatus Dei, aeterna decreta promulgans, sacerdos in aeternum, immolans et offerens Filium aeterni Patris in victimam ; mediator inter Deum et homines per oblationem sacrificii pacis precumque fidelium. Cave itaque ne sis : sacrorum contemptor, periculosae aut dubiae doctrinae sectator, rigidus et asper, aut remissus in poenitentes, avarus, immundus, impudicus, vinolentus, turpis lucri cupidus (1ª *Tim.* 3 ; *Tit.* 1) ; sed esto : pius, sobrius, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis factus (*Hebr.* 7, 26).

Monitum quartum. Obsecro vos « ut

ART. II.

De negativis clericorum obligationibus.

68. — *Q.* Quaenam sunt obligationes communes *negativae?*

R. Obligationes communes *negativae*, seu res quae communiter clericis prohibentur, sunt ea omnia quae statum clericalem dedecent, praecipue vero sequentia :

1. *Habitatio cum mulieribus sub eodem tecto.* Haec vero cohabitatio sapienter prohibita est, tum ne clericus versetur in periculo peccandi, tum ut nemo dubitare possit de bonitate et sanctitate ejus vitae. Attamen permissum est habitare cum matre, vel sorore, vel proxima consanguinea aut affine, in gradibus a Synodo propriae dioecesis permissis, modo tamen nullam praebeant occasionem periculi aut scandali.

Quoad *famulas*, si Synodus propriae dioecesis aliquam aetatem praescribit, clericus praescriptioni Superioris obedire tenetur, et si specialis necessitas aliter suadeat, specialis licentia ab Episcopo obtineri debet. Clericus autem curare debet ut soror, vel consanguinea, vel famula, quae cum ipso habitat, gravitate, modestia ac pietate ita spectabilis sit, ut omnem suspicionem removeat.

Demum clericus, qui mulierem, de qua suspicio haberi possit, in domo vel extra retinet, si monitus eam non dimittat, ad eam rejiciendam etiam per poenas canonicas adstringi potest. Ita Trid.[1]. — Ceterum mens Ecclesiae est ut non solum cohabitatio, sed et ipsa frequentia vel familiaritas mulierum vitetur ; ad quod attendere debet Sacerdos nimis propriis viribus, vel mulieris sanctitate stulte confisus.

2. *Interesse theatris et choreis*, id enim esset causa dedecoris, scandali et periculi : unde ex his omnibus, praeterquam ex ipsa re, metiendum est peccatum in eo qui theatris vel choreis interesset. Non est tamen vetitum interesse iis repraesentationibus quae in religiosis communitatibus vel collegiis habentur, servata debita modestia et temperantia.

3. *Ingressus in tabernas et popinas*, seclusa necessitate, v. g. ratione itineris ; id enim opponitur clericali modestiae et gravitati.

4. *Ludus aleatorius*, qui prohibetur beneficiatis et clericis saltem in sacris constitutis ; sed duo simul requiruntur, nempe : 1° ut

digne ambuletis vocatione, qua vocati estis » (*Eph.* 4).

En media efficacia :

1. Timor et amor Dei. — 2. Custodia sensuum et cordis. — 3. Sancta occupatio memoriae, intellectus et voluntatis. — 4. Usus frequens meditationis et examinis conscientiae, Sacramenti Poenitentiae, visitationis sanctissimi Sacramenti, collationis cum confessario vel patre spirituali, lectionis spiritualis. — 5. Devotio erga Ss. Cor Jesu, B. M. V., S. Angelum Custodem, S. Josephum, S. Aloysium et Sanctos patronos. — 6. Cautela et moderatio in negotiis, conversationibus, solatiis. — 7. Fidelitas in servanda temporis oeconomia, sanctificandis diebus festis, obeundis quotidianis pietatis exercitiis.

Utinam tria haec saperes, intelligeres, provideres : — *praeterita:* malum commissum, bonum omissum, tempus amissum ; — *praesentia:* vitae brevitatem, salvandi necessitatem, salvandorum paucitatem ; — *futura :* mortem, qua nihil miserabilius ; judicium, quo nihil terribilius ; poenam inferni, qua nihil intolerabilius.

[1] Sess. XXV, c. XVI *de Ref.*

sit omnino aleatorius, seu ex mera sorte; 2° ut fiat causa lucri. Hinc clericus si privatim aleis ludit causa tantum honestae recreationis, sine scandalo, debito tempore, cum nullo vel minimo lucro, nullomodo peccat. E contra si ludit frequenter et diu, etiam forte secluso scandalo, letali non caret [1]. Item qui frequenter ludit *ludo publico* graviter peccat, quia nimium animus avocatur a divinis et a proprio ministerio, et scandalum praebetur.

5. *Venatio et armorum gestatio*, seclusa necessitate, ad imitationem lenitatis Christi. Venatio duplex est: *clamorosa*, quae fit cum armorum strepitu adhibitis canibus aut avibus rapacibus; et *non clamorosa*. — Haec, cum fit tantum recreationis causa, licita est, nisi in propria dioecesi adsit specialis prohibitio: illa vero clericis prohibita est, et quidem sub gravi si frequens, vel si adesset scandalum et contumacia.

6. *Ars chirurgi et medici*. Prohibitio respicit tantum clericos in sacris constitutos. Isti tamen artem exercere possunt de licentia S. Pontificis, qui conditionem addere solet, ut ars exerceatur nullam mercedem exigendo, et absque adustione vel incisione. At in casu necessitatis si desit peritus saecularis, clericus peritus incisionem et adustionem, agere poterit.

7. *Officia forensia et civilia*. Beneficiatis et ordinatis in sacris prohibentur officia judicis in causa sanguinis, advocati, procuratoris, notarii in foro saeculari, nisi clericus agat causam suam vel suae ecclesiae, vel pauperis aut conjuncti; quoad alios S. Pontifex nonnisi ex gravi causa et cum limitatione concedere solet, quia *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* [2].

Item prohibitum est officium tutoris, curatoris, aut procuratoris minorum, si officium obligationem importet reddendi rationem de administratione bonorum, excepto casu quo minores seu pupilli sint proxime propinqui.

Item prohibitum est officium administratoris bonorum personae laicae et privatae (vulgo *fattore*), si adsit obligatio rationem reddendi. Attamen S. Alph. non auderet damnare de mortali clericum qui ob talem procurationem propria munera non negligeret.

Item prohibitum est personaliter et publice exercere *artes viles* aut immites quae statui clericali repugnant, uti esset ars fabrilis, officium cauponis vel macellarii etc. [3].

8. *Negotiatio*. Haec autem triplex est: 1° Alia *oeconomica*, qua emuntur necessaria ad vitam, et superflua venduntur. 2° Alia *artificialis* qua aliquid emitur ut per industriam mutatum vendatur, v. g. colores ut vendantur picturae, uvae ut vendatur vinum, animalia ut ex eorum fructibus lucrum ac-

[1] *D'Annibale*, III, 160. — *Quantum* autem ludant, idest multum ne an parum, verius ad rem non pertinet, nisi aut scandalum praebeant, aut de beneficii reditibus ludant. *Ib.* (35).

[2] Ex sacris canonibus non licet clericis absque legitima potestatis ecclesiasticae licentia assumere et exercere officia civilia seu laicalia.

Nunquam vero licet assumere officium civile quod exigit juramentum contrarium juribus et legibus Ecclesiae, uti esset hac tempestate in Italia officium Syndici, vice-Syndici, aut thesaurarii.

Quoad alia officia, v. g. consiliarii et adsessoris municipalis, tolerari potest.

[3] S. Alph., L. III, 838; L. IV, 190.

quiratur aut saginata vendantur. 3° Alia *lucrativa*, qua aliquid emitur animo illud non mutatum carius revendendi. — *Prima* et *secunda* negotiatio per se non prohibentur, modo absit scandalum et avaritia ; *tertia* vero prohibita est clericis. Est autem peccatum grave si sit per se turpis, vel adsit scandalum grave, aut frequenter fiat et in magna quantitate ; secus erit tantum veniale [1].

Aliquando tamen negotiatio lucrativa permitti potest si exerceatur in gratiam alicujus communitatis, vel personae particularis; sed requiritur ut adsit necessitas, ut haec necessitas alia via tolli nequeat, ut negotiatio non sit per se turpis, ut obtineatur debita licentia a Superiore.

Monitum Necessarium

In variis muneribus quae ad statum clericorum spectant v. g. de horis canonicis, de habitu et tonsura, de residentia, etc. conferendi sunt Canones Codicis Iuris Canonici.

Codex autem Iuris Canonici relate ad varia divina munera quae ad statum clericorum spectant omittit distinctionem inter simplices clericos, et clericos in sacris constitutos, et beneficiatos, et omnes clericos complectitur, qui nempe per primam saltem tonsuram mancipati sunt. **Can. 108.**

CAPUT II.

De Horis canonicis.

69. — *Q.* Quid sunt horae canonicae ?

R. Horae canonicae definiri solent : *Preces vocales ab Ecclesia institutae, juxta ejus praescriptum recitandae a personis ad id deputatis.* Dicuntur : 1° *preces vocales*, unde non sufficit ut officium sola mente legatur, aut tantum oculis percurratur, sed mente simul et voce persolvendum est ; 2° *ab Ecclesia institutae*, et sic distinguuntur ab iis, quae a fidelibus eliguntur, et innuitur ecclesiasticum praeceptum distinctum a praecepto naturali et divino Deum precandi ; 3° *juxta ejus praescriptum* quia sunt recitandae forma et hora ab Ecclesia praescriptis; 4° *a personis ad id deputatis*, quae nempe eas persolvunt nomine totius Ecclesiae, ideoque hae preces rationem habent publicae orationis, licet privatim a clericis recitentur.

Horae canonicae dicuntur etiam *Officium ecclesiasticum* quia nomine Ecclesiae persolvuntur; vel *Officium divinum*, quia ad Dei cultum institutae sunt; vel *Brevia-*

[1] Negotiationem proprie dictam clerici exercere nequeunt sive per *seipsos*, ut omnes conveniunt, sive etiam *per alios*, ut definivit Bened. XIV (Const. *Apostolicae servitutis*, 25 febbr. 1741), qui finem imposuit controversiis veterum DD. Attamen juxta recentiores S. Sedis responsiones non sunt inquietandi clerici qui emunt *actiones* societatum industrialium et commercialium, dummodo parati sint stare mandatis Sedis Ap., et nullam partem administrationis suscipiant in societatibus, et praesertim ab omni contractu qui speciem negotiationis habet, ut vulgo dicitur, *dei giuochi di borsa* (S. C. S. Of. 15 apr. 1885), nempe non licet emere ejusmodi actiones ut carius vendantur. Cf. *Génicot*, II, 39, 41; *Marc*, 2227.

rium, quia Sacram Scripturam, Patrum sententias, et vitas Sanctorum breviter continent.

Horae canonicae septem numerantur: *Matutinum cum Laudibus*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vesperae*, *et Completorium*.

70. — *Q*. Quaenam origo horarum canonicarum?

R. — 1. Si agatur de *substantia*, prout nempe sunt preces quae statutis horis recitari consueverunt, facile ab ipsis Apostolis repeti possunt, nam *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam ;* imo, omnes fideles nascentis Ecclesiae *erant perseverantes in communicatione fractionis panis, et orationibus* [1]; idest in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.

2. Si vero agatur de *forma* qua hodie recitantur, horae canonicae opus sunt Romanorum Pontificum. S. Pius V, in Const. *Quod a nobis*, 7 jul. 1568, omnia alia Breviaria, quae nondum a ducentis annis legitima consuetudine introducta essent, abolevit. Dein Breviarium romanum recognitum fuit a Clem. VIII, et nostris temporibus a Leone XIII et a Pio X.

Agentes de horis canonicis dicemus: 1° de obligatione recitandi Horas canonicas; 2° de forma, ordine, tempore, loco et situ, deque modo eas recitandi; 3° de causis a recitatione excusantibus.

ART. I.

De obligatione recitandi Horas canonicas.

71. — *Q*. Quinam tenentur ad Horas canonicas?

R. — 1. Ad Horas canonicas tenentur vi *sacri ordinis* omnes clerici in sacris, etiamsi sint excommunicati, suspensi, aut degradati, et hoc tum jure ecclesiastico, tum generali consuetudine [2].

Ordinatus ad subdiaconatum in die ordinationis juxta nonnullos tenetur solum ad horam quae tunc esset dicenda in choro : unde si ordinatur hora undecima tenetur tantum ad Vesperas, cum eo tempore, regulariter, aliae horae jam persolutae sint in choro. Sed juxta sententiam communem tenetur ad horam respondentem horae qua ordinatur, et in qua contrahit obligationem, nempe, regulariter, ad sextam [3].

An autem subdiaconus, qui aliquam horam recitaverit ante susceptam ordinationem, suae obligationi satisfecerit, disput. Th.. Sententia probabilior negat, quia debito nequit satisfieri antequam contrahatur ; sed sententia affirmans, juxta S. Alph., sat probabilis est, quia bene potest debitum illud anticipate solvi, quod morali certitudine est contrahendum.

2. Ad horas canonicas tenentur vi *professionis religiosae*, omnes religiosi solemniter professi choro addicti Can. 610. §. 3. [4]. Qua

[1] Act. Apost. III, 1; II, 42.

[2] An obliget poenitentia ab Episcopo imposita subdiaconis et diaconis recitandi Nocturnum diei currentis, et sacerdotibus tres Missas celebrandi, disput. Th., Alii affirmant : sed alii probabiliter censent dicendas esse tantum de decentia, non autem de obligatione, saltem gravi, cum de ea non constet. S. Alph. Hom. Ap., Append. III, 91.

[3] S. Alph., L. IV, 140.

[4] An moniales, in genere, stricte obligentur sub gravi, vi suae professionis ad recitationem divini officii suo instituto proprii ? S. C. EE. et RR. 19 apr. 1884 respondit: «Affirmative quoad mo-

re non tenentur 1° novitii; 2° conversi, qui tamen tenentur sub levi recitare quasdam preces a Regula praescriptas; 3° religiosi societatis Jesu; 4° hospitalarii et ceteri religiosi choro non addicti. — Dixi: *solemniter professi.* Quaesitum enim fuit: « An professi votorum *simplicium*, quae, juxta litteras encyclicas datas die 19 martii 1857, professioni votorum solemnium praemitti debent, teneantur ad officium divinum? » S. C. Regul. die 6 augusti 1858 respondit: « Eos non teneri ad privatam recitationem, debere tamen choro interesse ut solemniter professi ». Idque etiamsi recitationem regula praescribat, ut in ordine Minorum. S. C. EE. et RR. 24 mart. 1882.

Religiosi solemniter professi et ad chorum addicti si choro non intersint tenentur sub gravi officium recitare privatim quia obligatio religiosi non cadit in chorum, sed in recitationem officii ratione religionis quae illud onus in suo instituto suscepit. Attamen ex quacumque rationabili causa, utputa studiorum, per superiores dispensari possunt qui non sunt in sacris. Et licet obligatio chori sit gravis pro communitate, tamen est levis pro singulis religiosis, dummodo chorus prorsus non tollatur. Superiores vero sub gravi tenentur invigilare ut obligatio chori adimpleatur.

Paucitas religiosorum excusat totam communitatem; at, si adsint ad minus quatuor expediti, nempe nec infirmi nec legitime occupati, ad chorum tenentur.

An vero religiosi solemniter professi, sed per sententiam ejecti, adhuc teneantur ad officium, plures Th. probabiliter negant, quia in eis jam extincta est essentia status religiosi, cum non amplius teneantur ad vota, nec sit in eorum potestate ad religionem redire. Idem dic de religioso qui facultatem obtinuit perpetuo vivendi extra monasterium, quia etsi maneat religiosus, non tamen manet regularis. — E contra probabilius et verius tenetur religiosus profugus, quia sicut ipse non amittit statum religiosum, ita nec ab illius oneribus eximitur [1].

3. Ad horas canonicas tenentur vi *beneficii ecclesiastici* omnes beneficiarii, etsi nondum in sacris, modo titulum habeant, possessionem inierint, et fructus percipiant, vel spem habeant moraliter certam eos percipiendi.

Quare beneficiarius cui collatum fuit beneficium, sed ob litem nondum acceperit possessionem beneficii, communius et probabilius ad Horas non tenetur, quia obligatio oritur ex jure percipiendi fructus, sed iste ante possessionem nondum habet jus ad fructus sed solum ad possessionem ineundam, ergo. — *Item*, non tenetur qui caret spe percipiendi fructus, et non negligenter se gerit in illis exigendis; quia non est aequum ut innocens subeat onus officii, quin fructus percipiat. Excipe: 1° si beneficiatus juste pri-

niales vota solemnia professas, juxta regulam a S. Sede approbatam in qua hujusmodi onus imponitur. Si tamen tale onus in regulis non imponatur, orator consulat probatos Auctores relate ad obligationem quae ex consuetudine oriri potest. Ubi vero vota simplicia sint, non teneri ». Tenentur tamen sub gravi, juxta constitutiones respectivi monasterii, sorores quae temporum iniquitate simplicia vota emittunt in monasteriis votorum solemnium. Eadem S. C., 8 feb. 1887.

[1] S. Alph., L. IV, 141, 142.

vetur fructibus in poenam alicujus criminis ; 2° si spem certam habeat percipiendi fructus sequentibus annis [1].

Beneficiarius vero qui culpabiliter officium omittit graviter peccat, etsi animum habeat restituendi fructus, quia duplex est praeceptum, primum recitandi officium, secundum restituendi fructus, si post sex menses a receptione beneficii culpabiliter officium omittit [2].

NOTA : Etsi quis duplici titulo ad horas canonicas teneretur, v. g. vi ordinis sacri et vi beneficii, tamen si culpabiliter recitare omittat, probabilius unum tantum peccatum committit, quia obligatio ex uno religionis motivo oritur.

72. — *Q.* Quaenam obligatio recitandi Horas canonicas ?

R. — **1**. Obligatio recitandi Horas canonicas sub gravi ab Ecclesia praecipitur. Unde graviter certe peccat qui totum officium unius diei, vel etiam partem notabilem culpabiliter omittit. Non tenetur tamen postridie recitationem omissam supplere, quia onus est affixum diei.

2. Praeter officium cujusque diei ex communissima sententia, adest etiam obligatio sub gravi recitandi officium Defunctorum in die Commemorationis omnium defunctorum. — Item certe adest obligatio recitandi Litanias Sanctorum in festo S. Marci, et Triduo Rogationum (S. Rit. C., 4 aug. 1877, n. 3428). Utrum vero haec obligatio sit sub gravi, sententia hodie communior et forte probabilior affirmat, quia sunt pars notabilis officii illius diei [3].

3 E contra, hodie nulla adest obligatio recitandi, diebus quovis mense assignatis, Officium parvum B. M. V. vel Defunctorum, vel Psalmos Poenitentiales, aut Graduales ; nisi alicubi vigeat recitandi consuetudo, quae tamen non obligat extra chorum. Ita S. R. C., 2 sept. 1741, n. 2365, ad 4).

73. — *Q.* Quaenam pars *notabilis* habetur in omissione officii ?

R. — **1**. In omissione officii pars notabilis habetur quaelibet hora etsi parva, uti tertia, sexta, nona, vel completorium ; vel pars quae horae aequivalet. Attamen pars paulo major requireretur si in singulis horis aliquid omitteretur, quia omissio continuata gravior judicatur quam variae omissiones

[1] An vero tenuitas beneficii excuset a recitatione, Th. communiter dicunt : 1° Beneficium tenue illud existimari quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis. Sustentatio vero mensuratur juxta diversitatem patrimoniorum, quae in diversis locis solent clericis assignari. 2° Ab officio nullo modo excusari beneficiarium percipientem tertiam partem sustentationis. 3° Nec excusari si dubium sit an beneficium sit tenue ; quia, cum beneficium sit certum et tenuitas excusans sit dubia, possessio stat pro beneficio, et proinde pro obligatione officii. 4° Neque excusari beneficiarium si ob suam culpam beneficium factum sit tenue ; vel si ipse speret in posterum uberiores fructus se habiturum, tunc enim unus annus alium compensat. S. Alph., L. III, 674.

[2] S. Alph., L. IV, 145.

[3] Litaniae recitari non possunt vespere diei antecedentis, quia affixae sunt diei, nec per se videntur conjungi cum Matutino et Laudibus (S. R. C. die 28 mart. 1775, n. 2503 ad 4). Quod si festum S. Marci transfertur, non debent transferri Litaniae. — E contra Matutinum Defunctorum recitandum die 2 nov. pridie anticipari potest non solum privatim, sed etiam publice in Choro, post Completorium diei (S. R. C., 9 jul. 1895, n. 3864).

in singulis partibus. Qui autem aliquid modicum horae parvae recitaverit, puta hymnum, vel capitulum, vel responsoria, vel orationem, omissis ceteris, perinde erit ac si totam horam omiserit, quia minimum pro nihilo reputatur [1]. — Ceterum, concludit S. Alph., circa gravitatem materiae, totius officii quantitas respicienda est, non autem cujuslibet horae [2].

2. E contra pars notabilis non habetur omissio, v. g, tertiae partis unius horae, vel Suffragiorum Sanctorum, aut, verius, omissio Vesper. Sabati Sancti, quia talis omissio esset levis tum in se, tum respectu totius Officii [3].

3. Qui totum officium, seu septem horas, culpabiliter omittit, verius et communis unum peccatum committit, quia omnes horae unum integrum officium componunt; excipe si plures horas omitteret ex intentionibus moraliter interruptis, quia tunc plura committeret peccata. — Probabile tamen est in confessione explicandum esse quot horae sint omissae, eo quod sit circumstantia tenens se ex parte objecti, et constituens actum in ratione sua individuali [4].

NOTA: Qui in choro recitant, non tenentur omissa supplere, si dum alii cantant, ipsi parant, transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; tunc enim per socios suppletur quod ipsi forte non satis percipiunt. Et probabiliter etiam satisfacit qui, dum alii recitant, tussit, excreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur, quia totus chorus pro eo supplet. — An vero satisfaciat qui choro alternatim respondet organum pulsando quin versiculum suae partis proferat, S. Alph. absolute negat, quia tunc officium non recitatur integre, organum enim verba non profert [5].

74. — *Q.* Qui dubitat an aliquam partem officii omiserit tenetur ne illam recitare?

R. — **1.** Si de scrupulosis agatur ipsi ad illam partem amplius non tenentur, quia ipsorum dubia ut plurimum nonnisi inanes apprehensiones sunt [6].

2. Quoad alios vero distinguendum: si dubium est mere *negativum*, nempe si quis nullum prudens motivum habeat, quod jam persolverit, illam partem recitare tenetur; ratio, quia lex possidet. — E contra si dubium est *positivum*, idest si quis habeat prudens et grave motivum quod jam recitaverit, ad illam non amplius tenetur, quia in hoc casu adest ilia probabilitas quae *in praxi* sufficit ne quis lege teneatur. — Hinc qui meminerit aliquid dixisse, v. g. recordetur incoepisse psalmum, lectionem, horam, etc., dein, quin officium interruperit aut voluntarie se distraxerit, se invenit in fine psalmi, horae, etc., ad ea amplius non tenetur, quia tunc sat probabiliter, etsi inadvertenter, totum recitavit. *Item* qui ordinarie non solet dicere horam posteriorem nisi post priorem, et dum recitat, v. g., sextam, dubitet an tertiam dixerit, ad istam amplius non tenetur, quia prudentiones cum responsoriis est materia gravis S. Alph., L. IV, 146.

[1] *Bucceroni*, Casus, n. 269, 3°.
[2] S. Alph., L. IV, 147.
[3] In officio *feriali* omittere tres lectiones cum suis responsoriis, juxta Sanchez, est materia parva. E contra in officio alicujus *festi* omittere novem lec-
[4] S. Alph., L. IV, 148 — Dicitur *probabile*, ergo non obligatorium.
[5] S. Alph., L. IV, 143.
[6] S. Alph., L. IV, 150.

ter credere potest se nihil omisisse.

75. — *Q.* Beneficiatus officium omittens ad quid tenetur?

R. Beneficiatus, qui post sex menses ab obtento beneficio, seu ab accepta beneficii possessione, Horas canonicas culpabiliter et in materia *gravi* omitteret, fructus non facit suos [1]. Fructus autem accipere debemus non anterioris et posterioris temporis, sed posterioris tantum [2], et ex eo tempore tenetur in conscientia et ante judicis sententiam (constat ex prop. XX ab Alex. VII damnata) pro rata omissionis fructus restituere, et quidem omnes si est beneficiarius simplex, nempe alia onera non habens; si autem est beneficiarius curatus, probabilius tenetur tantum ad restitutionem fructuum oneri officii omissi respondentium [3].

Haec autem restitutio facienda est vel pauperibus cujuscumque loci, vel fabricae ecclesiae, vel domui beneficii, vel in augmentum agrorum ipsius. Potest etiam applicari in missis pro defunctis, et potest beneficiatus adhuc eam applicare sibi ipsi si vere pauper sit, modo non faciat in fraudem. Si quis autem post omissionem [4] dederit eleemosynas, immemor vel forte ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas computare [5].

—

[1] S. Pius V, Const. *Ex proximo.*

[2] *D'Annibale*, I, 162 (22).

[3] S. Pius V, sic explicat verba *pro rata omissionis:* Qui omnes horas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus (prout est beneficiarius simplex vel non) qui illi vel illis diebus responderent; qui vero matutinum tantum, dimidiam partem; qui ceteras horas, aliam dimidiam; qui vero singulam horam, sextam partem fructuum illius diei amittet.

[4] Post omissionem, non vero si antea, et prop. contraria ab Alex. VII damnata fuit (n. 33).

[5] S. Alph., L. III, 673, 700; *D'Annibale*, I, 166, (33).

[6] S. Alph., L. IV, 160.

Art. II.

De forma, ordine, tempore, loco et situ, deque modo recitandi Horas canonicas.

§ 1°

De forma.

76. — *Q.* Quanam forma, seu quonam Breviario et Kalendario officium recitari debet?

R. — I. Officium recitari debet sub forma generali quae in Ecclesia latina habetur in Breviario Romano, ita ut non satisfaciat suae obligationi qui Breviarum Romanum habens alio breviario utitur. Excipe religiosos qui habent peculiare Breviarium Ordinis, et ecclesias quae, ex institutione vel consuetudine legitima a 200 annis ante hanc praescriptionem, alio utebantur Breviario; vel qui speciale habuerit privilegium. Ita statuit S. Pius V (an. 1568), qui tamen permisit his ecclesiis ut, de consensu Episcopi vel totius Capituli, possint antiquiora Breviaria in Romanum commutare. — Privatim tamen, ait S. Alph. [6] omnibus etiam regularibus probabile est licere ex consuetudine uti Breviario Romano.

An vero qui breviario romano caret, teneatur uti, v. g., Franciscano, Ambrosiano, si casu istud habeat, disput Th.. Alii affirmant, quia hic duplex est praeceptum,

unum universale de horis persolvendis, alterum speciale de forma servanda. Sed alii verius negant, quia praeceptum Officii est indivisibile, idest illud recitandi sub data forma, ut patet ex Bulla S. Pii V, quae habet: *Hac sola formâ satisfacere posse.* Attamen nihil obstat quod illa recitatio suadeatur.

2. Quisque officium recitare debet sub forma speciali *proprii Kalendarii*, prout in qualibet die praescribitur [1].—Si desit officium proprium recitandum, suppetit vero officium de Communi, istud est recitandum; nam habetur obligatio virtualiter duplex: una recitandi quotidie officium ex Breviario Rom.; altera recitandi officium Calendario designatum. Si huic posteriori satisfieri nequit, manet implenda prior obligatio [2].

Utrum vero sacerdos qui probabilius judicat errare Calendarium, teneatur eidem Calendario stare, an proprio inhaerere judicio quoad Officium, Missam et colorem paramentorum? S. Rit. C. respondit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam (13 jan. 1899, n. 4031 ad V).

3. Qui in aliam dioecesim pergunt, animo ibi domicilium vel quasi-domicilium contrahendi, tenentur se officio illius dioecesis accomodare. — Qui vero sine tali animo pergunt, si sunt Canonici et Beneficiarii tenentur ad Officium propriae ecclesiae; ceteri possunt vel proprium vel illius loci Officium recitare (S. R. C., 12 nov. 1831, n. 2682); sed si ad breve tempus illic sint moraturi praestat proprium Officium retinere, ne confusio oriatur.

4. Regulares qui aliquot dies in *alia* domo sui Ordinis commorantur, si choro addicti sint, tenentur Officium cum reliquis juxta Calendarium illius domus recitare. Quando vero privatim Horas canonicas persolvunt, sicut et in itinere, sequantur oportet Calendarium domus ad quam pertinent, saltem si paucis tantum diebus extra suam domum versantur; quod si ad longum tempus, puta per integrum mensem, in alia domo versentur, hujus potius Calendarium sequi debebunt. — Qui vero ad longum tempus extra claustra degent, e. g. ratione quadragesimalis praedicationis, sequi debent Calendarium suae provinciae, nulla habita ratione de proprio coenobio.

Haec quoad Regulares *proprium Calendarium* habentes; ceteri enim se gerere possunt sicut clerici saeculares non beneficiati [3].

77. — *Q.* Officii mutatio quale peccatum est?

R. — **1.** Si quis advertenter et sine justa causa officium mutat, peccat, et quidem graviter si mutatio est in officium notabiliter brevius; hinc Alexander VII hanc proposit. damnavit: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.*

2. Si vero mutatio est in aequale, vel fere aequale, et fit cum

[1] Beneficiati et omnes e Clero qui alicui Ecclesiae addicti sunt, tenentur recitare sub ritu primae classis cum octava officium sui Tituli, et Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae (S. R. C., 9 jul. 1895, n. 3863, II, III); beneficiatus autem qui habet duo beneficia debet recitare officium tantum Titularis loci ubi residet, vel dignioris (S. R. C., 25 aug. 1882 n. 3554). S. Alph., L. IV, 162, q. 3.

[2] *Génicot*, II, 51.

[3] Conf. *A Carpo*, Biblioth. Liturg., p. II, n. 183; *Génicot* II, 52; *Marc*, n. 2209; Decr. S. R. C., 31 aug. 1839.

causa, nullum erit peccatum. Deficiente vero justa causa, disput. Th. an peccatum sit et quale. — Alii dicunt esse semper solum veniale. — Alii volunt semper esse mortale. — Alii aequius cum S. Alph. disting. et dicunt peccare graviter qui frequenter mutat quia esset gravis perversio ordinis; peccare vero venialiter qui mutat raro, puta ter vel quater in anno; - ratio, quia licet officium recitandum sit juxta formam individualem breviarii, ut praecipit S. Pius V in bulla *Quod a nobis,* descripta in breviario, dicendo: « Neminem satisfacere, nisi hac sola forma », videtur tamen Pontificem in hac forma praescribenda magis respexisse ad formam substantialem, quae est quantitas officii ejusque persolvendi ritus, quam ad accidentalem, nempe ad illius qualitatem; et ideo commutatio non videtur culpam venialem excedere.

Justa causa officium mutandi in aequale vel fere aequale esset, v. g., necessitas studendi, concionandi, docendi, itinerandi. Item rationabilis causa esset recitare cum socio, quo in casu potes te conformare ejus ritui, modo semper officium socii non sit notabiliter brevius[1]. An vero sit justa mutationis causa specialis devotio erga aliquem Sanctum, quidam cum S. Alph. affirmant[2]. Sed alii aegre sibi persuadent quod sola ratio *specialis devotionis* erga aliquem Sanctum sit justa causa mutandi officium ab Ecclesia praescriptum. Talis siquidem devotio in casu ipsis videtur non vera devotio, sed potius deordinatio, utpote recedens ab oratione Ecclesiae, tametsi leviter. « *Melior est obedientia quam victimae* »[3].

3. Si quis *inadvertenter* recitavit unum officium pro alio, nihil tenetur repetere, ut communiter docent Th., et tunc valet axioma: *Officium pro officio*[4]. Si tamen dictum fuit officium notabiliter brevius respectu totius officii accidentalis et parva materia sit, omissio horae nonae esset gravis ratione quantitatis si aequivalenter Salvianus non compensasset; sed ipse compensationem fecit recitando bis horam sextam, ut aequivalenter compensare tenetur qui inadvertenter officium notabiliter brevius recitaverit. Ergo. — *Secunda* sententia affirmat, quia divini officii obligationi non satisfecit quoad formam et quoad quantitatem simul, in materia gravi. Non enim vere dici potest quod horam nonam recitaverit; sed quod bis recitaverit horam sextam, quod bene diversum est. Quare, licet *officium pro officio* valeat, quia servatur forma et quantitas divini officii, si erratur tantum quoad qualitatem officii unius Sancti, v. g., pro alio Sancto; non tamen *hora pro hora* valet. Eo ipso enim desideratur forma et quantitas, siquidem hora omittitur. Neque vero suppleri sufficienter potest alia hora; nam in eo ipso quod *ipsa hora* desideretur, sup-

[1] Attamen S. R. C. ad quaesitum: « Utrum satisfaciat suae obligationi Clericus in sacris Ordinibus constitutus, qui sponte vel invitatus se adjungit clero officium ab officio illius Clerici diversum canenti vel recitanti »? Respondit: *Generaliter Negative.* 27 jan. 1899, n. 4011 ad 3.

[2] S. Alph., L. IV, 161, 3.

[3] S. R. C. declaravit: Non est relinquendum officium Breviarii pro officio devotionis. 13 feb. 1666, n. 1334 ad 1.

[4] Casus. — Salvianus, presbyter et valde doctus, ex involuntaria distractione, loco horae nonae, bis horam sextam recitavit. Postquam errorem animadvertit, et multum rem considerasset horam nonam recitare omisit.

Q. Salvianus tenebatur ne adhuc recitare horam nonam?

R. Duplex adest sententia. *Prima* negat, quia licet unam horam omiserit quoad *qualitatem*, non eam tamen omisit quoad *quantitatem* saltem *aequivalenter*. Cum autem qualitas unius ho-

vius, puta officium sancti loco dominicae, debet fieri compensatio, recitando novem psalmos ex primo nocturno [1].

4. Si quis advertit mutationem in decursu recitationis, potest vel prosequi vel reliquum recitare de proprio illius diei; sed melius est recitare de proprio, juxta illud: *Error corrigitur ubi deprehenditur,* ut in his saltem se conformet toti ecclesiae vel communitati cujus est pars, et observet legem quantum potest [2].

5. Tandem si quis hodie ex errore recitavit officium quod crastina die erat recitandum, verius tenetur cras recitare iterum officium diei currentis, ne bis erret [3].

§ 2°

De ordine

78. — *Q.* Quo *ordine* officium recitari debet?

R. Officium recitari debet ordine in Breviario praescripto nempe ut primum recitetur Matutinum cum Laudibus, deinde Prima, Tertia, Sexta et Nona, demum Vesperae et Completorium. Nec debet recitari Matutinum diei sequentis, ante absolutum Officium diei praesentis.

Inversio ordinis, si fiat *extra chorum,* per se est solum venialis, etiamsi frequenter fiat, quia salva manet substantia praecepti. *In choro* vero an talis inversio (sicut et temporis mutatio), si notabilis sit et sine justa causa facta, gravis sit, disput. Th., sed probabilius negant, quia de gravi praecepto non constat.

Quod si inversio ordinis fiat inadvertenter, vel ex rationabili causa, nullum erit peccatum. Esset autem rationabilis causa, v. g., si inviteris ab amico ad recitandum cum ipso, et tu Horam praecedentem nondum recitaveris; si non habeas in promptu breviarium, nec commode possis expectare, tunc posses ex diurnali quod habes recitare Horas diurnas, et postea Matutinum. Item si non habeas Lectiones prae manibus potes recitare Psalmos Matutini et Laudes, imo et reliqua, dilatis Lectionibus; si venias ad Chorum hora jam incoepta, potes pergere cum aliis, et postea quae omissa sunt supplere, etc. [4].

§ 3°

De Tempore.

79. — *Q.* Quonam tempore officium est recitandum?

R. — I. Antiquitus Horae sic re-

pleri non potest *illius horae* quantitas. Quando officium brevius pro longiori recitatum est, jam servata est integra officii forma, et quantitas bene suppleri potest, psalmos recitando alterius officii omissi. Sed in casu hoc verificari non potest, nam *una hora* suppleretur *alia hora* ejusdem officii; et cum una hora materia gravis sit, jam gravis haberetur immutatio quoad formam et quantitatem simul divini officii. Secus cur non posset etiam pro primo, secundo et tertio nocturno, unum nocturnum bis vel ter recitari; pro laudibus et prima, bis prima, vel bis laudes recitari, et ita porro? — *Bucceroni,* Casus Consc. n. 269.

[1] S. Alph., L. IV, 161, q. 3.

[2] S. Alph., L. IV, 160.

[3] Quaesitum fuit: « Utrum si in choro vel privatim omissum est per oblivionem aut inadvertentiam fieri officium duplex vel semiduplex alicujus Sancti eodem die quo debebat secundum rubricas, debeat illud fieri in aliquo die vel ejusdem mensis vel alterius sequentis non impedito officio novem lectionum? S. R. C. respondit: *Negative.* 17 jun. 1673, n. 1475.

[4] S. Alph., L IV, 169, 170.

citabantur : *Matutinum* post mediam noctem ; *Laudes* ad auroram; *Prima* post solis ortum ; *Tertia* mane ad horam nonam ; *Sexta* circa meridiem ; *Nona* ad horam tertiam pomeridianam ; *Vesperae* ad solis occasum ; *Completorium* sub noctis crepusculum.

II. Juxta hodiernam disciplinam, ad mortale vitandum sufficit ut officium recitetur intra spatium 24 horarum, nempe a media nocte usque ad aliam mediam noctem : addita etiam facultate ex consuetudine jam praescripta, recitandi pridie, hora competenti, Matutinum cum Laudibus.

III. Ad vitandum vero veniale satis est ut Matutinum cum Laudibus matutino tempore exsolvatur ; Prima et Tertia ante meridiem ; Sexta et Nona ante vel post meridiem ; Vesperae et Completorium a meridie ad mediam noctem. In feriis quadragesimae, a sabbato ante primam Dominicam, Vesperae, non vero Completorium, *possunt*, et in choro *debent,* recitari ante prandium (circa horam undecimam) in memoriam antiquae disciplinae, juxta quam non frangebatur jejunium, ante Vesperarum recitationem.

Cuique autem liberum est in recitatione officii sequi vel tempus *verum* , quod indicat horologium solare, vel tempus *medium,* quod signant horologia publica [1].

Ut autem licite quis possit anticipare vel postponere debitum tempus horarum , sufficit quaevis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis vel laboris, major devotio sive quies , tempus aptius ad studendum, et similia.

80. — *Q.* Qui praevidet impedimentum in die tenetur ne, si potest, recitationem officii anticipare, v. g. novit a meridie se febri corripiendum, tenetur ne ante meridiem Nonam , Vesperas , et Completorium recitare ?

R. Licet nonnulli negent , S. Alph. [2] tamen cum communi affirmat; unde dicit quod Salmant. sententiam contrariam *merito* laxam vocant, quia obligatio latitudinem totius diei complectitur ; cum ergo dies adest, praeceptum jam urget, quod implendum est eo modo quo fieri potest. [3]

81. — *Q.* Estne peccatum celebrare Missam ante recitationem Matutini ?

R. Tres adsunt sententiae : *Prima* dicit esse *mortale,* nam in Rubrica legitur : « Sacerdos celebraturus Missam , saltem Matutino cum Laudibus absoluto ». *Secunda* in hoc *nullam culpam* agnoscit, quia nulla apparet lex sub culpa hoc praecipiens , et Rubrica est tantum de consilio, non de praecepto. *Tertia* vero sententia communior et probabilior tenet esse *veniale,* quia in Rubrica id jam inter defectus numeratur, ea autem quae inter defectus computantur,

[1] Quaesitum enim fuit : « Utrum ubi horologia adhibentur tempori medio accomodata, ipsis sit standum, vel debeat quis, aut saltem possit uti tempore vero ? » S. Poenitentiaria respondit : *Fideles in jejunio naturale servando, et in Officio divino recitando, sequi tempus medium posse, sed non teneri.* 29 nov. 1882. — « Possunt ne Clerici sequi tempus legale in persolvendo Officio divino, tam anticipantes privatim Matutinum, quam recitantes Vesperas ? » — Die 22 Julii 1893 S. Cong. Conc. respondit ; *Affirmative.*

[2] S Alph., L. IV, 155 ; *Ballerini ;* Op. Th. Mor., IX, Tr. IV, 203.

[3] Vid. *Lehmkuhl* , II , 659 ; *Génicot,* II, 53.

non amplius possunt esse de solo consilio, et ideo nequeunt ab omni culpa esse immunes.

Ab hujusmodi autem culpa veniali excusabit quaelibet mediocris causa rationabilis, puta si dans eleemosynam postulet ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si superior praecipiat, vel instet commoditas studii, itineris, et similia [1].

82. — *Q.* Quanam hora incipi potest Matutinum vespere diei praecedentis?

R. — 1. Communis et certa regula est incipi posse quando sol perfecerit medium cursum inter meridiem et occasum, pro quo tempore, utpote mutabili, confici solent tabellae pro variis regionibus.

2. An vero, secluso speciali privilegio, incipi possit hora secunda post meridiem, duplex adest sententia. *Prima*, quae S. Alph. verior est, negat, quia Matutinum adhuc juxta hodiernam consuetudinem non potest recitari nisi hora Vesperarum; hora autem Vesperarum, ut communiter traditur, est illa quae subsequitur horam nonam, quae est media inter meridiem et occasum, estque diversa pro diversis temporibus [2]. *Secunda* affirmat, quia hora secunda solent Vesperae recitari; unde cum dies ecclesiasticus incipiat a primis vesperis, pariter eo tempore Matutinum recitari potest. Et hanc sententiam, ait Cl. *D'Annibale*, multi tuentur, multi non reprobant, multi probabilem putant; nec immerito, quia nullo certo jure sive scripto sive non scripto explodi potest. Non sunt igitur inquietandi qui bona fide ab ea hora recita verint Matutinum [3]. Et Cl. *Lehmkuhl* ait: Licet hanc opinionem pro certo probabili habere non possim, nolim tamen, si quis secundum opinionem affirmativam egerit, obligationem iterandi imponere, quum propter externam auctoritatem eorum qui benignam illam sententiam tuentur, non possim eam certo improbabilem dicere [4] (v. n. 79).

83. — *Q.* Peccat ne qui recitat Matutinum diei sequentis ante absolutum officium diei praesentis?

R. Th. communius dicunt peccare, sed venialiter tantum, si fiat absque causa sufficienti, quia esset inversio ordinis in recitatione. Quaecumque autem causa sufficiens ad inversionem ordinis Horarum ejusdem diei, sufficeret etiam in praesenti casu, v. g. si ab alio rogeris ut matutinum diei sequentis cum ipso recites. Nonnulli tamen ne venialiter quidem peccare asserunt, etsi absque causa fiat, quia officium unius diei nullum ordinem habere videtur cum officio alterius diei [5].

§ 4°

De loco et situ.

84. — *Q.* Quo loco et situ officium recitari debet?

R. Quoad *locum*, officium chori in ipso choro vel in loco legitime ad hoc destinato recitari debet. — Privatim vero recitari potest in quovis loco, sive in oratorio, sive domi, sive ruri, aut etiam in via deambulando aut iter agendo, dummodo locus debitae attentioni et devotioni non obstet.

[1] S. Alph., L. VI, 347.
[2] S. Alph., L. IV, 174.
[3] *D'Annibale*, III, 150 (32); *Ballerini*, V. IV, Tr. IX, 240.
[4] *Lehmkuhl*, II, 625.
[5] *Bucceroni*, II, 136.

An vero sit aliqua culpa officium in loco indecenti recitare, Th. probabilius per se negant, quia, quum Deus ubique sit, in nullo loco est irreverentia illum orare ; alias ne mente quidem aut voce in tali loco orare liceret, quod nemo dixerit [1].

Quoad *situm*, seu positionem, in choro Rubricae probabilius servari debent sub levi, quia juxta plures ipsae non sunt solum directivae, sed praeceptivae.—Extra chorum vero laudabile quidem est Rubricas servare, sed nulla est culpa eas praeterire ; proindeque omni situ decenti officium recitari potest sive flexis genibus, sive stando, sive sedendo, sive deambulando.—Qui vero sine causa officium recitaret decumbendo in lecto, juxta plures Th. peccaret venialiter, quia talis situs non vacat aliqua irreverentia. At quaecumque mediocris causa, v. g. quaelibet infirmitas, dolor capitis, defatigatio, etc., ab omni culpa excusat.

§ 5°

De modo.

85. — *Q.* Quonam modo officium recitari debet ?

R. Officium recitari debet *integre, distincte,* seu cum debita pronunciatione, *attente ac devote.*

Integritati opponitur tum omissio partis officii, tum interruptio in ejus recitatione. Ad integritatem pertinent *Pater, Ave, Credo,* in principio et fine Horarum prout in Rubricis adnotatur. — *Extra chorum* antiphona B. M. V. non est addenda ex praecepto nisi in fine Laudum et Completorii.— *Confiteor* et *Misereatur* ad Primam et Completorium alternatim cum socio recitari possunt, sed non teneris, nisi in choro (S. R. C., 12 nov. 1831, n. 2682, ad 39). — Orationes *Aperi* et *Sacrosanctae* non pertinent ad integritatem, sed laudabiliter et utillime recitantur [2].

De pronunciatione.

86. — *Q.* Pronunciatio verborum qualis esse debet ?

R. Pronunciatio verborum debet esse *distincta,* vocalis nempe, integra et continuata.

1. *Vocalis,* unde non sufficit ut officium recitetur gutture et intra dentes, sed verba debent voce distincta proferri. Probabilius tamen non requiritur ut recitans debeat audiri, quia ad orationem vocalem non requiritur elatio vocis, nec quod recitans se audiat, sed sufficit quod formetur aliquis sonitus verborum licet modicus et vix sensibilis sit, ita ut qui recitat conscius sibi sit se verba pronunciare [3], quod si sonitus in aliquo casu non audiatur, hoc esset per accidens.

2. *Integra,* idest sine syncope et abbreviatione. — Hinc si mutilatio verborum esset magna, et sensus notabiliter varietur, peccatum esset grave ; veniale vero si mutilatio in parva quantitate esset, vel si verborum sensus non corrumpatur ; imo nullo modo peccat qui hoc facit ob inadverten-

[1] S. Alph., L. IV, 179.

[2] Oratio *Sacrosanctae et individuae,* etc. non est quidem de praecepto, sed ad lucrandam ejus indulgentiam vel fructum dici debet flexis genibus, nisi quis impeditus fuerit infirmitatis tantum causa. Ita declaravit Pius IX ex Decr. S. C. Indulg. 7 jan. 1856.

[3] *Gury,* II, 82 ; S. Alph., L. IV, 163.

—

tiam, vel balbutiem, vel inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit.

Nemini dubium est oneri officii satisfacere qui in choro vel cum socio recitat, dummodo pars chori vel socius omnia proferat rite ac recte, et ipse illum audiat; imo adhuc satisfacit si illum non audiat non ex sua culpa, sed quia strepitus fit, vel quia socius submissa voce recitat, vel propter ineptitudinem legentis, modo attendat quantum potest: ideoque non tenetur repetere partem non auditam, etsi notabilis sit, quia tunc per societatem ipsam et simul per illam applicationem censetur moraliter communicare orationi, dum intendit Deo exhibere omnes laudes et preces, quas chorus vel socius profert [1].—Qui cum socio verba mutilante recitat, juxta S. Alph. a veniali non excusatur, nisi habeat aliquam causam, puta si invitetur a Superiore, vel persona valde gravi. Certum autem est non satisfacere eos qui, alternatim recitando, non expectant ut versus absolvatur, si hoc fiat in magna quantitate. Ceterum, ait S. Alph., recitans cum socio non tenetur officium repetere, nisi ipsi constet socium notabilem partem omisisse, quia in dubio praesumptio stat pro debita recitatione [2]. — Demum notandum quod ex hoc defectu in publico facilius peccari potest mortaliter ratione scandali, et severioris praecepti Ecclesiae, quam in privato [3].

3. Demum pronuntiatio esse debet *continuata,* unde si intra eamdem horam interruptio fiat notabili tempore et sine causa, erit veniale. — An vero, posita notabili interruptione in eadem hora vel psalmo, tota hora vel psalmus repetendus sit, communiter negant, etiamsi quis animo repetendi interrupisset, quia psalmi et singuli versus suam completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi, vel per sequentem recitationem. Ergo repetere ab initio psalmi vel horae si interruptio longa esset, est tantum consilii, non praecepti [4].

Causa justa interrumpendi officium est quaelibet utilitas propria vel aliena, quae sine incommodo differri nequit; item urbanitas, aut devotio, ut celebratio missae, executio mandatorum superioris; si excipias confessionem alicujus qui non libenter expectaret; si velis aliquid agere aut notare ad tollendam distractionem aut sollicitudinem ne obliviscaris, modo hoc non fiat frequenter. Licite etiam inter orandum potest interponi aliqua jaculatoria vel pius cordis affectus, modo interruptio sit brevis [5].

87. — *Q.* Licet ne separare Matutinum a Laudibus; Nocturnum a Nocturno?

[1] « Utique satisfacit qui cum socio etiam privatim officium recitat; quod sane est conforme primae institutioni Ecclesiae, ac publico orandi ritui. Et hoc, etiamsi recitet cum socio laico, non obligato, non attento, imo non audiente, dummodo ipse (Sacerdos) recte recitet et socium attente audiat; quoniam recta recitatio, auditio et attentio habenda est tantum ex parte obligati ». *Porpora,* Theol. Mor., T. 22, n. 84.

Cum plures simul officium recitant, nonnisi duo chori fieri debent alternando versus et strophes, non integros psalmos et hymnos. Quae ab uno recitantur uti antiphonae, lectiones, capitula, sufficit audire: quae vero secreto dicuntur, integra ab omnibus recitanda sunt.

[2] S. Alph., L. IV, 165.

[3] S. Alph., L. IV, 164.

[4] S. Alph., L. IV, 168,

[5] S. Alph., L. IV, 163, 168.

R. — 1. Matutinum etiam sine causa a Laudibus separari potest; tunc autem finito Matutino concludendum sic est: *Dominus vobiscum;* postea *Oratio;* iterum *Dominus vobiscum, Benedicamus Domino*, et *Fidelium animae,* etc. (S. R. C., 1 feb. 1886, n. 3653). Utrum vero *Pater* sit recitandum, disp. Th., utraque opinio probabilis est. Laudes vero inchoandae sunt ut in Psalterio; ita S. R. C., 18 maji 1883, n. 3574 ad II[1].

2. Probabiliter et communius etiam tres Nocturni licite separari possunt etiam sine causa, dummodo separatio non excedat spatium trium horarum. Ultra vero tres horas ad veniale vitandum requiritur in communiori sententia *justa causa,* v. g. si officium sit valde productum, ut puta officium Dominicae, et recitans, recitato primo Nocturno, sit valde defatigatus, vel somno obrutus, etc.

Si Nocturnum a Nocturno separetur, necesse non est ut *Oratione* et *Pater* concludatur, nec ut *Pater* et *Ave* in principio alterius recitetur.

De attentione et devotione

88. — *Q.* Quid et quotuplex attentio?

R. Attentio duplex est, externa et interna. *Externa* in eo consistit ut nihil fiat quod sit incompossibile cum attentione interiori, uti esset fabulari, scribere, attente audire alios loquentes, celeriter se vestire, magna applicatione aliquid agere, etc.. Unde non impeditur attentio externa si actio leviter tantum mentem distrahat, uti esset se lavare, vestes lente induere, flores colligere, caput pectere, focum instruere et alias hujusmodi actiones ponere quae cum attentione interna compossibiles sunt. *Interna* vero est *animi applicatio ad id quod agitur*, et in officio triplex est, nempe: attentio *materialis,* seu ad verba tantum, ad ea nempe rite proferenda; — *litteralis,* seu ad sensum verborum, et rerum significationem; — et *spiritualis,* seu ad Deum ipsum, uti orationis terminum.

89. — *Q.* Quaenam attentio in officio requiritur?

R. — 1. Certum est quod attentio interna, quaecumque sit, ad satisfaciendum sufficit, spiritualis tamen est perfectior.

2. An sufficiat sola attentio externa, disp. Th.. Alii affirmant[2], quia si requireretur attentio interna, non satisfaceret suae obligationi qui involuntarie distractus Horas recitaret, nam destructa, quamvis inculpabiliter, rei essentia, res ipsa destructa manet; sed hoc neque adversarii admittunt: ergo. — Alii vero, juxta S. Alph. communius et probabilius, negant et dicunt requiri sub gravi attentionem internam, quia sine tali attentione oratio consistere nequit, unde, eo ipso quod Ecclesia orationem praecipit, praecipit etiam attentionem internam. *In praxi* autem, licet prima sententia ob

[1] Praestat autem (etsi non sit de praecepto) ut initio Laudum, quando separantur a Matutino, praemittatur *Pater* et *Ave.* — *Scavini,* II, 38.

[2] Intellige ad evitandum mortale, seu ut suae satisfaciat obligationi; omnes enim consentiunt hunc peccare venialiter, nam semper aliqua irreverentia intercedit, si Deum quis alloquitur exterius mente alio voluntarie distractus. *Tamburini,* Expl. Decal., L. IV, c. 11, n. 19.

doctorum auctoritatem non sit contemnenda, utpote rationibus non levibus innixa, posterior tamen ut devotior et tutior est consulenda.

Ceterum ad scrupulos abjiciendos et ad animum levandum Horas recitantium, valde refert hic advertere quod Th. communiter docent, nempe ut dicatur aliquis officio non satisfacere, requiri non solum ut advertat distractionem, sed adhuc ut plene advertat se distrahi ab officio; alias licet voluntarie se distrahat, non tamen voluntarie se distrahit a recitatione [1].

90. — *Q.* Quaenam devotio requiritur in officio?

R. Ad debitam officii recitationem requiritur devotio sive interna sive externa. — *Interna* sita est in animi elevatione ad Deum, unde necesse est intentio seu voluntas orandi, quae sufficit si sit virtualis et implicita, uti esset de more accipere breviarium. *Externa* sita est in loco congruo et in situ corporis ad reverentiam composito, de quo jam superius diximus.

91. — *Q.* Quaenam remedia ad distractiones repellendas?

R. Remedia ad distractiones repellendas alia sunt negativa, et alia positiva. — Remedia *negativa* reducuntur ad subtractionem eorum omnium quae causa sunt distractionis, uti se subducere a majori hominum strepitu, ad diversa negotia non properare, sensus, maxime oculos, custodire, etc. — Remedia *positiva* vero sunt: 1° initio recitationis efformare intentionem Deum laudandi; 2° eam renovare in principio cujuscumque psalmi, vel in fine quando dicitur *Gloria Patri;* 3° mysterium aliquod Passionis sibi repraesentare; 4° cogitare saepe ad praesentiam Dei, etc.

[1] S. Alph., L. IV. 176, 177. Scrupulosus propter distractiones nunquam repetere tenetur. L. IV, 172.

—

Nonnulla monita pro praxi.

Pluribus equidem pergratum me factum arbitror si breviter hic quasdam observationes ad divinum officium digne, attente, ac devote recitandum subjungam, quas ex optimis auctoribus excerpsi.

1° Valde existimare debemus divinum officium. Sacerdos enim qui Breviarium tamquam molestum debitum vi persolvendum, vel tamquam odiosum onus habet, difficile est quod illud, sicuti convenit, recitet. E contra sacerdos, cui Breviarium est tamquam oratio (post Missae sacrificium) Deo gratissima nobisque perutilis, certe illud libenter recitat ac magna cum devotione; proindeque talis oratio et illi et ceteris omnium gratiarum fons evadit. Hinc S. Aug.: *Psalterium meum gaudium meum;* hinc S. Franciscus Salesius, S. Vincentius a Paulo, S. Alphonsus M. de Lig. dum breviarium prae manibus sumerent, laetabantur eo quod cogitabant se Angelorum officio fungi, qui semper Deo laudes concinunt. Utique onus est Breviarium, si placet, sed tale onus qui omnia sustinet; siquidem jugis est oratio totius Ecclesiae nomine facta, et Domini verbis ex magna parte composita. Utique Officium onerat, sed sicut onerant alae aves, rotae currum, baculum senem et peregrinum, vela navim, medicina aegrotum.

2° Attendamus impense ut illud suo tempore idest ad horas debitas recitemus. — Haec enim diligentia magnos fructus, benedictiones a Deo atque solamen quoddam et facilitatem in ceteris operibus nostris affert. — Nunquam flectamus ab ista regula, nisi forte aliquando ob graves rationes; atque meminerimus illud insignis cujusdam do-

ART. III.

De causis ab Officii recitatione excusantibus.

92. — *Q.* Quotnam causae ab officii recitatione excusantes?

R. Tres communiter recensentur: impotentia, caritas, dispensatio.

1. *Impotentia* non solum physica sed etiam moralis, seu quando ex officii recitatione prudenter timetur grave incommodum, aut probabile periculum talis incommodi.

Hinc excusat infirmitas gravis, v. g. dolor notabilis capitis, ita ut sine incommodo vel incremento morbi legi non possit; imo excusat

ctoris: *Ante tempus orare est providentia, et in tempore constituto obedientia; tempus autem praeterire est negligentia.* Consuetudine enim vivimus, proinde bona consuetudine contracta omnia recte libenterque facimus.

3° Studeamus officium divinum magna personae decentia recitare; quod si nolumus genuflexi vel stantes, sedentes saltem compositi simus. Convenientem locum atque devotum eligamus; saepe enim etiam nolentes plurimis devagationibus subjicimus, quid erit si locum pluribus devagationibus apertum eligamus? Quod si palam et aperte necesse sit illud recitare, puta in itinere vel ruri, tunc studeamus nostros sensus bene custodire, praesertim oculos; idque etiam ut nos observantibus bonam praebeamus aedificationem.

4° Ante recitationem breviarii semper Kalendarium legamus; atque illud Spiritus Sancti recordemur: *Ante orationem praepara animam tuam.* Cogitemus nos coram Deo esse. Christo in horto oranti jungamur, et si ad soporem animus trahatur, audiamus illud: *Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate.* Oremus Dominum ut ab omnibus nos tentationibus liberet, atque gratiam largiatur ipsum laudandi atque deprecandi sicuti decet; qua de causa recitemus attente ac devote: *Aperi Domine etc.*, et *Domine in unione etc.*; neque unquam omittamus specialem finem nobis proponere. Enimvero habitudine quadam tam pulchrae preces saepe saepius absque attentione ac devotione recitantur.

5° In recitatione a duobus extremis declinemus; lentitudine nempe quae paucorum est et praecipitatione quae est multorum. S. Franciscus praecipitationem in oratione devotionis pestem appellat. Qui nimia sollicitudine atque praecipitatione recitat, videtur minime sapere orationem. Neque dicatur quod ita agitur ut sufficiat tempus ad alia plura peragenda. In quibus enim tempus utilius impendi potest quam in laudando Dominum atque Angelorum officio fungendo? Paucies fieri quidem potest ut ob congeminatos labores vix aliquid temporis supersit; at qui occupationes apte disponit et tempore sibi concesso prudenter utitur, certe etiam ad Breviarium apta spatia habebit, ut sat confirmat experientia. Viri cordati, licet plurimis negotiis occupentur, raro tamen conqueruntur sese ad dicendas Horas necessario tempore destitui; contra qui hunc temporis defectum obtendunt, plerumque per magnam diei partem vanis confabulationibus ludisve indulgent, vel novellis levibusque scriptiunculis vacant, quibus sola fere curiositas nutritur, aut phantasia incalescit. Quoad vero cetera opera nostra, persuasum nobis sit illa perpauca horae momenta ad melius officium persolvendum impensa magnas benedictiones nobis obtinere, ita ut melius ac facilius illa postea agamus. Vita Sanctorum Sacerdotum hujus veritatis nobis testis est.

6° Quando divinum officium in choro vel cum aliis recitamus, *asteriscum* observare necesse est atque paulisper in cujusque versus fine morari. Istud monitum maximi momenti perraro observatur; attamen impossibile est dicere quantum ad devotionem et fervorem praestet. Enixe Sacerdotes hortor ut semel atque iterum experimentum capiant; quod si Dominus non eis donabit augmentum pietatis et fervoris, nihil illud faciant. Ita pius quidam auctor.

7° In recitatione videamus ne devagationibus occurrentibus attendamus; statim ac eas deprehendimus subito ejiciamus, nam in vanum, si cor non orat, lingua laborat. Quod si instent, morari paulisper oportet, ac Dei auxilia quae-

etiam probabile periculum talis incommodi. Unde satis excusantur qui convalescunt, donec vires reficiantur; qui prudenter credunt vel timent ob officii recitationem sibi fore proventuram notabilem gravedinem capitis, vel cruditatem stomachi, aut virium lassitudinem, vel si credant febrim tardius esse remittendam. Et hoc probabiliter admittitur etiamsi infirmus Missam celebraret aut per magnam diei partem legeret librum ad animum solandum, quia exinde non sequitur quod possit et teneatur officium recitare, ad quod major attentio requiritur, quodque majorem affert difficultatem; quippe hoc ingravescit morbus, illis levatur.

In dubio vero an infirmitas sufficiat ad excusandum, potest quis stare etiam proprio judicio, si tale judicium ipsemet prudenter ferre possit; sed melius est ut se remittat medico, superiori, viro prudenti. Quod si, his praemissis, adhuc dubium perseverat, tunc in dubio quod recitatio graviter laedat, certe non tenetur, imo recitare nequit, ob periculum gravis mali: in dubio vero an indispositio pertingat ad excusandum, tenetur recitare, quia possidet lex recitationis: hoc tamen currit quando sit purum dubium, secus si sit probabile judicium [1].

Qui non potest totum officium persolvere, tenetur ad partem quam potest, modo pars sit notabilis et terminus potentiae sit certus. Unde si quis infirmus totum officium recitare nequit, et dubitat an possit partem, nec ad partem tenetur.

Qui breviario caret vel ob oculos caligantes legere nequit, recitare debet ea quae memoriter tenet, modo id pertingat ad quantitatem saltem parvae Horae; non tenetur tamen ad illam memoriter addiscendam. Et si caret officio proprio tenetur recitare de communi, et si non potest recitare solus, tenetur adhibere socium, si habere potest sine magno incommodo et absque stipendio; si tamen non occurreret nisi foemina, non tenetur [2]. — An vero beneficiarius teneatur stipendio aliquem ducere ut cum ipso recitet, disput. Th.

Tandem qui praevidet se ab alia causa impeditum iri a recitatione officii, anticipare tenetur, si obligatio praecepti jam est incoepta; sed non tenetur, in die praecedenti matutinum anticipare, quia haec anticipatio est privilegium quo nemo uti tenetur.

rere, et postea attentionem ante positam innovare. Ad hoc maxime juvat libros praeclari alicujus auctoris legere qui sensus in psalmis, hymnis et capitulis contentos explanet atque declaret.

8° Denique postquam hisce regulis Breviarium persolverimus addamus et orationem: *Sacrosanctae et individuae etc.* ea intentione ut indulgentias lucremus, utque remissionem culparum quas in recitatione admisimus obtineamus.

Felix Sacerdos qui sic persolverit divinum officium. Ejus oratio erit incensum pergratum Deo, vera gratiarum fons et sibi et aliis, atque ita suae et aliorum sanctificationi providebit.

Iterum dicam: Consuetudine nos vivimus. Felix ille sacerdos qui se exercet in divino officio hisce dispositionibus recitando, quia laudes aeternas Deo canere in domo Domini merebitur.

[1] S. Alph., L. IV, 154. — Sapienter notat S. Alph. quod scrupuloso, si graves patitur anxietates, potest aliquando interdici etiam recitatio officii, donec videatur posse recitare sine tanto incommodo; quum magnum incommodum excuset per se a praeceptis Ecclesiae. L. IV, 177.

[2] *Gury*, Casus consc. II, 56.

2. *Caritas,* seu quaevis honesta occupatio in propriam vel proximi utilitatem melior ipsa officii recitatione si est incompossibilis cum officio, quaeque omitti vel in aliud tempus differri nequit sine scandalo, aut notabili damno proprio vel alieno, v. g. si quis nequiret differre concionem sine nota, vel confessiones aliorum in magno concursu. Item qui occupantur in sedandis jurgiis, aut assistendis infirmis. Item habentes publicam lectionem ad cathedram aut lauream acquirendam, si occupatio esset totius diei, nec posset differri sine damno proprio aut aliorum. — Ceterum isti omnes si possint sine magna difficultate recitationem anticipare vel postponere, ad id utique tenentur: unde rarissime accidit quod isti officium sine culpa omittere possint [1].

3. *Dispensatio.* Papa absolute et in perpetuum dispensare potest. Episcopus etiam et superior regularis dispensare potest suos subditos, sed in casibus particularibus, et ad breve tempus, si adsit justa causa, puta si dubitetur de morali impotentia [2].

CAPUT III.

De obligationibus particularibus clericorum.

ART. I.

De obligationibus Episcoporum.

93. — *Q.* Quaenam obligationes Episcopi? [3].

R. Obligationes Episcopi, praeter eas quibus in die consecrationis juramento se adstringit, reducuntur: 1° ad residentiam; 2° ad electionem bonorum ministrorum; 3° ad orationem, praedicationem et bonum exemplum; 4° ad subveniendum pauperibus, et audiendos subditos maxime parochos; 5° ad visitationem dioecesis; 6° ad reddendam S. Sedi rationem de statu suae dioecesis.

94. — *Q.* Quid est residentia, et quaenam ejus obligatio?

R. Residentia generatim definitur: *Commoratio in loco beneficii.* Dividitur: 1° in *formalem* et *materialem*, prior conjuncta est cum adimpletione munerum beneficio adnexorum, non vero altera; 2° in *veram*, qua beneficiarius realiter praesens est in loco beneficii; et *fictam*, qua quis, justa causa absens, fictione juris censetur praesens.

Quoad *residentiam,* Episcopus, licet Cardinalis sit, ad residentiam in territorio dioecesis tenetur strictius quam parochus, quia ipse est principalis dioecesis pastor: secus quomodo gregi suo recte providere poterit? Hinc in ejus ordinatione annulus Episcopo consignatur, ut illum gerendo consideret se non esse amplius sui juris, sed Ecclesiae suae sponsae, eique, dum vivit, perpetuo assistat. Attamen Concil. Trid. Episcopo concedit ut possit quolibet anno tribus mensibus continue vel interpolate abesse a Dioecesi, modo ex causa honesta et sine gregis detrimento. At conjungere nequit tres menses unius anni cum

[1] S. Alph., L. IV, 156.
[2] S. Alph., L. IV, 159.
[3] Episcopus dicitur *Ordinarius,* quia ordinaria jurisdictione gaudet in sua dioecesi; dicitur etiam *dioecesanus* ratione territorii sibi subjecti; et *suffraganeus* ratione metropolitani cui subditur. Ejus ecclesia vero *Cathedralis* vocatur, quia in ea est ejus Cathedra seu Sedes.

tribus anni sequentis, ut declaravit Bened. XIV in Bulla *Ad universae.* — Ut autem ultra tres menses abesse possit, ex eodem Trid. requiritur justa causa, uti esset: 1° *Caritas christiana;* puta causa componendi graves inimicitias. 2° *Urgens necessitas,* puta si ejus vita periclitaretur, v. g. ob morbum, vel personalem persecutionem. 3° *Obedientia* debita Rom. Pontifici. 4° *Evidens utilitas* Ecclesiae, aut Reipublicae, v. g. si abesset ad suae Ecclesiae jura defendenda in Concilio Generali, vel Provinciali. Istae tamen causae ex Bened. XIV semper a Papa approbandae sunt.

95. — *Q.* Quid de reliquis obligationibus Episcopi?

R. — 1. Quoad *electionem bonorum ministrorum,* Episcopus tenetur eligere bonos seu dignos altaris ministros, morum sanctitate et doctrina praeditos, maxime vero invigilare debet ut bonos parochos eligat et bonos confessarios: nam, ait S. Alph., pro certo habendum est parochum bonum uno mense utiliorem esse populo, quam doctiorem sed minus probum toto anno. Et unus confessarius qui sit ignarus aut moribus pravus potest totam regionem perditam facere [1].

Ut vero Episcopus bonos ministros, parochos, et confessarios habere possit, sedulo incumbere debet ut Seminarium optima directione constitutum habeat, optima nempe disciplina tam in spiritu, quam in scientia florens.

2. Quoad *orationem et praedicationem,* Episcopus, Apostolorum instar, orationi et ministerio verbi Dei instans esse debet. Hinc frequenter, et saltem diebus dominicis et festis etiam a Pio VII reductis, Sacrum facere debet pro sua dioecesi; de qua obligatione omne dubium abstulerunt Litterae *In suprema* S. Pontificis Leonis XIII ad omnes Episcopos, anno 1882. Ad hoc tamen Episcopus tenetur tantum post adeptam possessionem, ex Decreto S. C. R. Non tenetur autem Vicarius Capitularis, juxta declarationem ejusdem S. C. [2] — Item strictissima obligatione verbum Dei praedicare tenetur, et quidem per se, vel, si legitime sit impeditus, saltem per alios [3].

3. Debet *pauperibus subvenire:* patrimonium pauperum, ait S. Alph., est mensa episcopalis; et juxta S. Greg. eleemosyna est primum opus misericordiae quod pastor suo gregi praestare debet. Tenetur insuper assidue *accessum ad se patentem tenere subditis,* et praecipue parochis et vicariis foraneis, quos statim ad sui praesentiam admittere tenetur [4].

4. Quoad *visitationem dioecesis* Episcopus ex jure naturali et divino tenetur frequentius quoad poterit, et cum debita diligentia, ipsam visitare, ut constat ex Trid. (Sess. XXIV, cap. III, de Ref.). *O quot perturbationibus,* ait S. Alph., *occurritur a Praelato circumeundo, et propriis oculis res inspiciendo!* [5]

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. VII, 46, 54-6.

[2] S. R. C., 12 nov. 1831, n. 2682 ad 22 et 23.

[3] Trid. Sess. V, c. II, *de Ref.* — Observat tamen S. Alphonsus, Episcopos, ex consuetudine communi legis interprete, regulariter non teneri per *seipsos* praedicare, ob tot negotiorum genera quae expedire debent, et aliis facile committere nequeunt, prout committi potest munus concionandi. Porro dictum est *regulariter,* quia videtur saltem aliquando Episcopos teneri ad praedicandum. — Hom. Ap., Tr. VI, 5.

[4] S. Alph. Hom. Ap., T. VII, 63, 64.

[5] S. Alph. Hom. Ap., T. VII, 60, 61.

In hac dioecesis visitatione Episcopus debet praedicare; — examinare pueros quomodo instructi sint;—examinare sacerdotes et scrutinium personale adhibere de eorum vita, moribus et scientia; — curare ut abusus et scandala auferantur, et dissidia componantur; — invigilare quoad scholas, instituta pia et monasteria; — et Sacramentum Confirmationis administrare.

5. Demum Episcopus *de statu propriae dioecesis rationem S. Sedi reddere debet,* statutis temporibus Limina Apostolorum personaliter adeundo. Quod si personaliter adire impeditus fuerit, rem expediat per aliquem de sui Capituli gremio, vel per alium ecclesiastica dignitate aut beneficio praeditum, qui interim fructus beneficii facit suos. — Episcopi Itali Limina adire tenentur singulo triennio; Galli singulo quadriennio; Episcopi Asiae et Hiberniae singulo decennio; etc. Cf. Bened. XIV, de Synodo [1].

96. — *Q.* Quaenam privilegia Episcopi?

R. Privilegia Episcopi respiciunt: 1° Absolutionem a censuris, de quibus in vol. I, n. 282; — 2° Dispensationem a votis, et juramentis, de quibus in vol. I, n. 186, 644; a quibusdam irregularitatibus et impedimentis matrimonii, de quibus dicetur in Tr. de Irregularitatibus et de Matrimonio; — 3° *Alios diversos casus*, nempe Episcopus potest:

I. Dispensare: 1° In omnibus rebus levioris momenti, et hoc tum ex consuetudine, tum quia recursus ad Papam esset nimis incommodus;—2° In omnibus quae communiter eveniunt, ut in abstinentia ab esu carnis, in jejunio, in officio divino, etc., sed tantum ad breve tempus et pro casibus seu personis particularibus, non vero pro tota communitate; — 3° In omnibus statutis quae habent clausulam *donec dispensetur;* — 4° Ab interstitiis quoad ordinationem [2].

2. Potest in casu necessitatis, vel ob justam causam, per modum actus transeuntis, idest una vel altera vice, facultatem dare celebrandi in domibus privatorum, et in oratorio privato. Ita S. C. C., 20 dec. 1856.

3. Potest celebrare una hora ante auroram vel post meridiem, et potest hanc facultatem sacerdotibus communicare in aliquo casu particulari ex rationabili causa [3].

Inspiciendae demum sunt variae aliae facultates speciales quas S. Sedes Episcopis concedere solet.

Art. II.

De obligationibus Vicariorum Generalium et Capitularium.

97. — *Q.* Quid de Vicario Generali?

R. In Episcopi arbitrio est Vicarium Generalem sibi constituere vel non, sed semel ab ipso constitutus, Vicarius Generalis, *per se loquendo,* habet a jure potestatem ordinariam et liberam ea gerendi quae potest ipse praelatus, et alios etiam delegandi; nam in iis quae jurisdictionis sunt censetur una eademque persona cum Episcopo. Hinc dispensat in proclamationibus matrimonii, fert censuras, approbat ad confessiones

[1] L. II, c. 7, et L. XIII, c. 6.
[2] S. Alph., L. VI. 795.
[3] S. Alph., L. VI, 344.

excipiendas, absolvit percussorem clerici, instituit praesentatos a patronis, judicat causas beneficiarias de jure patronatus, etc.

Dixi: *per se loquendo*, nam excipiuntur ea quae peculiare mandatum postulant, et quae soli Episcopo jure servantur. Hinc sine speciali mandato non potest cognoscere causas criminales, in quibus gravius est in reum animadvertendum, v. g. per depositionem, vel excorporationem (*vulgo* EXEAT) [1], nec causas matrimoniales, nec potest conferre beneficia, neque in iis permutandis, uniendis, erigendis consensum praebere; non visitat dioecesim, non Synodum cogit, nec indicit Conventum Canonicorum, non absolvit a casibus qui a jure canonico soli Episcopo reservantur, imo sine speciali commissione nec a casibus quos sibi reservat Episcopus, ut communiter dicunt Th., non tollit irregularitatem ex delicto occulto, non concedit litteras dimissorias, nisi Episcopus diu in longinquo versetur, non dispensat in juramentis, nec in votis, neque in statutis episcopalibus et synodalibus: demum nihil potest, uti patet, in iis quae sunt Ordinis Episcopalis.

Vicarius Generalis si deliquerit uti persona privata, Episcopus eum punire potest; si vero deliquerit circa jurisdictionem, seu circa officium Vicarii, puniendus est ab Archiepiscopo, quia Episcopus non potest esse judex in causa sui Vicarii uti talis, cum sit unum et idem tribunal. Eadem ratione non datur appellatio a sententia Vicarii ad Episcopum, sed ad Metropolitam vel ad S. Sedem.

[1] Episcopus concedere potest alicui sibi subdito ut ad alienam dioecesim transeat, fiatque alterius Episcopi subditus. Litterae dimissionis dicuntur *Excorporatio* si de laico agatur, *Exeat* si de clerico.

98. — *Q.* Quid de Vicario Capitulari?

R. Ordinaria Episcopi jurisdictio, vacante sede episcopali, jure proprio et nativo transit ad Capitulum Ecclesiae Cathedralis, cujus est agere quae ordinariae jurisdictionis sunt. Sed Capitulum tenetur infra octo dies Vicarium Capitularem eligere, qui ex Trid. saltem in jure canonico aut S. Th. sit Doctor vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus; et recte eligitur etiam extraneus a Capitulo, si nemo ex Canonicis habeatur aptus. Semel autem electus dimoveri amplius nequit, nisi a Congregatione Episcoporum, probata causa. Ipse vero totam accipit ordinariam Episcopi jurisdictionem, cujus nullam partem Capitulum sibi reservare potest; ita ex Constit. Pii IX, 25 aug. 1873. Hinc ipse solus judicat causas matrimoniales, absolvit a censuris, concursum indicit, a votis ac juramentis dispensat, et, elapso anno ab ultima visitatione, dioecesim visitat, ac post annum luctus synodum celebrat, etc.

Quamvis vero jurisdictio Vicarii Capitularis latius pateat jurisdictione Vicarii Generalis, multa tamen et ipse Capitularis non potest, quia sacri Canones limitem ei constituerunt. Hinc non visitat monasteria exempta, non confert beneficia quae soli Episcopo reservata sunt, non dat indulgentias, non concedit non arctatis dimissorias nisi post annum luctus, secus erit interdictus, nec potest aliquid de juribus Ecclesiae detrahere, aut bona ecclesiastica permutare, dividere, alienare. Tandem tenetur

futuro Episcopo de sua administratione rationem reddere, et, si deliquerit, potest puniri.

Si Capitulum infra octo dies Vicarium Capitularem non elegerit, jus eum constituendi devolvitur ad Metropolitanum, et in ejus defectu ad antiquiorem suffraganeum, vel ad propinquiorem Episcopum, si Ecclesia vacans sit exempta. Sic ex Trid.[1]. Idem dicendum si infra idem tempus electio non fuerit rite et regulariter facta. Ita Cl. Ballerini.

Art. III.

De obligationibus Canonicorum.

99. — *Q.* Quaenam Canonicorum obligationes ? [2].

R. Canonicorum obligationes quatuor praecipue sunt: residentia; officium chori; missa conventualis; et assistentia Episcopo pro Canonicis Cathedralis.

I. *Residentia.* Canonici tenentur ad residentiam in propriis ecclesiis. Singulis tamen annis ipsis conceditur vacatio per tres menses; modo tamen constitutiones respectivarum Ecclesiarum tale tempus non coarctent[3]. — Tempus vero feriarum ita distribuendum est ut nunquam plus quam tertia pars Capituli ferietur, quia vacationes Canonicis non vero Capitulo conceduntur, cultus enim divinus, cui addicti sunt, non debet vacare. Nec hoc tempus vacationis incidere debet in majoribus solemnitatibus Paschae, Pentecostes, Nativitatis Domini, neque in earum Octavis, neque in Adventu, vel Quadragesima.

Canonici, dum feriantur, non tenentur aliquem sibi substituere; nec indigent licentia Episcopi, aut Capituli ad discedendum intra dioecesim, sed si extra dioecesim discedunt, licentia Episcopi ipsis necessaria est; neque indigent speciali ratione ut abesse possint, uti declaravit S. C. C. 4 maji 1737.

Episcopus autem, si adsit justa causa, uti infirmitas, utilitas Ecclesiae, etc., absentiam per quatuor menses ipsis permittere potest, et etiam diuturniorem ob causam extraordinariam.

Ad violationem legis residentiae satis est si dies absentiae, quamquam interpolate, superent trimestre; sed possunt Canonici, secus ac Episcopi, conjungere tres menses unius anni cum tribus mensibus anni sequentis, modo absit scandalum, et divinus cultus non minuatur[4].

Canonici, illegitime absentes ultra trimestre, fructus beneficii et quotidianas distributiones absentiae correspondentes statim in conscientia amittunt, nec possunt exigere aut retinere. Unde ea ante quamlibet sententiam judicis restituere debent, retenta tamen parte fructuum sibi debita pro privata divini officii recitatione[5].

Imo ex Trid. (Sess. 24, cap. 12) qui ultra tres menses absunt primo anno priventur dimidia parte fructuum; quod si in absentia perseveraverint, priventur omnibus

[1] Sess. XXIV, cap. XVI, *de ref.*

[2] Canonici sic appellantur a *canone* seu regula quam in Ecclesiae servitio observare debent. Alii dicuntur *regulares*, qui sub cura Praepositi vitam communem et votis adstrictam agunt; alii *saeculares*, qui, separatim, in saeculo sub cura Episcopi, ex beneficio seu praebenda et ex distributionibus choralibus vivunt.

[3] Trid. Sess. XXIV, c. XII, *de Ref.*

[4] S. Alph. Hom. Ap., Tit. XIII, 50.

[5] *Ninzatti*, III, 845.

fructibus illius anni. « Crescente vero contumacia, contra eos juxta S. Canonum constitutiones procedatur », nempe, ait S. Alph., ad ipsorum beneficiorum privationem. Sed quum hoc Trid. decretum sit poenale, ideo quoad hanc restitutionem dimidiae partis fructuum totius anni requiritur sententia judicis [1].

2. *Officium chori.* Canonici tenentur ad divinum officium in choro canendum, vel psallendum ; nec excusantur quod pauci sint, nam S. C. C. declaravit Canonicos, etsi paucos, puta duos vel tres, teneri officium in choro canere aut recitare; et quidem voce satis elata.

An vero satisfaciat qui, in choro, psalmos voce submissa recitat, alteram partem audiendo, distinguo: Si loquimur de choro in generali, sententia probabilior et communior affirmat, quia ad satisfaciendum officio in choro non est necesse ut quisque audiat omnes voces alterius partis, unaquaeque enim pars unum corpus cum alia constituit, et mutuo communicat. — Si vero loquimur de choro canonicorum, an canonicus qui voce submissa recitat satisfaciat choro et lucretur distributiones, alii cum Sanchez affirmant, sed Th. communiter, ait S. Alph., et merito negant, quia servitium chori in eo consistit, ut clerici conveniant in ecclesia ad officium psallendum : ergo qui non psallunt sed officium submissa voce recitant, non possunt dici choro inservire [2].

Canonici autem, qui sine justa causa a choro absunt ultra tempus ipsis concessum, peccant et quidem graviter si per notabile tempus absunt ; venialiter vero si per breve tempus, v. g. tres aut quatuor dies. Errant ergo illi, ait Cl. Scavini [3], qui tutos in conscientia se putant, quia distributiones cedunt ; obligatio enim chori a distributionibus est prorsus independens.—Canonicis autem prohibita est quaevis *remissio* vel *collusio,* nempe conniventia de non notandis absentiis eorum qui interesse debent.

Posita justa causa, Canonici a choro totaliter vel partialiter excusantur.

Causae a choro *totaliter* excusantes, quibus nempe stantibus Canonici non privantur fructibus beneficii nec ordinariis distributionibus, sunt : 1° *infirmitas gravis,* vel quae potest probabiliter gravis fieri ; 2° *necessitas,* v. g. rationabilis timor gravis damni in vita, honore, bonis ; 3° *Ecclesiae utilitas,* uti esset v. g. quando Canonicus Curatus, Poenitentiarius, Theologus proprio munere actu fungitur ; 4° *indultum jubilationis,* seu exemptio obtenta per Rescriptum S. Sedis post 40 annos servitii.

Dixi ob has causas Canonicos non privari distributionibus *ordinariis* ; nam distributiones quae *inter praesentes* appellantur, nonnisi a vere et realiter praesentibus lucrari possunt [4].

Causae vero a choro *partialiter* excusantes, quibus stantibus, nisi alia esset consuetudo, absens lucratur tantum fructus beneficii, ad tres reduci possunt : 1° absentia legitima per tres menses vacationis, ut diximus ; 2° necessitas docendi theologiam in scholis pu-

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. X, 51.
[2] S. Alph., L. III, 675, dub. 4; B. XIV. Const. *Cum semper*, 19, aug. 1744, § 24.
[3] *Scavini*, I, 431, 3.
[4] *Acta S. Sedis*, Tom. VIII, p. 504.

blicis; 3° impedimentum quodcumque legitimum ab Episcopo approbatum. — Sic v. g. excusantur Canonici examinatores, dum examinant tempore officii.

3. *Missa conventualis.* Canonici tenentur sub gravi missam unam quotidie celebrare cum cantu, illamque pro fundatoribus et Ecclesiae benefactoribus applicare; quae tamen applicatio a S. C.C. ad dies festos reduci potest, si Canonici adeo pauperes sint, ut stipendiis missarum ad vivendum indigeant. Ita Bened. XIV, in Bulla *Cum semper*. Missa tamen quotidie celebranda est, et omnes Canonici debent huic missae in choro interesse. Is vero, cui incumbit onus missae conventualis, die quo Episcopus pontificaliter celebrat, illam applicet lectam [1].

4. *Assistentia Episcopo.* Canonici ecclesiae cathedralis tenentur insuper assistere et inservire Episcopo, non quidem privatim celebranti, sed quando celebrat solemniter et pontificalia exercet. Imo Episcopo licet Canonicos cathedralis compellere ut sibi inserviant, quoties in civitate et suburbiis pontificale munus exercet, modo servitium chori non fraudetur.

100. — *Q.* Canonici possunt ne ecclesiae vel choro inservire per substitutos, vel alternatim unus pro alio?

R. Negative, generatim loquendo, quia prohibitum est a Conc. Trid. [2], dicente: « Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia »; et esset contra declarationem S. C. C. 25 julii 1570, et hoc etiamsi adesset consuetudo vel statutum id permittens. Dictum est *generatim loquendo,* quia S. C. Conc. declaravit, quod Episcopus, ubi adest consuetudo, potest concedere facultatem capitularibus invicem se substituendi in servitio tum ecclesiae, tum chori; modo uterque eodem tempore eidem servitio non sint adstricti, et modo curet Episcopus ne hac facultate se substituendi illi abutantur; puta si hujusmodi substitutiones sint nimium frequentes. Alias vero declaravit S. C. hoc decretum locum habere tantum inter praesentes. Cumque deinde dubitatum fuerit, an censendus sit absens canonicus qui pernoctat extra moenia civitatis, ubi est cathedralis, per medium milliare vel circa in suburbiis, unde opportune possit ad servitium accedere, S. C. respondit: Non censeri absentem [3].

[1] S. R. C., die 12 nov. 1831, n. 2682 ad 20.

[2] Sess. XXIV, cap. 12, *de Ref.*

[3] S. Alph.. L. III, 675, *D' Annibale,* III, 178.

ART. IV.

De obligationibus Parochorum.

101. — *Q.* Quaenam praecipuae obligationes Parochi?

R. Plures sunt obligationes Parochi; praecipuae vero ad sequentes reducuntur: 1° ad residentiam; 2° ad praedicationem; 3° ad orationem et missam pro populo celebrandam; 4° ad Sacramenta administranda; 5° ad oves proprias cognoscendas; 6° ad pauperes subveniendos; 7° ad peccatores corrigendos: 8° ad curam specialem habendam de infirmis et moribundis; 9° ad bonum promovendum; 10° ad bonum exemplum praebendum: 11° ad specialem curam habendam de propria

domo et familia: 12° demum ad bonorum etiam temporalium curam.

De *pauperum subventione* ac de *correctione peccatorum* satis dixi mus in vol. I, p. 245, nota 1, et n. 426 et seq.: hic igitur de reliquis tantum.

§ 1°

De residentia.

102. — *Q.* Quaenam Parochi obligatio quoad residentiam?

R. Parochus residere tenetur in aede parochiali; quod si in alia domo commorari velit, licentia Episcopi indiget [1]. Parochus ad residentiam personalem certe tenetur ex jure ecclesiastico, ut constat ex Trid. (Sess. 23, c. 1). — An vero teneatur etiam ex jure divino, alii non sine probabilitate negant [2]; sed sententia communior et probabilior affirmat [3].

103. — *Q.* Quid requiritur ut parochus licite abesse possit a parochia?

R. Ut parochus licite abesse possit, tria requiruntur: justa causa, substitutio idonei Vicarii, et licentia Episcopi.

1. *Justa causa;* et haec, si absentia non est ultra bimestre in anno, sufficit si honesta sit, uti invisere consanguineos, convenienter se recreare, etc. — Bimestre vero efformatur ex absentiis etiam interpolatis, dummodo non sint ita breves ut pro nihilo reputentur. — Si vero absentia est ultra bimestre, causa debet esse etiam gravis. Causae autem graves ob quas a Superiore concedi potest licentia abscedendi ultra bimestre, quatuor a Trid. (Sess. XV, cap. 1) assignantur, nempe: 1° *Caritas christiana,* v. g. ad subveniendum alteri ecclesiae quae indigeat parochi praedicatione, uti in casu missionum, maxime in propria dioecesi; ad componendas inimicitias, etc. — 2° *Urgens necessitas*, nempe necessitas discedendi ad vitanda magna pericula sive vitae, sive libertatis, sive fortunae, prout contingere potest ratione infirmitatis, magnae litis, persecutionis, periculi carceris, etc. — 3° *Debita obedientia* Papae vel proprio Ordinario. — 4° *Evidens Ecclesiae aut reipublicae utilitas*, v. g. ut assistat synodis provincialibus vel dioecesanis, ut defendat se, vel propriam parochiam in aliquo gravi negotio, etc.

2. *Substitutio idonei Vicarii*, qui approbari debet ab Episcopo, cui spectat de Vicarii idoneitate judicare. Haec tamen approbatio non est necessaria quando agitur de illis brevissimis absentiis, in quibus pro discessu ne licentia quidem Episcopi exigitur. — Contingere autem potest quod, non obstante substitutione Vicarii, Parochus sine gregis detrimento abesse nequeat, quando ejus opera personalis praecise exigatur, uti si infirmos aut moribundos personaliter assistendos in parochia habeat: et tunc, uti patet, discedere nequit, nisi adsit absoluta necessitas; et contingere posset quod absentia etiam brevissima ad mortalem culpam constituendam sufficiat [4]. — Ubi autem quovis momento Parochiani Parocho vel Vicario indigere possunt, prout ac-

[1] *Berardi,* Praxis, 691.

[2] *Berardi.* de Parocho, cap. 1.

[3] S. Alph,, L. IV, 121; Ben. XIV, De Synodo, L. 7, c. 1.

[4] *Berardi,* de Parocho, cap. 1.

cidit in magnis parochiis, oportet ut quavis hora alteruter domi remaneat.

3. *Licentia Episcopi*. Hinc etsi Parochus habeat justam causam discedendi, non potest tamen per bimestre abesse sine licentia Episcopi, quia licet ex Trid. non exigatur gravis causa ad discedendum per bimestre, absolute tamen requiritur ut causa ab Episcopo agnoscatur; ita sententia communior et probabilior. Unde S. Alph. a gravi culpa non excusat Parochum qui per bimestre a parochia absit, cum causa quidem et sine damno ovium, sed sine licentia Episcopi [1]. Nec sufficit licentia praesumpta, sed expressa requiritur, at probabilius necesse non est ut sit scripta.

Quod si aliqua necessitas occurrat quae moram non patiatur Episcopum adeundi, tunc Parochus licite poterit abesse per breve tempus sine licentia Episcopi, modo idoneum Vicarium relinquat; debet tamen Episcopum certiorare de suo discessu deque ejus causa, nisi brevi sit reversurus.

Tempus absentiae, secluso damno ovium, admittit parvitatem materiae. Quale autem sit hoc modicum tempus, communiter dicunt non extendi ultra hebdomadam; ideoque ex jure communi licentia Episcopi exigitur pro absentia integrae hebdomadae, et aliquando, ex speciali statuto propriae dioecesis, talis licentia exigitur etiam si absentia ultra biduum vel triduum pertrahatur.

104. — *Q*. Parochus, si legem residentiae violat, ad quid tenetur?

R. — **1**. Parochus, qui neque materialiter neque formaliter residet, neque per alium officium suum implet, fructus amittit pro rata absentiae, sed probabiliter tantum quoad partem residentiae oneribus respondentem.

2. Qui materialiter non residet, sed per alium idoneum officium suum implet, fructus amittit si ultra bimestre vacationis abest [2]. An autem fructus amittat qui ultra bimestre vacationis discedit, sine debita licentia quidem, sed cum justa causa, communius affirmant, quia istae duae conditiones simul copulative requiruntur; sed alii probabiliter negant, modo causa absentiae sit evidenter justa, nec adsit sententia judicis, et modo per alios suis ovibus sufficienter proviserit [3]. S. Alph. vero ait: Nescirem condemnare Parochum illum, qui ex causa evidenter justa discederet, et oeconomum idoneum relinqueret, *alias jam approbatum* ab Episcopo, et qui actu jam reperiretur in paroeciae servitio [4].

3. Qui materialiter tantum residet, si nec per alium officium suum implet, ipso naturali jure fructus amittit; quod si per alium id praestet, an eos amittat ex jure canonico, disp. Th. et verius negant.

Fructus amissi restituendi sunt ante omnem sententiam judicis, et hoc ex justitia vel poena conventionali, prout jure naturali vel canonico amissi fuerint. — Restitutio vero fabricae ecclesiae vel pauperibus loci fieri debet [5].

[1] S. Alph., L. IV, 123.

[2] Nam qui *non ultra* bimestre, si *iniussu Ordinarii* abfuit, graviter quidem, sed contra obedientiam, non contra parochi officium, deliquit. *D' Annibale*, III, 174 (71).

[3] S. Alph., L. IV, 127.

[4] S. Alph. Hom. Ap.. T. VII. 21.

[5] Trid. Sess. XXIII, cap. I. — Inde in-

§ 2°

De Praedicatione.

105. — *Q.* Quaenam Parochi obligatio quoad praedicationem?

R. Parochus quoad praedicationem ad tria tenetur, nempe: Evangelium explicare; populum doctrinam christianam docere; et pueros catechesim.

1. Tenentur explicare Evangelium, per se vel per alios idoneos sacerdotes, ut colligitur ex verbis Trid.: *Mandat sancta Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex iis quae in missa leguntur, aliquid exponant... diebus praesertim dominicis et festis* [1].

2. Parochus, ait Pius X in sua Encyclica *Acerbo nimis* (15 apr. 1906), praeter consuetam homiliam seu explicationem Evangelii, tenetur populum seu fideles adultos instruere circa doctrinam christianam omnibus diebus festis, ea hora quam opportuniorem duxerit ad populi frequentiam, facili quidem sermone et ad captum accomodato. Qua in re Catechismo Trid. utetur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiem pertractet, quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, et de Oratione. — Parochi autem populum in doctrina christiana erudire tenentur tum jure *naturali,* ratione oneris quod susceperunt aeternam ovium salutem procurandi; tum jure *divino*, nam ex praecepto divino bonus pastor oves suas pascere debet; tum jure *ecclesiastico*, ut constat ex Trid.: *Archipresbyteri, Plebani, et quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias... obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis* [2].

Attamen S. Cong. Conc. ait: « Erit prudentiae Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus » (1 april. 1875). Et S. Alph. inquit: Bene posse Parochos conciones omittere, ut postea opportunius suppleant [3]. Quare perabsurda et Canonum dispositioni contraria est quorumdam consuetudo, qui non solum in aliquibus solemnioribus diebus, sed aliqua anni parte, praetextu caloris, aut frigoris, aut feriarum, nec per se nec per alios praedicant: et sive Evangelii explicationem, sive instructionem seu catechesim ad populum penitus omittunt.

Parochi per se ipsos muneri praedicationis satisfacere debent, haec enim obligatio est personalis, ut patet ex citatis verbis Tridentini, et ex pluribus S. C. C. decisionibus.

Quod si Parochus personaliter populum docere nequeat, tenetur supplere per alium idoneum, nam Trid. dicit: *Per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint.*

fert S. Alph., L. IV, 128, neque emendis aut meliorandis praediis beneficii parochialis, neque aliis pauperibus erogari posse. Sed non puto, si ita factum sit, aut graviter peccasse, aut novae restitutioni obnoxium esse parochum: scilicet, quod Trid. principaliter et maxime spectat, est poena delinquentis. *D'Annibale*, III, 174 (76).

[1] Trid., Sess. XXII, cap. 8.

[2] Sess. V, *de Ref.*, c. 2.

[3] S. Alph., L. III, 260.

Attamen, si de una dumtaxat vel altera vice ageretur, putarem non statim urgere obligationem supplendi, nisi qui suppleat in promptu sit, aut valde commode haberi possit. Si vero impedimentum esset perpetuum aut diuturnum, tunc certe (etiam cum notabili incommodo) quaerere deberet qui vices gerat. Sed non raro (speciatim ruri et quoad Parochos pauperes) id impossibile est; et tunc Parochus si quid per se ipsum praestare possit, id praestet (impedimenta enim saepe saepius sunt magis imaginata quam realia, et difficile est quod Parochus sit adeo impotens ut suo populo aliqua bona verba ad instar patris familiariter dicere nequeat), caetera meliori modo possibili, v. g. ope Missionis aut Spiritualium Exercitiorum, supplere satagat [1].

3. Parochus tertio loco tenetur catechesim pueros docere: concio enim cum catechesi non est confundenda. Hinc Benedictus XIV, in Const. *Etsi minime*, 1742, ait: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum ut pueros et rudiores quoque divinae legis fideique rudimentis informent.*

Hinc Pius P. X, in praedicta sua Encyclica, districte mandat ut « Parochi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis quae quisque credere agereque debeat ad salutem adipiscendam ex catechismi libello erudiant. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Pascalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adulescentulas sic instruant, ut sancte Sancta primum de altari libent. »

Parochus igitur, juxta Tridentinum et mandatum Pii P. X, ad catechesim tenetur *saltem dominicis et aliis festis diebus;* et consuetudi-

[1] Caeterum sequentia notari debent: 1° Aliquando praestat ut alius a Parocho praedicet; etenim vox diversa magis populum allicere solet; idque maxime si Parochus senex sit, aut si ob aliquam imperfectionem aegre audiatur. — 2° Si in Ecclesia Parochiali tempore Adventus vel Quadragesimae habeantur conciones per praedicatores ab Ordinario approbatos, tunc si adsit consuetudo ut Parochus non praedicet, haec (nisi Episcopus aliud decernat) servari poterit (S. C. C., 29 mart. et 30 aug. 1817). — 3° Quodlibet *motivum rationabile*, v. g. non adeo firmae valetudinis, quamvis non absolute grave, sufficere potest ut Parochus non jam perpetuo sed identidem praedicationis onus aliis idoneis committat; quamvis enim valde intersit ut grex pastoris vocem audiat, tamen praecipuum est ut pabulum gregi non desit. Dixi *motivum rationabile;* at tale non esset defectus temporis ad praeparationem necessarii, dum caeteroquin Parochus recreationibus et negotiis temporalibus abunde indulget; imo ipsa officia parochialia, v. g. assistentia infirmorum, raro excusabunt, tum quia cum dicta praeparatione facile componi possunt, tum quia, si Vicarius habeatur, illa saepius ei committi poterunt, ut Parochus praedicationis officio (quod proprie ad illum spectat) satisfacere queat, tum denique quia sermo, potius quam omittatur, brevior et qualis ex corde venerit sufficere poterit. Idem dic de ignavia, defectu studii, somniatis morbis, timiditate, etc. Pro sermone ad populum habendo peracutum ingenium non exigitur; Tridentinum dicit quod Parochus id praestare debet *pro sua capacitate;* bonus Parochus studio incumbat et faciat quod in se est, Deus supplebit; non raro minori ingenio praediti, sed majori pietatis sensu praedicantes, longe uberiorem fructum quam magni doctores ferunt.

nes in contrarium tamquam abusus et corruptelae habendae sunt [1]. — Haec puerorum instructio, uti patet, non consistit in solis catechismi formulis materialiter edocendis; sed oportet ut Parochus circa legem Dei et Ecclesiae, nec non circa media salutis pueros ita instruat, ut clare et dilucide omnia percipiant; atque ad vitam christianam reapse ducendam moveantur et assuescant; unde Parochus, qui solas formulas materiales doceret, muneri suo non satisfaceret et certe mortaliter peccaret [2].

Parochus vero huic muneri satisfacere potest etiam per alios, nam Tridentinum, loquens de instructione danda pueris in singulis parochiis, non dicit dandam esse a Parochis, sed *ab iis ad quos spectabit.* Hinc Parochus quoad partem materialem (nempe circa formulas) uti potest auxilio aliorum sive clericorum, sive laicorum, sive etiam piarum feminarum. Quoad partem formalem vero (nempe explicationem) hanc etiam aliis committere potest qui bene in doctrina christiana instructi sint, uti Sacerdotes; at ipse huic personaliter et sedulo advigilare tenetur.

Haec autem cura et instructio puerorum, si semper, hodie vero maxime necessaria est; si enim juvenes in fide bonisque moribus non fundantur, et contra mundi pericula non praemuniuntur dum christianam doctrinam frequentant, certo certius gliscentis incredulitatis impiarumque sectarum victimae remanebunt, et tunc quidnam ad illos salvandos facere poterit Parochus? Itaque ad puerorum instructionem et curam diligentissimam districte et certe sub mortali Parochi tenentur; unde Pius IX, Encycl. *Nostis,* ait: *Parochi meminerint hanc puerorum instructionem ad graviores sui muneris partes omnino pertinere.*

106. — *Q.* Peccat ne Parochus qui sermonem ad populum omittit, vel modo convenienti non habet?

R. — **1.** Parochus si sermonem ad populum sine justa et gravi causa omittit, certe peccat. Et si per tres menses, etiam non continuos, nec per se nec per alios praedicat, juxta communem sententiam mortaliter peccat. Imo plures Th. rationabiliter docent peccare quoque graviter si per integrum mensem continuum id omittit, et etiam minus temporis spatium ad mortale sufficit, si populus praedicatione graviter egeat. Dixi: *si nec per se nec per alios praedicat;* nam si defectus Parochi in hoc consistit quod praedicat per alios idoneos, dum per se ipsum praedicare deberet, tunc ad peccatum mortale constituendum majus temporis spatium exigeretur [3].

2. Non solum peccat Parochus qui praedicationem debitam omittit, sed etiam peccat quando praedicationem suam *capacitati audientium* minime aptat, nempe conciones habendo ita ornatas, ut major audientium pars eas non valeat intelligere; Tridentinum enim praecipit ut Parochi plebes pascant *pro earum capacitate.* Hac de re quot Parochi damnabuntur qui non Jesum Christum Crucifixum sed seipsos praedicant; unde ven. Avila hos vacuos et vanos praedicatores *proditores animarum* vocat [4].

3. Peccat etiam Parochus qui

[1] *Scavini,* I, 640; *Berardi,* 733.
[2] *Berardi,* 732.
[3] *Scavini,* I, 448; *Berardi,* 750.
[4] Hac in re et qui exquisitis huma-

praedicat quidem juxta praescriptum, sed debitam praeparationem ad praedicationem non praemittit; ideoque quidquid in buccam venit effutit sine ordine, claritate, pietate ac zelo, unde multa inutilia dicit, imo et falsa, cum magno audientium taedio, et verbi divini contemptu. Item qui loco concionis pios libros auditoribus legit, quia lectio non est praedicatio. Hi Parochi qui studio non incumbunt, nec ad praedicationem convenienter se praeparant, causa sunt cur multi parochiani paullatim sacras functiones et praedicationem deserant cum magno suarum animarum damno [1].

Demum adnotandum quod si in parochia reperiantur notabiles morum dissolutiones, quibus nullum occurrit remedium, Parochus tenetur curare ut *Missio* eo adveniat. *Ille Parochus, qui Missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum: boni enim Parochi non praetermittunt quarto aut quinto quovis anno Missionem arcessere.* Ita S. Alph. [2].

§ 3°

De oratione et celebratione missae.

107. — *Q.* Quaenam Parochi obligatio quoad orationem et missam pro populo celebrandam?

R. Parochus tenetur: — **1.** Pro suis ovibus frequenter orare, ut sibi et illis gratias ad salutem necessarias ac coelestes benedictiones imploret; idque speciatim si necessitates extraordinariae urgeant.

2. De jure naturali et divino juxta plures, et certo de jure ecclesiastico, tenetur singulis dominicis et festis, etiam a Pio VII et Pio IX reductis, in Kalendario Dioecesis cruce signatis, missam celebrare pro populo [3].

3. Haec obligatio est *personalis, realis* et *localis*. Quare Parochus tenetur celebrare et applicare per se ipsum, nisi justa causa etsi non gravi excusetur [4], et tenetur ad hanc applicationem licet privatim celebret, et alius missam parochialem dictam cantet [5].

4. Si Parochus, quia legitime impeditus, missam pro populo celebrare nequit, alii sacerdoti committere debet missae celebrationem et applicationem pro populo, et quidem ipso die festo et in ecclesia parochiali, quia talis obligatio non est solum personalis, sed etiam realis. Et si ita non fecit, tenetur, quam primum poterit, missam pro populo applicare. Ita S. C. C., 14 dec. 1873. Censetur autem legitime impeditus si non posset celebrare ob infirmitatem; vel si, quia Parochus est Canonicus, missam conventualem canere deberet. E contra non censetur legitime impeditus, eo quod

nae sapientiae verbis perstrepunt auribus; et qui imparati prorsus accedunt, perinde habendi sunt ac si officio suo plane defuerint. *D'Annibale*, III, 167 (10).

[1] *Gury*, II, 112.

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. VII, 31.

[3] Si festum incidat, vel ejus *Officium una cum solemnitate* translatum fuerit in diem Dominicam, una tantum Missa pro populo est a Parocho applicanda. At si *solemnitas tantum* transferatur in Dominicam (uti fit in Gallia et Belgio quoad festa Circumcisionis, Epiphaniae, Corporis C., Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis et Immac. Concep. B. M. V., SS. Petri et Pauli et Patroni paroeciae), Missa applicanda est etiam *ipso die* quo praefatorum festorum Officia fiunt. Ita ex variis S. C. C. decisionibus, et ex Pii IX Constit. *Amantissimi*.

[4] *D'Annibale*, III, 169 (29).

[5] S. R. C., 27 feb. 1847, n. 2939 ad 4; 20 dec. 1864, n. 3128.

secus pinguem eleemosynam amittere deberet, prout in casu funeris contingere posset.

5. Parochus, si legitime a Parochia absit, potest pro libitu, vel ipse applicare pro populo, vel alii Sacerdoti committere ut ejus vice in Parochia applicet S. C. C., 14 dec. 1872.

6. Si missa pro defuncto, praesente, uti ajunt, cadavere, decantari debeat, Parochus non potest illam celebrare et missae applicationem pro populo ad alium diem differre; sed ipse tenetur ea die pro populo applicare, et alius Sacerdos missam pro defuncto decantet (S. C. C., 26 jan. 1771). Huic tamen non tenetur Parochus stricto jure dare totum quod accipit, cum et ipse gaudere possit privilegio aliorum Beneficiatorum, dum missas proprii beneficii alteri tribuunt celebrandas ; sed cum agatur de juribus stolae satis est si Parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam, et aliquid amplius pro incommodo.

In casu autem speciali in quo celebranda esset missa pro defuncto, praesente cadavere, si quis alius Sacerdos possit quidem missam de die celebrare, eamque ad libitum parochi applicare, sed missam pro defuncto decantare non potest ob admodum infirmam valetudinem, vel ob aliud legitimum impedimentum, et ex alia parte si parochus missam non decantando pro defuneto praesente cadavere rationabiliter timeret gravem parentum defuncti indignationem vel aliud grave incommodum, tunc videtur quod possit illi Sacerdoti committere ut nomine suo celebret pro populo, et ipse missam decantare pro defuncto. In hoc enim casu occurrit justa causa ob quam Parochus licite alteri Sacerdoti committit celebrare pro populo, juxta decretum S. R. C. 22 jul. 1848, n. 2967. Verum quidem est quod Decretum S. C. C., 26 jan. 1771, Parocho vetat ne diebus festis missam populo applicet per alium Sacerdotem in casu quo decantanda sit missa praesente cadavere; at hoc non est intelligendum absolute, sed in casibus ordinariis et frequentioribus, nempe quando alius Sacerdos commode haberi potest qui pro defuncto missam decantet, non vero quando causa justa et proportionata aliter exigat.

7. Si Parochus est valde pauper, de licentia Episcopi potest applicare pro eleemosynam offerentibus et ipso die festo missam exigentibus, dummodo pro populo intra hebdomadam aliam missam applicet. S. C. C., 28 nov. 1761.

8. Demum, etsi haec obligatio sit etiam localis et Parochus celebrare et applicare debeat in ecclesia parochiali, haec tamen obligatio non ita stricte accipi debet, ut de peccato incusandus sit si interdum ex causa etiam non gravi alibi celebret, modo aliis suis muneribus satisfaciat et missa a populo audienda non desit [1].

NOTA: 1° Parochus duabus parochiis praepositus duas Missas applicare tenetur, nisi unio duarum parochiarum sit *plenaria* et *extinctiva*, ita ut ex duabus una prorsus ob extinctionem tituli alterius evaserit. (S. C. C., 11 mart. 1574). Qui vero unam tantum habet Parochiam, duasque Missas celebrat, sufficit ut unam pro populo applicet (14 jun. 1845). — 2° Ad missae applicationem pro populo,

[1] *Scavini*, I, 454 : *Berardi*, 730.

ex Bulla *Cum semper*, Bened. XVI, tenentur non solum Parochi saeculares et regulares, sed et Vicarii sive perpetui, sive ad tempus constituti ad officium Parochi supplendum.

§ 4°

De administratione Sacramentorum

108. — *Q.* Quaenam Parochi obligatio quoad Sacramentorum administrationem ?

R. Parochus tenetur populo *administrare Sacramenta* et alia spiritualia auxilia quibus eget ; et tenetur sub gravi quando urget commune praeceptum illa suscipiendi, vel quando quis illa rationabiliter petit, nempe ex aliqua privata necessitate, vel gravi utilitate (vide dicenda *de Sacramentis in genere*, cap. IV). Hinc ex decreto S. C. C., 1679, approbato ab Innoc. XI, Parochus si potest ex justa causa alicui subdito taxare Communionem, non potest tamen dies Communionis praescribere pro omnibus generatim. Unde peccaret Parochus qui aegre ferret si qui intra hebdomadam communicari velint, eosque diu expectare faceret, et, quod pejus est, illos objurgaret ; sic enim sensim sine sensu eos a Sacramentis averteret. Boni enim Pastores qui zelum gloriae Dei et salutem animarum vere habent, maximam sollicitudinem adhibent ut fideles, qua majori frequentia possunt, ad Sacramenta accedant, ideoque paratos semper se exhibent, et accersiti accurrunt ; nam sciunt quod frequentia Sacramentorum medium efficacissimum est ad fidem, timorem Dei, et pietatem in Paroecia servandam.

[1] Jo. X, 14.

§ 5°

De ceteris Parochi obligationibus.

109. — *Q.* Quid de ceteris obligationibus Parochi ?

R. Parochus, praeter ea quae hactenus recensuimus, tenetur :

1. *Oves proprias cognoscere*, et hoc ex praecepto divino, juxta verba Christi : *Ego sum pastor bonus; et cognosco oves meas* [1]. Parochus itaque curare debet ut proprios parochianos agnoscat, alioquin quomodo ipsis providere poterit ? Quare tenetur prudenter vigilare, et inquisitiones facere de parochianorum moribus, indole, statu, necessitatibus, etc. Circa quae autem speciatim invigilare debeat, recole dicta vol. I, n. 428 et seq.

2. *Curam habere de infirmis et moribundis.* « Parochus, ait Rit. Rom., in primis meminisse debet non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere. Quare cum primum noverit quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non expectabit ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat ; idque non semel tantum, sed saepius quatenus opus fuerit ; horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua aegrotare contigerit, praecipue si morbus gravior fuerit.

« Ad hoc juvabit, praesertim in amplis Parochiis, aegrotorum notam seu catalogum habere, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

« Ægrotos visitans, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non ae-

gris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem ».

Maxime vero tenetur assistere moribundis etiam postquam ipsis omnia Sacramenta administrata fuerunt : et talis assistentia moribundorum certe est de praecepto, ut patet ex Rit. Rom.. An vero sub gravi teneatur eis adesse usque ad supremum vitae spiritum inter Th. non satis convenit, et S. C. C. (23 mar. 1878) noluit definire [1]. Communiter tamen affirmant tribus in casibus : 1° si, administratis sacramentis, ex firma consuetudine, infirmos semper desereret ; 2° si moribundus esset fragilis, aut valde tentatus, et multo magis si confessionem adhuc facere non potuisset, aut noluisset ; 3° si infirmus valde turbaretur, eo quod Parochus discrete vocatus advenire nollet, aut magnam ejus incuriam ostenderet [2].

Haec autem infirmorum et moribundorum adsistentia spectat ad Parochum *personaliter :* unde hoc munus gravissimi momenti non potest ex toto in Vicarium refundere. In casibus difficilioribus (si de Vicarii peritia non sit fidendum) et quando infirmus praecise illius personam rationabiliter exoptat, personaliter accurrere debet ; et de cetero pro aliis parochiae curis propriisque viribus, plus minusve cum Vicario ipso, vel aliis Sacerdotibus, hoc onus dividere poterit.

3. Tenetur *bonum promovere.* Boni pastores, ait S. Alph., non desistunt fideles hortari ad Sacramentorum et Congregationum frequentiam, ad visitationes SS. Sacramenti, ad devotionem specialem erga SS. Dei Matrem, ad Novendiales, ad Venerabile cum Viaticum circumfertur comitandum, ad amorem et exercitium orationis etiam mentalis, et ad cetera hujusmodi [3].

4. Tenetur *bonum exemplum praebere* in omnibus. Parochus frustra laborabit, ait Cl. Berardi [4], frustra conciones habebit, frustra correctiones faciet, si ipse bonum exemplum non praebeat. *Coepit Jesus facere et docere. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Parochum oportet *fieri formam gregis ex animo ; exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Hinc S. Hieron. (Ep. 2, ad Heliod.) : « In te oculi omnium diriguntur ; domus tua et conversatio tua, quasi in speculo constituta, magistra est publicae disciplinae ; quidquid feceris, id omnes sibi faciendum putant » [5].

Non solum a scandalo quod ex

[1] *D' Annibale*, III, 170 (35).

[2] *Berardi.* 783.

[3] Ut autem populus ad sacras functiones alliciatur, curet Parochus decorem Domus Dei, in supellectilibus decentiam, in cantu religiosam observantiam, in omnibus caeremoniis diligentiam. Pias laicorum sodalitates promoveat, praesertim societates catholicas operariorum juxta desiderium S. Pontificis, societates a S. Vincentio a Paulo nuncupatas, bibliothecas quas vocant *circulantes*, tertium Ordinem S. Francisci, aliasque institutiones nostris temporibus apprime convenientes. Omnibus vero bono exemplo antecedat, caritate, pietate, modestia, prudentia, etc. Ceterum, concludit S. Alph., a bonis Parochis pendent boni mores, et salus populorum. Si in regione bonus Parochus adest, ibi videbitur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis, et bonum exemplum ; sin autem Parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit. L. VI, 5 ; Hom. Ap., T. VII, 36-46.

[4] *Praxis*, 721.

[5] Vae Parocho qui scandalum prae-

delicto provenit cavendum est, sed ab illo etiam quod ex factis speciem mali habentibus (quae scilicet justam male suspicandi occasionem praebeant) oriri posset.

Parochus qui, propter peccatum a populo jam cognitum, scandalum dederit, non solum debebit occasionem omnino deserere, sed etiam publicam poenitentiam ostendere. Si vero scandalum ex facto speciem mali habente processerit, tum oportebit ut occasio male suspicandi prorsus auferatur, aut (si auferri nequeat) convenientes declarationes in vulgum prudenter spargantur. De scandalo tamen mere pharisaico, dicerem ne in casu quidem Parochi esse curandum, nisi forte calumnia ita repraesentetur ut a populo credatur, nec ita facile evanescere possit; quo in casu Parochus de propria justificatione sollicitus esse debebit.

5 Tenetur etiam *specialem curam habere circa propriam domum et familiam.* Parochus, sequitur Cl. Berardi, imprimis nimia familia non se gravet. Praeter patrem et matrem, consanguineos, si otiosi (prout saepe contingit) remansuri sint, non receptet. Caveat etiam quantum potest a recipiendis puellis custodia indigentibus, si in domo parochiali desit qui eas sufficienter custodire possit.

Caveat ne scandala in propria domo sint. Si sorores aut neptes adhuc juvenes secum retinere cogatur, vigilet ne amoribus inconsultis implicentur, et occasione matrimonii eas dimittat aut saltem cautelas magis magisque augeat. Vigilet etiam ne istae puellae in aliquo periculo propter familiares (v. g., famulos, consobrinos, etc.) versentur; illas domi solas aut in plena libertate numquam relinquat, nec semper securus sit de iis, a quibus nihil timendum esse videretur.

Non permittat ut familiares noctu exeant, cauponas choreasve adeant, aut tota die huc illuc circumvagentur, atque in domibus parochianorum cum feminis confabulando tempus terant.

Reminiscatur Parochus quod sua familia exemplaris esse debet. Curet proinde ut familiares audiant conciones, devotionem in ecclesia ostendant, et Sacramenta frequentent. Qualibet die ante coenam ad minus Rosarium cum tota familia recitet [1].

Reditus parochiales bene cognoscat, eos vocando sub aliquo praetextu. Illos otiosos remanere non patiatur; attamen nimiis laboribus eos non oneret. Nimiam confidentiam eis non praebeat; sed dure cum ipsis non agat, nec sit quasi leo in domo sua. Fiduciam ostendat; sed ita ut expensarum rationem exigat, et opera ab eis peracta identidem inspiciat. Quando bene agunt, se contentum demonstret; sin minus, congruas correctiones non omittat. Victum convenientem eis praebeat, nec panem mensuret. Si infirmentur, quasi pater medelam eis praebeat, omnemque curam ipsorum habeat. Non permittat ut strictiorem relationem cum Parochianis contrahant, et speciatim

beret! Gregem, qui ab eo ipso salvari deberet, ad perditionem impelleret; seductiones faciliores redderet; catholicae praedicationi fidem adimeret; non suam paroeciam dumtaxat sed finitimas quoque suo pravo exemplo laederet; et aliis etiam Sacerdotibus, cum magno Religionis damno, praejudicium inferret; malevoli enim, ait S. Augustinus, dum ab uno Sacerdote crimen admitti vident, *instant, satagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.*

[1] Quoad famulos: imprimis de eorum moribus informationes capiat, et curet (quantum potest) ut sint aetate graves atque prudentes. Vigilet speciatim in initio, et maxime an noctu domi ma-

scat, et ad ipsos expensas componat; pro infortuniis aliquid reservet; nec aere alieno se oneret [1].

6. Demum etiam *bona temporalia* beneficii et ecclesiae curare debet. Proinde tenetur: 1° Bona et jura beneficii et ecclesiae diligenter tueri [2]. — 2° Omnia domum familiis quae contra Parochum aliquam inimicitiam habeant. Item non permittat ut quae domi dicuntur aut peraguntur ipsi foras exportent: curet tamen Parochus ut quodlibet suum dictum et factum irreprehensibile sit, quia periculum quod citius ocius omnia foris sciantur semper aderit. Mutuum ab eis non accipiat, nec quoad annua stipendia ipse debitor remaneat; idque etiam eo fine ut semper, si opus sit, absque ulla difficultate illos expellere possit. Ad expulsionem tamen difficile et solum in casu extremo procedat. Famuli expulsi de Parocho ejusve familia male loqui solent. Si itaque defectus sint tolerabiles, tolerari debent; quandoquidem etiam in novis famulis defectus invenientur, et frequentes expulsiones eo tandem desinunt, ut semper pejus servitium habeatur.

Speciatim quoad ancillam, curet Parochus ut sit talis de qua rationabiliter nihil mali suspicari possit. Solus cum sola non commoretur et ne verbis quidem teneritudinem erga illam ostendat; ex ejus mente numquam excidat illud S. Hieron.: *Ancillas quae in obsequio sunt tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior earum condilio, tanto facilior est ruina.* Vae misero Sacerdoti qui primum lapsum committat! Vae si etiam solum aliquantisper turpi passioni cedat! Praeter abyssum subsequentem, reminiscatur nihil esse opertum quod non revelabitur: foeminas nullam habere prudentiam; de heri amore (quamvis esset honestus) ex foeminea vanitate et loquacitate gloriari; si quid minus honesti acciderit, illud, si forte corrigantur et multo magis si dimittantur, plus vel minus explicite exprobrare, et forsan praesentibus quoque aliis sine ullo respectu: unde Parochus, velit nolit, miserrimus ancillae servus evaderet. Haec serio perpendantur si diabolus (quod absit) ad hujusmodi tentet; nec quisquam sibi fidat, stellae enim ceciderunt de coelo. Ceterum Parochus etiamsi, Deo adjuvante, in statu adeo miserando non versetur, caveat ne ancilla dominium praeseferat, aut quamdam audaciam ostendat. Ea delatrice non utatur; non sinat ut apud se ipsum pro parochianis intercedat; neque ut aliquem corrigat, aut minitetur se esse delaturam aliquid ad Parochum. Ab ipsa reverentiam exigat, nec sinat (maxime coram aliis) ut cum imperio loquatur vel petulanter respondeat. Vigilet quammaxime ne inter ipsam et famulum ulla confidentia oriatur; attamen non permittat ut inter ipsos quaestiones et jurgia intercedant; et, dato casu, severius contra ancillam quam contra famulum vocem elevet.

[1] Consanguinei apud Parochum degentes ut plurimum bona temporalia Paroeciae administrare vellent, atque impedire ne Parochus expensas pro ecclesia, aut eleemosynas faciat. Cavendum solertissime ne id eveniat; idcirco Parochus benevolentia in consanguineos se permoveri non sinat, nec unquam se eorum mancipium constituat, idque quamvis de patre et matre ageretur.

De rebus ad parochiam spectantibus, eorum consilium non exquirat; nec permittat ut, veniente hoc vel illo parochiano, cur advenerit curiose inquirant, aut illius accessum ad Parochum impediant vel difficiliorem reddant. Curet ut servi tenaciores non sint; sed neque prodigi: in vestitu luxum evitent; attamen sordidi non incedant. At haec in se prius curet.

[2] Jura parochialia, seu ea ad quae Parochus jus strictum habet (quoad res religiosas), sunt praecipue: 1° Ut Parochiani Sacramenta recipiant a Parocho quod hodie reducitur ad Baptismum, Eucharistiam in Paschate et in periculo mortis et *ordinarie* etiam ad primam Communionem, Extremam Unctionem, et Matrimonium. 2° Ut fideles sepeliantur in propria paroecia, nisi habeant alibi jus sepulturae. 3° Ut ecclesiae parochiali solvantur decimae et oblationes juxta consuetudinem. Ita Cl. Ferraris, Girardi, etc. Quae omnia si prae oculis habeantur, plures solvuntur difficultates inter Parochos et Directores Monasteriorum circa functiones in Ecclesiis religiosorum et monalium. *Scavini*, I. 468. — Attendenda sunt etiam si qua particularia statuta sint a Synodo cujusque Dioecesis.

cumenta in archivio diligenter servare, et adnotare legata et pia onera, eorumque reductiones ac solutionem. — 3° Conficere inventarium omnium bonorum, cujus exemplar unum in curia episcopali, aliud in archivio parochiali retinendum est. — 4° Eadem bona defendere et administrare ut bonum oeconomum decet, ne suo successori damnum obveniat [1]. — Maxime vero clare et distincte adnotare debet bona quae ad beneficium vel ecclesiam et quae ad pias societates pertinent, si harum bona ipse custodiat vel administret, ne post ejus mortem dissensiones et etiam lites cum scandalo vel damno aliorum obveniant.

Art. V.

De Œconomo et Vicario parochiali [2].

110. — *Q.* Parochus potest ne alium Sacerdotem delegare quoad munia parochialia?

R. Quum Parochus jurisdictionem habeat ordinariam, illam certe alteri Sacerdoti delegare potest idque non solum pro casibus particularibus, sed etiam quoad omnia, seu, ut dicunt, *ad universitatem causarum,* nisi lex vetet.

Porro hodie lex vetat: 1° Ne Parochus Sacerdotem deleget ad praedicationem, vel ad confessiones excipiendas, si ille Sacerdos non sit ab Episcopo approbatus. — 2° Ne alium deleget ad munia sibi prorsus personalia, v. g. ad missam pro populo, nisi sit legitime impeditus et necessitas urgeat. — 3° Ne alium deleget ad universitatem causarum nisi de licentia Episcopi, vel ex causa rationabili et ad modicum tempus, idest ad duas vel tres hobdomadas [3].

111. — *Q.* Cuinam spectat: 1° Vicarium Parochialem eligere; 2° illum amovere?

R. Ad 1[um]: Si Vicarius eligitur ad supplendam totalem et habitualem porochi impotentiam, v. g. ob aliquam perennem animi vel corporis infirmitatem, vel ob necessariae scientiae defectum, tum ejus electio spectat ad Episcopum.

Si eligitur ad brevissimum tempus ob Parochi absentiam, tum ipse Parochus alium Sacerdotem idoneum sibi substituere potest.

Si vero Vicarius eligitur in adjutorium ordinarium et habitua-

[1] Si Beneficiatus (qui fructuarii jure censetur) quaerat, an possit hodie (penes nos) fodinas v. g. lapidum in praediis beneficii inquirere; vel cuinam cedant arbores vi ventorum avulsae, sibi an Ecclesiae? Respondendum puto: Ipsum non posse fodinas inquirere (Cod. It., a. 494); arbores vero ad ipsum pertinere, ceteris paribus (C. It., a 490). *D'Annibale*, I. 201 12.

[2] Dicuntur Vicarii parochiales illi sacerdotes qui Parochum repraesentant, illiusque vices gerunt in munere pastorali. Distinguuntur in duplicem classem, nimirum in Vicarios perpetuos et vicarios temporales.

Vicarius *perpetuus* vel Œconomus curatus, ille dicitur qui canonice est institutus ad deserviendum, loco principalis rectoris, in officio parochiali, quod collegiatae, vel alteri ecclesiae seu monasterio perpetuo unitum est. Hujusmodi autem Vicarius eamdem potestatem habet ac Parochus, atque iisdem obstringitur obligationibus.

Vicarius *temporalis* qui dicitur etiam *vice parochus*, *substitutus*, seu amovibilis ille est qui auctoritate legitima constituitur ad juvandum Parochum in suo munere, illiusque vices tenet ad tempus, seu ad voluntatem constituentis.

[3] *Berardi*, De Parocho, 880; *D'Annibale*, I, 70 (16).

[4] In Gallia hujusmodi electio spectat ad Episcopum. Idem dic de Vicario, quem Parochus abessendo sibi substituat. *Bouix*, c. I, § III.

lem, quia populus ita numerosus est, ut solus Parochus ministrandis Sacramentis sufficere nequeat, tunc electio spectat ad Parochum, sed approbari debet ab Episcopo [4].

Ad 2um: Si Vicarius sit perpetuus removeri potest solum ab Episcopo, et ex solis canonicis causis, facto processu, non secus ac quoad alios Parochos contingit, quia ipse ut verus Parochus consideratur. — Si Vicarius est amovibilis, removeri potest sive a Parocho qui illum elegit, sive ab Episcopo qui illum approbavit. Idem dic de curato regulari a suo Superiore electo. Requiritur tamen justa causa, et expulsus regulariter jus habet ipsam cognoscendi; at non exigitur processus.

Si vero Vicarius Parochum actualem adjuvet, tunc si impositus fuerit ab Episcopo, a solo Episcopo removeri potest. Si vero Parochus propria auctoritate Vicarium elegit, illum etiam propria auctoritate dimettere potest, quin ei causam significare aut actionem reddere teneatur, talis enim videtur esse consuetudo (saltem apud nos). Si tamen Vicarius curam exerceret non in ecclesia parochiali, sed in subsidiaria, tunc is causam cognoscendi forsan jus habet.

Episcopus autem Vicarium a parocho electum et legitime approbatum poterit removere, etiam parocho ipso invito, modo adsit justa causa, quam tamen Parocho significare non tenetur: unde in hisce casibus res semper periculosa et scandolosa esset Episcopo non obedire [1].

112. — *Q.* Œconomus, Vicarius Parochialis, et Vice-Parochus possunt ne alium Sacerdotem delegare quoad munia parochialia?

R. — **1.** Œconomus spiritualis paroeciae vacantis, quamvis ad nutum Episcopi amovibilis sit, tamen instar parochi habetur, ejusque jurisdictio ad omnia munia parochialia (in divinis) extenditur; ideoque potest coadjutores sibi adsciscere, eisque officium suum etiam ex toto committere, intellige semper intra limites quos parochus quoque servare deberet, juxta dicta n. 110. Quaesitum enim fuit a S. C. C.: *An Œconomus curatus, vacante paroecia, ab Episcopo constitutus, in vim dispositionis Conc., Trid., possit alium Sacerdotem delegare ad omnia officia, vel ad aliquos tantum actus.* S. C. C. respondit: *Affirmative ad primam partem, nisi obstet voluntas Ordinarii.* Die 12 sept. 1874. Idem dic de Vicario, qui pro parocho suspenso vel prorsus inhabili ab Episcopo ad paroeciam regendam missus fuerit, quia Œconomo paroeciae vacantis aequiparari debet. — Item de Vicario, qui pro Parocho habitualem curam exercet, quia iste in spiritualibus ad instar veri Parochi habetur [2].

2. Vice-Parochus ab Episcopo in adjutorium Parochi designatus sine restrictione, nempe delegatus ad universitatem causarum, jure poterit alium subdelegare ad unum vel alterum munus speciale v. g. ad assistendum alicui matrimonio in particulari; non vero ad omnia officia. — Idem dic de Sacerdote quem Parochus sibi substituit ei tribuendo hanc generalissimam facultatem: *In omnibus omnino fac ut alter ego.*

Qui vero delegatus sit ad munus tantum speciale, v. g. ad conferendum baptisma, ad assistendum matrimoniis, ex dispositione

[1] *Berardi*, De Parocho, 884.

[2] *Berardi*, De Parocho, 885.

juris alium subdelegare non potest, quia ei non fuit commissa jurisdictio, sed solum certum ministerium, quod alteri de novo committere nequit [1].

113. — *Q.* Quaenam obligationes Vice-Parochi?

R. Obligationes Vice-Parochi magna ex parte sunt eae ipsae quae ad Parochum spectant. Juverit tamen nonnulla referre a Cl. Berardi [2] egregie recensita, quae eos spectant:

Vice Parochus libenter proprium officium suscipiat et expleat: quo magis enim laboriosum, eo magis meritorium est. Magna utilitas ex hoc officio profluit; aliud enim est addiscere in scholis, et aliud in actu practico versare; et exercitium practicum, sub directione Parochi majorem scientiam et experientiam habentis, theoriae lacunis bene supplet, et efficit ut juvenis Sacerdos errores declinet magnamque promptitudinem in casibus occurrentibus acquirat; unde, si postea ad Paroeciam regendam eligatur, non erunt ab eo timendi illi errores, in quos alii inexperti (quamvis forte doctiores) inciderent. — Episcopi et Examinatores synodales officio Vice-Parochi prius bene expleto maximum pondus dare debent.

Vice-Parochus Parochum suum sincere diligat. Hinc ejus defectus occultet, bonasque qualitates laudet. Ejus agendi rationem numquam apud alios reprehendat; et si parochianus aliquis de Parocho obmurmuret, acriter illum corrigat. De stipendio, de victu, de rebus familiaribus, aut de aliqua offensa recepta, coram aliis lamenta non moveat; sed Parocho ipsi ea declaret quae tolerare non potest. Non propriam sed Parochi sui laudem quaerat, ejusque partes semper (quantum potest) tueatur; et solertissime caveat ne cum Parochi inimicis familiaritatem ineat, eorumque agendi rationem approbet.

Vice-Parochus praeter officia sibi commissa nihil faciat quin prius Parochi sui licentiam obtinuerit, neque ad ullam mutationem procedat sine ejus consensu libenter concesso. Humilitas, proprii judicii atque voluntatis abnegatio, et obedientia perfecta, sunt virtutes Vice-Parochis quammaxime necessariae.

Vice-Parochus sit secreti tenax neque de rebus, quas Parochus confidenter ei patefecit, quidquam cum familiaribus aut extraneis dicat. Ea etiam quae domi accidunt secreta servet.

De statu infirmorum Parochum certiorem reddat; eique significet quidquid acciderit vel didicerit quod Paroeciae regimini deservire possit.

Rebus familiaribus et domesticae oeconomiae non se ingerat. Cum famulis suum gradum servet sed eos despicatui non habeat. Et si forte in domo Parochiali foeminae juvenes adsint, firmissimum sit in nulla familiaritate cum ipsis ineunda. Eas poenitentes stabiles habere declinet; earumque spiritualem directionem non acceptet nisi necessitas aliud suadeat; quo casu cautissime procedat, et extra confessionale in dandis consiliis spiritualibus cum ipsis (remotis arbitris) non immoretur.

[1] *Scavini* III, 804.

[2] *Praxis*, n. 978.

APPENDIX I.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

114. — *Q.* Quid est beneficium?

R. Beneficium, uti in praesenti consideratur, definiri potest: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesiae constitutum.* — Quare ad beneficium ecclesiasticum constituendum tria requiruntur: 1° *Jus perpetuum percipiendi fructus,* quia beneficium situm est in jure, hoc est legitima facultate percipiendi fructus ex bonis ecclesiae, eaque *perpetua* tum ratione beneficii, quod semel erectum semper permanet, tum praecipue ratione beneficiarii, qui non ad tempus, sed in perpetuum, hoc est quousque vixerit, jus ad percipiendos fructus consequitur. Hinc Vicaria et Commenda ad tempus non sunt vera beneficia, de quibus loquuntur Canones. — 2° Quod hoc jus sit *propter aliquod officium spirituale,* quia in beneficio duo jura a se mutuo separabilia distinguuntur: nempe *jus* seu potestas *exercendi munus spirituale,* quod est simpliciter spirituale; et *jus percipiendi fructus,* quod etsi secundum se sit temporale, quatenus tamen fundatur in officio spirituali eique adnexum est, spiritualitatem aliquam participat. — 3° Quod dictum jus sit *auctoritate Ecclesiae constitutum,* quia solius Papae vel Episcopi est bona in dotem constituenda acceptare, eisque spirituale officium adnectere, ideoque in beneficii titulum erigere, et in collatione clerico facta bullam institutionis expedire[1].

Patet igitur ex dictis quod non sunt vera beneficia ecclesiastica: 1° *patrimonia clericalia,* quae non ex bonis Ecclesiae, sed laicorum constituuntur; 2° *coadjutoriae beneficii,* quia nudam important facultatem alterius onera supplendi; 3° *beneficia manualia* vel *amovibilia,* quae ad nutum Patroni auferri possunt; 4° *pensio* sive *laicalis,* quae laicis vel clericis datur, sed ob aliquod officium temporale, v. g. quia est procurator, actor, etc., sive *ecclesiastica,* quia licet haec clericis conferatur ob aliquod officium spirituale, perpetuo tamen non permanet, sed morte beneficiati extinguitur; 5° *cappellania laicalis,* tum quia pro lubitu concedentis auferri potest, tum quia cum sit res mere laicalis tradi potest etiam laicis et pueris, qui per alios onera adimpleant; 6° *legata pia,* seu certa bonorum dispositio ad pium aliquod opus, v. g. celebrationem missarum[2].

[1] S. Alph., L. IV, 83.

[2] *Vecchiotti.* Instit. canon. II, L. 2, c. 2.

115. — *Q.* Beneficia ecclesiastica quomodo dividuntur?

R. Beneficia ecclesiastica multipliciter dividuntur:

1. In *majora* et *minora.* Majora sunt Episcopatus et Praelatura cum jurisdictione quasi Episcopali, quae in Concistorio conferuntur: cetera omnia sunt minora.

2. In *saecularia* et *regularia,* prout pro saecularibus vel pro regularibus sunt instituta; unde sine dispensatione nec beneficium saeculare regulari, nec contra conferri potest. Porro omne beneficium praesumitur esse saeculare nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam 40 annorum; per eam enim ex saeculari fit regulare et vicissim.

3. In *duplicia* et *simplicia.* Duplicia sunt quae specialem qualitatem sibi adnexam habent, v. g. qualitatem *dignitatis* seu *praeeminentiae* cum jurisdictione in foro externo, uti dignitas in Capitulis ratione jurisdictionis in clerum, uti praepositura, decanatus, etc.; vel habent qualitatem *personatus* ratione praeeminentiae in choro, in processione, etc., uti primiceriatus, cantoriatus; vel habent qualitatem *officii,* nempe habent administrationem rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione, uti officium custodis, thesaurarii; vel habent qualitatem *curae,* seu curam animarum habent adnexam. — Simplicia vero dicuntur beneficia quae instituta sunt tantum ad preces Deo persolvendas et ad altaris servitium, quin administrationem, aut singularem eminentiam habeant, uti canonicatus, cappellania ecclesiastica[1]. Haec autem iterum in *compatibilia* et *incompatibilia* distinguuntur, prout residentiam important, vel non[2].

116. — *Q.* Beneficium quomodo acquiri potest?

R. Beneficium tribus modis acquiri potest: 1° *per electionem,* qua clericus, v. g, a toto Capitulo eligitur, et a Superiore confirmatur; 2° *per praesentationem,* qua quis a Patrono offertur Superiori, a quo instituitur si reperiatur idoneus; 3° *per collationem liberam,* quando beneficium juri patronatus non subest, sed a Praelato libere confertur. Unde beneficia etiam ex modo quo conferuntur dividuntur in *electiva, patronata,* et *libera.*

Ut autem institutio beneficii sit canonica et valida, tria requiruntur: *potestas* in instituente; *habilitas* in recipiente; *solemnitas* in actu collationis[3].

117. — *Q.* Quinam est proprius collator beneficiorum?

R. — 1. Supremus et universalis collator beneficiorum non patronatorum est Papa; - ratio, quia ipse est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, et Ordinarius Ordinariorum.

2. In qualibet dioecesi Episcopus est proprius collator beneficiorum, nisi ex legitima praescriptione hoc jus alteri competat; - ratio, quia Episcopus in sua dioecesi est moderator sacrorum; ergo ipsius est officia sacra conferre[4].

Episcopus autem potest: 1° unire aut transferre ad aliam ecclesiam beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quae lapsu temporis jam corruit, adeo ut nequeat amplius reparari. Insuper Episco-

[1] S. Alph., L. IV, 84.
[2] *Marc,* 2236.
[3] S. Alph., L. IV, 85.
[4] S. Alph., L. IV, 86.

pus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in curia romana[1]. — 2° Pariter tempore visitationis potest Episcopus cogere parochianos ad necessaria parocho subministranda.—3° Potest etiam novas parochias erigere eaque de matricis fructibus dotare, si haec abundet, sed sine praejudicio possessoris[2]. — Item potest duas parochias unire, si divisae nequeant singulae suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia[3].

118. — *Q.* Quid est, et quotuplex jus patronatus?

R. Jus patronatus est *potestas a sacris canonibus concessa praesentandi clericum instituendum ad beneficium vacans.*—Cui vero hoc jus competit dicitur *patronus.*

Jus patronatus dicitur *ecclesiasticum* si competit alicui ecclesiae, vel clerico ratione officii quod gerit; dicitur *laicale* si laico vel etiam clerico non ratione officii ecclesiastici, sed titulo privato competit; *mixtum* si praesentatio partim clerico competit ratione officii ecclesiastici, partim laico.

Si patronatus est ecclesiasticus vel mixtus, praesentatio fieri debet intra sex menses, si laicalis intra quatuor. Episcopus tamen potest tempus designatum prorogare per alios sex vel quatuor menses respective, quod tempus decurrit non a morte beneficiati, sed a notitia vacationis.

Si praesentatio facta non fuerit, beneficium fit liberae collationis, et ejus collatio, pro ea vice, spectat ad eum cujus est praesentatum instituere. Tempus tamen non currit, si adsit lis de patronatu Episcopum inter et Patronum, vel inter praesentatos; secus si lis est inter ipsos patronos, v. g. si inter ipsos contenditur cuinam competat jus praesentandi.

119. — *Q.* Quid faciendum si plures praesententur?

R. — 1. Si patronus *laicus* post unum praesentat alium, potest Episcopus eligere quem maluerit, quia secunda praesentatio non irritat primam, neque ex adverso: si vero id facit patronus *ecclesiasticus*, Episcopus debet eligere priorem praesentatum.

2. Si ex duobus patronis alter Petrum alter Joannem praesentet, Episcopus debet digniorem praeferre; si vero praesentati aeque digni sint, praelatus quem maluerit instituere poterit.

3. Si multi patroni inter se sint discordes, is instituendus est in quem plures conveniunt, nisi alter dignior sit[4].

Quod si Patronus est unus, et plures praesentat, Episcopus eligere potest quem maluerit; si autem Patroni sunt plures, Episcopus digniorem praeferre debet[5].

120. — *Q.* Beneficia ecclesiastica quibusnam conferri debent?

R. Beneficia ecclesiastica conferri debent clerico non solum jure *habili,* sed et *digno*, seu ad officium implendum *idoneo*, sub poena irritationis a judice pronuncianda[6]. Unde mortaliter peccat collator qui indignum promovere curat.

Quod si beneficium adnexam habet curam animarum, non quidem conferendum est digno, sed *di-*

[1] Trid. Sess. XXII, c. 18.
[2] Trid. Sess. XXI. c. 4, *de Ref.*
[3] S. Alph. Hom. Ap., Appendix. II, 71.
[4] S. Alph., L. IV, 90.
[5] *Marc*, 2237.
[6] Trid. Sess. VII, cap. 3, *de Ref.*

gniori. Electio tamen digni ad beneficium curatum, postposito digniore, valida censenda est, quousque judex appellationis eam non revocet, ideoque si dignior appellationem non interponit, electio digni valida erit [1].

Si autem beneficium confertur per concursum, tunc an eligendus sit dignior ex justitia commutativa, ita ut eligens dignum, omisso digniore, teneatur huic damnum resarcire, disput. Th.. *Prima* sententia communior et probabilior affirmat; - ratio, quia eo ipso quod dignior ad concursum admittitur, acquirit jus ad rem, cum in communi aestimatione adsit tunc pactum implicitum in edicto inter Episcopum et oppositores ut dignior praeferatur. *Secunda* sententia tamen, sat probabiliter et forsan verius, negat; - ratio, quia praedictum pactum quod supponitur vel habetur in edicto non est pactum rigorose obligans ex justitia commutativa, sed tantum promissio obligans dumtaxat ex fidelitate. Quare cum non certo constet quod inter Episcopum et oppositores intercedat pactum illud obligans rigorose ex justitia, ideo nec certo constat de obligatione restitutionis [2].

Dignior autem censendus est qui omnibus inspectis, magis idoneus et utilis illi beneficio, seu illi ecclesiae videtur. Ita Th. communiter.—Unde major dignitas non est accipienda absolute, sed *respective* ad utilitatem Ecclesiae et fidelium; ideoque attendenda est non solum scientia, sed etiam major sanctitas aut prudentia, etc. [3].

Examinatores autem deessent proprio officio, si doctrinae tantum judices essent, nec inquirerent, quis morum probitate, laboribus, praestito antea obsequio, ceterisque dotibus ad officium Parochi cumulate obeundum necessariis, aliis sit aptior et dignior. Ita S. C. C. pluries edixit.

Ceterum, Examinatoribus competit tantum jus designandi inter candidatos quinam idonei sint, non vero declarandi quis inter ipsos dignior sit. Hoc enim judicium Episcopo spectat, ut definivit S. C. C. his verbis: *Non spectare ad examinatores, sed ad Episcopum eligere ex approbatis magis idoneum* [4].

121. — *Q.* Quaenam qualitates requiruntur ad beneficium valide et licite obtinendum?

R. Ad beneficium valide et licite obtinendum requiritur: 1° ut promovendus sit clericus saltem tonsuratus, non illegitimus (cum quo tamen Episcopus dispensare potest ad Ordines minores et ad beneficium simplex, cui non sit adnexus Ordo major), non irregularis, non facinorosus, non excommunicatus; 2° ut habeat scientiam competentem ad munus beneficio adnexum; 3° ut habeat aetatem a canonibus requisitam, nempe annos 14 pro beneficio simplici; 22 pro beneficio quod requirit subdiaconatum; 23 pro beneficio quod diaconatum requirit; 25 pro beneficio curato; 40 pro Poenitentiaria; et annos 30 pro Episcopatu.

Nota: 1° Pro Episcopatu requiritur annus 30 *completus*, pro ceteris sufficit annus *inchoatus;* 2.° Collatio beneficii facta personae

[1] S. Alph., L. IV, 102, 103.
[2] S. Alph., L. IV, 109; *D' Annibale*, III, 39.
[3] *Marc*, 2241.
[4] *Monitore Eccl.* vol. I, pag. 283.

aetatem canonicam non habenti sine Pontificis dispensatione est ipso jure nulla, etsi ad aetatem requisitam una tantum desit hora.

122. — *Q.* Peccat ne qui beneficium recipit sine intentione recipiendi Ordinem sacrum adnexum ?

R. Iste graviter peccat, quia Ecclesiam decipit in re gravi, et si beneficium est curatum, qui animum non habet intra annum sacerdotium suscipiendi non solum graviter peccat, sed etiam ipso jure beneficio privatus existit, et tenetur restituere omnes fructus perceptos, nisi, intentione mutata, ante anni finem sacerdos consecretur [1].

123. — *Q.* Pluralitas beneficiorum est ne licita ?

R. Pluralitas beneficiorum sive duplicium sive simplicium, modo unum sufficiat ad sustentationem, est omnio prohibita sive a jure canonico, ex Trid. Sess. XXIV, cap. 17, de Ref., sive a jure naturali, quia fraudaret piam fundatorum intentionem. Si tamen beneficium esset simplex, nec ad sustentationem sufficeret, ex S. Pontificis dispensatione, aliud simplex sufficiens eidem beneficiato conferri liceret [2].

124. — *Q.* Quaenam obligationes beneficiatorum ?

R. Obligationes beneficiatorum aliae respiciunt spiritualia, uti obligatio horas canonicas recitandi, et residentiae, de quibus jam antea: his accedit servitium speciale quod vel natura beneficii vel tabulae fundationis requirunt ; aliae respiciunt temporalia nempe curam et usum bonorum Beneficii. Hinc beneficiati nequeunt bona ecclesiastica vel cujuscumque loci pii, sine beneplacito pontificio et sine debitis solemnitatibus, alienare. Et e contra tenentur illa procurare tamquam boni patresfamilias, et providere ut non modo nullum detrimentum patiantur verum etiam ut, quantum fieri potest, in meliorem statum deveniant. Superflua vero in pauperes vel usus pios erogare tenentur, juxta dicta vol. I, n. 787 et seq.

125. — *Q.* Beneficia quotnam modis amitti possunt ?

R. Beneficia tribus modis amitti possunt: — 1° Per *mortem* beneficiati, vel per liberam ejus renuntiationem factam coram legitimo Superiore ; — 2° Per *dispositionem juris*, ut si beneficiato assignetur novum beneficium cum primo incompatibile ; vel si beneficiatus professionem religiosam emittat, vel uxorem ducat, vel aliquod facinus committat, cui a jure adnexa sit ipso facto beneficii amissio ; — 3° Per *sententiam judicis legitimi ;* si nempe is declarat beneficiatum crimen patrasse cui a jure adnexa est beneficii privatio, vel, servata juris forma, per sententiam condemnatoriam beneficiatum ob aliquod crimen a beneficio repellit [3].

[1] S. Alph. L. IV, 113.
[2] Trid. Sess. XXIV, c. 17, *de Ref.*
[3] S. Alph., L. IV 133.

APPENDIX II.

DE IMMUNITATE ECCLESIASTICA.

126. — *Q.* Quid est immunitas ecclesiastica, et a quonam jure est?

R. Immunitas ecclesiastica communiter definitur: *Jus quo personae, res, vel loca ecclesiastica a communi onere seu obligatione exempta sunt.* Ideo triplex est: personalis, realis et localis [1].

Haec immunitas a potestate saeculari quoad materias spirituales, vel mere ecclesiasticas, uti sunt ordinationes, electiones Praelatorum, etc., est juris divini; quoad personas vero et loca ecclesiasticorum, an sit juris divini disput. Th.; multi affirmant [2].

Ut a facilioribus ordiamur, dicemus primo de immunitate reali et locali.

[1] Ecclesia, societas divina, quia a Christo Iesu fundata, et suprema potestate praedita, nequit alicui humanae potestati subjici. Hinc est quod et sua bona et loca suo cultui destinata, et ejus ministri debent recognosci ut ab omni quacumque auctoritate exempti; quum sibi sufficiat Ecclesia ad omnia quae sibi spectant dirigenda.

Istud est summum principium quo jus sacrae immunitatis innititur, quodque nonnisi ab iis qui Iesu Christi, Ecclesiae auctoris, divinam potestatem inficiantur, impugnari potest. Hinc est quod Ecclesia jus istud semper sibi vindicavit atque omni tempore pro viribus defendit. Quod si aliquando ita indulgere visa est ut quibusdam in casibus inferiores agnoscerentur potestates, eo ipso quod libere eis indulgeret, suum servabat jus, quod est inalienabile suapte natura. Istae concessiones ordinarie fiunt cum laicis principibus, et *Concordata* dicuntur.

Hic quaeri potest: quando Gubernium aliquod ex sua parte tantum Concordata disrumpat, ista amittunt ne suam efficaciam; aut potius concessionibus in ipsis contentis adhuc uti licet?

Respondetur: Concordata concessiones sunt Summi Pontificis, seu lex quaedam specialis quae specialem Ecclesiae partem spectat, proindeque tunc solum cessabunt quum ab ipso S. Pontifice revocabuntur. Enimvero principes temporales subditi sunt non aequales Summo Pontifici, ideoque si obligationes contractas negligant, rebelles erunt et praepotentes suamque conscientiam maculant quin tamen concessa a Pontifice abrogare vel infirmare possint.

Hinc deducitur pro praxi: 1° in his temporum calamitatibus simplices fideles et ecclesiastici utentes circa immunitates ecclesiasticas concessionibus in Concordatis contentis pro sua quaque regione non peccant neque censuras incurrunt. 2° Item non peccant neque censuras incurrunt ipsi magistratus qui juxta concessiones illas suam exercent jurisdictionem.

[2] S. Alph. Hom. Ap.. T. XX. 18.

Art. I.

De immunitate reali et locali.

127. — *Q.* Quaenam est immunitas *realis ?*

R. Immunitas *realis* est exemptio bonorum tum Ecclesiae tum Ecclesiasticorum a tributis et oneribus a potestate saeculari impositis. — Regulariter tamen, juxta concordata, hodie ab hoc onere eximuntur tantum res quae nihil afferunt utilitatis temporalis, ut ecclesiae ipsae, coemeteria, vasa, vestes sacrae ad cultum pertinentes, et similia.

128. — *Q.* Quaenam est immunitas *localis ?*

R. Immunitas *localis*, seu *asyli ecclesiastici*, est jus loco sacro concessum, ut ibi existentes, vel eo post delictum confugientes, tuti fiant a potestate laicali ; ideoque neque ibi poenae aut punitioni subjici, neque inde extrahi possint nisi in casibus ex jure vel ex concordato concessis. Ecclesia iure asyli gaudet ita ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sunt extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae. **Can. 1179.**

Iure *asyli ecclesiastici* non gaudent qui in ipsa ecclesia delictum committunt, neque rei quorumdam delictorum graviorum v. g. homicidae voluntarii, latrones publici, rebelles contra personam Principis etc [1]. Ab ecclesiis arceantur negotiationes et nundinae, quanquam ad finem pium habitae, et generatim quidquid a sanctitate loci absonum sit. **Can. 1178.**

129. — *Q.* Quaenam loca gaudent immunitate ecclesiastica ?

R. Jure *communi* immunitate gaudent : 1° Omnes Ecclesiae auctoritate Episcopi erectae et id quod est de ejus fabrica, vel est eidem connexum c. g. sacrestia, subterranea, turris campanaria. Nomine autem Ecclesiae loca sacra intelliguntur, ideoque loca sacra sensu latissimo intelligenda sunt, agitur enim de favorabilibus ; hinc nomine ecclesiae veniunt conventus religiosorum, domus parochialis modo tamen sit ecclesiae adnexa, seminaria et hospitalia auctoritate Episcopi erecta ; 2° coemeteria cincta, licet ecclesiae non adjuncta [2]. Jure *speciali* vero etiam alia loca tali immunitate gaudere possunt, juxta speciales loci dispositiones [3].

Art. II.

De immunitate personali.

130. — *Q.* Quaenam est immunitas *personalis ?*

R. Immunitas *personalis* est exemptio personae ecclesiasticae a personalibus oneribus, quae componi non possint cum sanctitate et officiis ecclesiasticis, sive sint onerosa, uti servire militiae, sive honorifica, uti tutelam assumere.

Haec immunitas duplex privi-

[1] S. Alph. Hom. Ap. T. XX, 26, — Ius asyli efficit quod: 1° Reus non possit vi extrahi aut exui vestibus, vel objectis quae super se defert; 2° non possit prohiberi ne victum aut alia ad vitam neecessaria ipsi deferentur; nec possit obsidione cingi locus refugii; aut fuga eidem praecludi. Attamen qui e snis ecclesiis aut monasteriis aliquem delinquentem expellerent, ad vitandum aliquod grave damnum, immunitatem non violant, et rite id facere possunt. *Ciolli* Com. 122; *Ninzatti* 876.

[2] Sebastiani 183.

[3] S. Alph. Hom. Ap., T. XX, 26.

legium praecipue importat, nempe *privilegium canonis*, cujus vigore qui clericos injuste percutiunt, excommunicationem ipso facto incurrunt vel Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatam, vel speciali modo reservatam, vel proprio Ordinario reservatam, ut dicetur inferius; et *privilegium fori* in eo consistens quod clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit. **Can. 120** § 1°.

Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam tutelares, Abbates vel Praelati *nullius*, supremi religionum iuris pontificii Superiores et Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia apud iudicem laicum convenire ne queunt sine venia Sedis apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. **Can. 120** § 2°.

Si nihilominus ab eo qui nullam proebuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit. **Can. 120** § 3°.

Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sunt. **Can. 121.**

Clericus huic privilegio renuntiare nequit; sed eodem amittit, si ad statum laicalem reducatur, aut privatione perpetua iuris deferendi habitum ecclesiasticum plectatur ad norman Can. 2304; recuperat vero si haec poena remittatur aut ipse rursus inter clericos admittatur. **Can. 123.**

Privilegio canonis gaudent etiam religiosi utriusque sexus qui vota emiserint sive solemnia sive simplicia, sive perpetua sive temporaria.

At novitii gaudent quidem privilegio fori (absque censura) vi Can. 614; sed non gaudent privilegio canonis, quia vota nondum emiserunt. Hoc privilegio non gaudet qui prima tonsura non est insignitus. — Clerici qui habitum clericalem sponte dimittunt, si nondum in sacris constituti sint, vel beneficium ecclesiasticum non habent, ipso facto hoc privilegium amittunt [1]. Non amittunt vero hoc privilegium qui habitum clericalem non deferunt quia impediti, uti in Anglia, Helvetia, et alibi, quia per ipsos non stat si habitum non deferunt [2].

§ 1°

De privilegio canonis.

131. — *Q.* Quid requiritur ut clericus gaudeat immunitate personali, seu privilegio canonis?

R. Ut clericus immunitate personali seu privilegio canonis gaudeat requiritur ut sit in sacris constitutus, vel habeat beneficium ecclesiasticum, vel saltem prima tonsura sit insignitus, habitum et tonsuram clericalem deferat, et alicui ecclesiae sit addictus, vel in seminario vel alia schola de licentia Episcopi versetur.

[1] S. Alph., L. VI, 827.

[2] *Scavini*, I, 822.

132-133. — *Q.* Quaenam poenae in violantes privilegium canonis et quid requiritur ad poenam incurrendam ?

R. Poenae sequentes sunt :

I. Qui violentas manus iniecerit in personam Rom. Pontificis excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservatam ; et est ipso facto vitandus, et ipso iure infamis, et si clericus est degradandus. **Can. 2343.** § 1°.

Violentas manus injiciunt qui non verbis, sed opere in personam inferant iniuriam gravem sub ratione iniuriae, sive personam laedant etiam non graviter, corpus percutiendo manu aut calce aut fuste vel ense, etc, aut etiam venenum propinando, quo in casu censura habetur cum primum incipit nocere; sive laedant dignitatem conspuendo, vel sordibus maculando, vestes conscindendo, etc ; sive laedant libertatem detinendo vel traducendo in carcerem etc. Evidenter requiritur quod haec manuum iniectio fiat cum cognitione personae et cum malitia gravi; at non requiritur quod fiat ex odio in personam eo magis quod non habetur clausula « suadente diabulo » ; etsi fiat intuitu mercedis acceptae aut pactae, quo in casu poena incurritur.

II. Qui violentus manus iniecerit in Cardinales vel Legatos Rom. Pontificis, in personam Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum, incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam. **Can. 2343.** § 3°.

III. Qui violentus manus iniecerit in personam clericorum (qui non sunt Episcopi) vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi *Ordinario proprio* reservatae. **Can. 2343.** § 4°.

Ad incurrendam poenam requiritur : *Ex parte percussi*, ut sit clericus vel religiosus, qui tali privilegio gaudeat, ut dictum est.

Ex parte percutientis : 1° ut sit baptizatus, sive mas sit sive foemina, clericus vel laicus ; 2° ut agat modo humano, nempe scienter et voluntarie, seu animo inferendi clerico injuriam; 3° ut sciat censuram, et sciat quem percutit esse clericum ; 4° ut in percussione non sit excusatus a justa causa. Justa causa esset si percuteret ex justa correptione, in defensionem sui corporis, vel pudicitiae, bonorum, cum moderatione inculpatae tutelae ; vel si casu clericum inveniret turpia agentem cum uxore, filia, sorore, etc., non vero si de industria expectaret.

Huic excommunicationi non subjiciuntur impuberes, mandantes, consulentes, vel ratihabentes, nam Codex de ipsis silet ; quos si comprehendere voluisset, de illis mentionem fecisset.

Ex parte percussionis : 1° ut sit gravis vel in se, vel ratione injuriae, personae aut loci ; 2° ut non solum verbis, sed re facta sit, puta manu, vel baculo, vel lapillis, etc., e sit aliqualiter violenta in clericum, vel in res ipsi adhaerentes, nempe laedatur vel ejus *corpus*, v. g. ipsum percutiendo, mutilando, venenum ei propinando (quo in casu poena incurritur quando venenum actu nocere incipit); vel ejus *libertas*, ipsum videlicet carcerando vel detinendo in loco a quo sine vi aut dedecore exire nequit ; vel ejus *dignitas*, v. g. illum hostiliter insequen-

do, ipsi crumenam, pileum, pallium, etc., vi eripiendo, ipsum sputo, pulvere, luto foedando, vestem qua indutus est lacerando, etc.

134. — *Q.* Quinam absolvere possunta censura ob percussionem clerici ?

R. Praemitto : 1° percussio alia *est levis*, alia *gravis*, alia *enormis;* 2° percussio levis de se potest effici gravis et etiam enormis ratione personae, uti si esset v. g. Episcopus, vel ratione loci, ut si sacerdos celebraret ad altare.

Percussionem *levem* ait *D'Annibale* Comm. 233 hic accipimus quae gravem quidem injuriam continet, sed ceteris minus gravem, puta quae fit pugno, pede, citra damnum grave; *gravem*, quae contusionem affert, vel deformitatem, ut si percusso dentem excusseris, vel is copiam sanguinis fuderit ; denique *enormem*, si quis mutilavit, oculum exclusit, si membrum rupit. Hisce praemissis :

Ut quis absolvere possit a censura ob percussionem clerici videndum est an censura sit reservata *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata, vel reservata *speciali modo*, vel Ordinario proprio reservata, quibus in casibus recolendum est quod dictum fuit de absolutione a censuris. Vol. I. *Art. V.*

Ut percussori clericorum absolutio concedi possit imponendum est onus congruam satisfactionem dandi parti laesae. Confessarius igitur id praestet, et si poenitens satisfacere serio promittat, illum ex hac parte absolvere potest, non enim requiritur ut satisfactio absolutionem praecedat, quia in facultate ab hoc casu absolvendi non dicitur *postquam satisfecerit*, sed simpliciter injuncta obligatione satisfaciendi.

§ 2°

De privilegio fori

135. — *Q.* Quid est privilegium *fori ?*

R. Privilegium *fori* est *exemptio clerici a foro laico, ita ut iudex laicus ipsum ad tribunal suum vocare nequeat praeter canonicas dispositiones* [1].

Canonicae autem dispositiones permittunt ut judex laicus clericum ad suum tribunal vocare possit : 1° Quando clericus degradatus fuerit vel alia causa privilegium fori amiserit. 2° In casibus quibus *Concordata* cum Sede Apostolica inita id permittunt. 3° Quando quibusdam in locis ex consuetudine legitime introducta et ab Ecclesia tolerata privatis permittitur ut sine venia Episcopi penes civile tribunal clericum conveniant ad causas civiles resolvendas.

Seclusis his casibus, Clericus in omnibus causis *ecclesiasticis*, sive sit *actor* sive *reus*, se sistere non potest coram judice laico, sed se sistere debet coram judice ec-

[1]) Privilegium fori certe est a jure ecclesiastico. An vero sit etiam a jure naturali disput. Th., Sententia probabilior et communior affirmat. Et sane : Dignitas ecclesiastica ex ordinatione divina dignitatem laicalem etiam regiam longe excedit. Praeterea in veteri lege sacerdotis et levitae a potestate laicali exemptio non erat praeceptum caeremoniale aut judiciale, sed morale in lege nova renovatum. Denique omnes nationes hoc privilegium in suis sacerdotibus semper agnoverunt ; ergo.

clesiastico. In causis vero *civilibus* et *criminalibus* si est *reus* se sistere debet coram judice ecclesiastico, dedecet enim ut laicus potestatem in clericum exerceat; si *actor* tunc laicum vocare potest coram judice laico. Item, Clericus coram judice laico, praeter canonicas dispositiones, nec trahi ut testis, nec jurare potest, sine venia Episcopi; secus peccat contra prohibitionem Ecclesiae, sed nullam poenam *ex jure communi* incurrit.

136. — *Q.* Quomodo se gerere debet qui necesse habet clericum ad tribunal vocare?

R. Qui necesse habet clericum ad tribunal vocare tenetur: 1° ipsum vocare ad legitimum tribunal ecclesiasticum; 2° si ipsi non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenetur prius a proprio Ordinario veniam petere ut clericum in foro laicorum convenire possit. Ordinarii vero nunquam talem veniam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint.

Episcopos in laicale forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Si quis autem ausus fuerit trahere ad judices laicos vel clericos sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris *ferendae sententiae* uti in violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint. C. S. O. 23 jan. 1886.

In casu vero quo judex, vel alius ratione officii civilis quod tenet, debeat contra Ecclesiae canones judicare de personis vel de rebus ecclesiasticis, debitam a S. Sede licentiam postulet, quam, necessitate urgente, Superiores concedere non renuent sub certis conditionibus [1].

137. — *Q.* Quasnam regulas tenere debet clericus ad tribunal civile vocatus contra canonicas dispositiones?

R. Clericus, si vocetur in tribunal civile contra canonicas dispositiones, etiam ut testimonium judiciale tantum perhibeat, has teneat regulas:

Reg. 1ª. In quocumque conflictu cum civili auctoritate, ante omnia recursum habeat ad Episcopum, et adamussim adimpleat quod ipse praescribit, aut consulit. Episcopus vero, ait Bened. XIV, (de Syn. T. XI, c. 9, n. 12), suo muneri satis abunde facturum se credat si curet ne judex laicus aut potestas saecularis sibi unquam arroget jus Sacrorum, hoc est ne se immisceat in causis mere spiritualibus et ecclesiasticis.

Reg. 2ª. Si tempus non patitur Episcopum adire, emittat simpliciter protestationem contra violationem immunitatis ecclesiasticae, et cedat vi, nec provocet a-

[1] Etiam Juratus non potest, contra Ecclesiae canones, intervenire in judicio contra Sacerdotem, etsi ad tribunal se conferret animo Sacerdotem juvandi: sed licentiam ab Ordinario petere debet; haec enim lex de petenda licentia est semper in aedificationem, non solum ad removendum scandalum, sed etiam ut Episcopus congrua consilia et opportunas instructiones dare possit. Excipe tamen si casus ita ex improviso accideret ut Episcopus consuli nequeat; tunc sufficeret licentia praesumpta, idque quamvis juratus suo voto nihil prodesse posset. *Berardi*, Praxis, n. 987. Cf. *Génicot*, II, 9, 2°.

pertam violentiam, quae nil boni imo majora mala afferret.

138.—*Q.* Quaenam poena lata in violantes privilegium fori, et quosnam afficit?

R. Ob violationem privilegii fori adsunt sequentes poenae:

I. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ad eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes, ipso facto subiaceant excommunicationi Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatae. **Can. 2333.**

Recurrentes sive personaliter sive per scripta sive per interpositas personas ad laicam potestatem, nempe ad Praefectos, ad Iudices etc; ad impediendas litteras vel acta quaelibet profecta a Sede Apostolica, ideoque a Congregationibus, a Tribunalibus, vel Officiis Curiae Romanae ut constat ex Can. 7, vel ab eiusdem Legatis a Latere, a Nuntiis, Internuntiis, Delegatis Apostolicis; directe vel indirecte prohibentes, laedentes vel perterrefacientes nempe publica auctoritate.

Quoad recurrentes vel prohibentes ut poenam incurrant requiritur ut recursus vel prohibitio suum effectum sortiatur.

Quoad laedentes vel perterrefacientes veniunt qui in bonis corporis laedunt vel perterrefaciunt c. g. incussu metu gravissimo terrent, idque faciunt sive contra personas quarum hae litterae, vel acta intersunt, sive contra alios c. g. patrocinatores, executores, etc.

II. Excommunicatione latae sententiae *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata plectuntur, qui leges, mandata, vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae edunt, **Can. 2334.** 1°.

Haec excommunicatio comprehendit *edentes* leges vel decreta, nempe qui ea emittunt propria auctoritate, quae emitti solent a suprema potestate, uti esset Praefectus, Syndicus, Minister status, Praefectus politiae; et si hujusmodi leges suffragiis edantur, qui suffragium dedit, promulgata lege, poenam incurrit. — Non comprehendit vero magistratus quibus legum et decretorum sola executio mandata est; nec eos qui ad vexationes declinandas sese iisdem subjiciunt; nec banditores qui leges vel decreta promulgant; nec notarios qui juxta tales ordinationes actus suos exerunt, quia isti omnes non sunt *edentes* proprie dicti.

Ad hanc vero poenam incurrendam requiritur: 1° Ut leges vel decreta publicentur per modum Statuti generalis non autem pro casu aut individuo particulari; quia si agatur de casu particulari, non lex aut decretum promulgatur, sed solum mandatum.— 2° Ut leges vel decreta aliquo modo libertati aut juribus Ecclesiae universalis adversentur, v. g. decretum quo impediatur exercitium Ordinis vel jurisdictionis Ecclesiae, jus docendi, promovendi ad Ordines, publicas supplicationes extra templa vel noctu obeundi, ecclesias, beneficia, pia sodalitia excitandi, beneficia conferendi absque ullo interventu potestatis laicae, possidenti bona temporalia, etc.; unde in hoc casu comprehenduntur leges de *R. Pla-*

cet et *Exequatur*. — 3° Un tales leges promulgatae fuerint, quia tunc solum vim legis obtinent.

Olim nonnullis visum fuit etiam laedentes iura et libertatem singularum ecclesiarum incurrere hanc excommunicationem, propter ea Bullae Coenae verba *quaramcumque Ecclesiarum*; quae verba cum nunc exulent, omnis dubitandi ratio sublata est. *D' Annibale.* Comment. 68 (16).

III. Excommunicatione latae sententiae *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata plectuntur qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurreutes ad quamlibet laicalem postestatem. **Can. 2334.** 2°. — Quare comprehenduntur qui imperio vel minis directe vel indirecte impediunt ne quis Curiae ecclesiasticae addictus suum officium in ea re adimpleat, vel qui per recursum ad tribunal civile effectum huius iurisdictionis eludunt, ut si quis ad laicam potestatem recurreret ne a Gubernio *R. Exequatur* vel *R. Placet* concedatur ei qui ab ecclesiastica auctoritate iurisdictionem obtinuit. Iuxta plures requiritur ut praedicta actio suum effectum sortiatur.

IV. Si quis contra praescriptum Can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius* vel aliquem ex maioribus re'igionum iuris pontificii Superioribus incurrit excommunicationem Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam **Can. 2341.**

Demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario; laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur. **Can. 2341.**

Ad hanc poenam incurrendam requiritur praesumptio, nam **Can. 2341** dicit: *Si quis ausus fuerit*, et Episcopum etc. trahat ad *judicem laicum*; nomine autem judicis laici veniunt iudices proprie dicti, illi nempe qui ex officio et pro tribunali ius dicunt, et a ceteris magistratibus separantur, unde non veniunt Syndicus, Delegatus, etc; et trahat eo fine ut principaliter in eum jus dicat, non alio fine ut ei de plano aliquid praecipiat, admoneat, etc.[1].

---

[1] Casus. — Franciscus a Blasio Abbate creditum suum exposcit. Verum, quum pluries et sempet inaniter expostulasset, ipsum ad judicem laicum vocat, et ipsi sequestrat tum pensionem gubernativam, tum quaedam lucra adventitia. — *Q.* 1° Franciscus peccavit ne? — 2° Incurrit ne aliquam poenam?

R. Ad 1um. Sacerdos ratione privilegii fori exemptus est a jurisdictione judicis laici, ideoque non a judice laico, sed a proprio judice nempe ecclesiastico cogi debet ad munera sua adimplenda. Ergo Franciscus trahendo Blasium ad tribunal laicum peccavitt in sacros Canones in re gravi. Excipe tamen si traxit cum venia Episcopi; vel si hoc ipsi permissum erat ex Concordato vim habente; vel ex consuetudine legitime introducta.

Ad 2um. Franciscus poenam excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam si *ausus fuerit* Blasium Abbatem ad iudicem laicum trahere; secus si, nesciente poena, traxit. — Nec poenam incurrit in *sequestrantes bona, redditus*, etc.; sive quia poena lata est in eos qui injuste bona,

redditus, etc. sequestrant, (nomine sequestri hic intelligitur actus quo quis alicui clerico legaliter impedit ne bona, redditus etc. ipsi juste debitos percipiat); sive quia poena lata est in sequestrantes bona, redditus, etc. ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum; non vero bona, redditus aliunde provenientes, aut lucra adventitia: ergo.

DE OBLIGATIONIBUS QUORUMDAM LAICORUM

CAPUT UNICUM.

ART. I.

De officiis judicialibus.

§ 1°

De judice, de juratis, et de apparitore.

140. — *Q.* Quis est *judex,* et quaenam ejus obligationes?

R. Judex seu praetor est *persona publica legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret* [1].

Ejus autem obligationes sunt:

1. Habere *scientiam et sagacitatem necessariam,* qua sciat munere suo recte fungi. — Hinc si necessaria scientia careat absolvi nequit, nisi facta renuntiatione officii vel nisi firmum habeat propositum renuntiandi [2].

2. Habere *integritatem incorruptibilem,* ita ut nec amori, nec odio cedat, juxta illud Ecc. (VII, 6): *Noli quaerere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in aequitate tua.*

3. *Causas celeriter expedire.* Unde graviter peccat judex contra suum officium, si causarum expeditionem sine justo motivo valde notabiliter differat; et tenetur parti laesae damna compensare, et expensas, quae ex iniqua dilatione secutae sunt, restituere, quia est earum injusta causa. Hic advertendum quod non potest judex accipere pecuniam ad expediendam causam alicujus prae alia, nisi extraordinarium susciperet laborem, ad quem ex vi sui muneris non teneretur; quia judex tenetur ex justitia cito expedire causas eorum qui aequale jus habent ad expeditionem.

4. Ferre *sententiam secundum leges et ordinem a legibus determinatum,* quia non est auctor legum, sed earum executor. — In dubio autem, in causa *criminali,* reo favendum est. In causa vero *civili,* in dubio de sola proprietate, certo possessori favere debet, tunc enim melior est conditio possidentis; sed in dubio de proprietate simul et de possessione, tenetur judicare juxta rationes probabiliores: unde Innocentius XI hanc damnavit propositionem: *Proba-*

[1] Dixi: *legitima auctoritate,* quia secus non haberet legitimam jurisdictionem. Hinc *per se* graviter peccat judex saecularis qui, praeter casus ab Ecclesia permissos, ad suum tribunal personas vel causas ecclesiasticas trahit.

[2] S. Alph., L. IV, 195.

—

biliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. Si autem rationes sint ex utraque parte probabiles, res inter utramque partem aeque dividenda est.

141. — *Q.* Judex potest ne damnare reum de crimine juridice convictum, sed scientia privata ut innocentem certe cognitum?

R. Certum est ipsum teneri omnia media adhibere ad hunc innocentem liberandum; puta excogitando causas sufficientes ad rejiciendas accusationes, vel protrahendo judicium, vel causam remittendo ad judicem superiorem, vel etiam aperiendo carcerem, si id absque majori malo exequi possit. — Ubi vero nulla via ipsi superest, disput. Th. utrum illum damnare possit, aut debeat. S. Thomas[1] affirmat, quia judex pro bono communi judicare debet ex allegatis et probatis. Sed alii distinguunt et dicunt: in poenis pecuniariis, et in causis civilibus judex sine dubio judicare debet juxta id quod probatum est, dum respublica pro communi utilitate, quae habetur dum judicium fertur juxta publicam scientiam, potest utique transferre bonorum dominia; sed in poenis corporalibus, judex nunquam potest damnare innocentem, hoc enim videtur esse intrinsece malum[2]. — Quare *in praxi,* ob contrarias probabiles opiniones, judex illum absolvere vel damnare potest[3].

142. *Q.* Ad quid tenetur judex qui injustam sententiam tulit?

R. — 1. Si dolo, vel ex gravi et culpabili imperitia aut negligentia id egit, tenetur de damnis, quia reus violatae justitiae tum legalis tum etiam commutativae, ex quasi-contractu cum privato tacite inito ratione officii.

2. Si, alioquin dignus suo munere, per oblivionem ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conscientia ad restitutionem ex propriis, cum injuriam formalem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali sententia acceperit; tenetur tamen sub gravi adhibere media ad reparationem quoad fieri potest sine gravi incommodo, v. g. secreto admonendo partem laesam ut ad appellationem recurrat[4].

143. — *Q.* Judex peccat ne si accipit munera a litigantibus, et tenetur ne ad restitutionem?

R. — 1. Judex per se nequit accipere et retinere munera, etiam libenter oblata, ob periculum pervertendae justitiae, quod ordinarie subesse solet. Id tamen Th. intelligunt de muneribus proprie dictis, non autem de munusculis liberaliter oblatis, quae in esculentis et poculentis fere consistunt; non est enim verosimile propter munera tam tenuia movendum esse animum judicis: quamquam longe magis famae suae consuleret et integritati si etiam ista respuat. — Causa vero finita, cum cesset unica ratio quae judicem impediebat ne illa munera reciperet et retineret, non tenetur ad restituendum, etsi peccasset illa acceptando: leges vero *civiles,* quae etiam hoc severissime prohibent, videntur mere poenales, saltem ubi in suo tenore nullam prohibitionem directam, sed tantum poenarum comminationem continent.

[1] 2a 2ae, q. 64, a. 6.
[2] S. Alph., L. IV, 210; Hom. Ap., T. XIII, 64.
[3] *Génicot,* II, 7.
[4] S. Alph., L. IV, 195, 214.

2. Si judex dona quaecumque *exigit* pro re quam ex stricta justitia facere tenetur, v. g. pro ferenda justa sententia, laedit justitiam commutativam (v. dicta, I, 820). Si vero exigit quidem, sed pro re quam ex stricta justitia facere non tenetur, tunc si res est in se honesta, v. g. pro diligentia omnino extraordinaria, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. Si autem res est in se inhonesta, semper peccat, et ad restitutionem etiam tenetur si sententia nondum lata sit; si vero jam lata, probabilius acceptum retinere potest, ut dictum est de contractu turpi (v. I, 819)[1].

144. — *Q.* Licet ne a sententia judicis appellare?

R. Si sententia sit saltem probabiliter injusta licet, et, appellatione interposita, sententia lata suspensa manet, nisi aliud in jure sit expressum. — Item si sententia fuerit quidem justa secundum allegata, sed reus habeat pro se novas probationes. Si vero sententia lata fuerit *omnino* justa, nec oppositum probari possit, appellatio illicita est[2]. Si tantum probabilius justa, Th. communius negant appellationem licitam esse; alii tamen affirmant, quorum sententia vel ipsis Salmant. probabilis visa est[3].

145. — *Q.* Sententia judicis injusta obligat ne in foro conscientiae?

R. Si est tantum *dubie injusta* certe obligat, quia in dubio praesumptio stat pro superiore.

Si vero est *certe injusta*, tunc si sententia est injusta ex natura rei, aut ex omissione ordinis juris simpliciter necessarii, aut ex judicis iniquitate, nullum habet robur in foro conscientiae; secus an obliget, Th. communiter negant, dummodo absit omne hallucinationis periculum et omne scandalum[4].

146. — *Q.* Quis est *juratus* et ad quid tenetur?

R. Juratus, sic dictus ob juramentum quod praestat, est *qui in causis tantum criminalibus suum judicium pronunciare debet, sive circa existentiam facti, sive circa culpabilitatem accusati.*

Juratus tenetur suam sententiam proferre non juxta legem, sed juxta intimam persuasionem, quam de existentia facti, vel de culpabilitate accusati habet; unde nequit dare votum contra aliquem accusatum, quem privata scientia certo scit esse innocentem, licet juridice sit de crimine convictus; quia ipse pronuntiare debet non circa jus, sed tantum circa factum et culpabilitatem, juxta id quod in foro conscientiae sentit.

Quod si Juratus circa accusati

[1] An peccet qui munera dat judici aut ejus ministris, distinguendum: Si det sine justa causa, equidem peccat cooperando injustae receptioni. Secus, si cum causa, nempe ad redimendam injustam vexationem, modo periculum sit probabile quod alias manifesta injustitia sibi inferatur; tunc enim haec non est corruptio, sed cautio ut jus suum sibi tribuatur. Nec obstant huic leges prohibentes; nam leges intendunt vitare ne dantes munera judices corrumpant, non autem ut justam sententiam obtineant. Advertendum autem quod dans munera potest post sententiam repetere in judicio quod dedit. — S. Alph., L. IV, 212.

[2] S. Alph., L. IV, 287.

[3] Et mihi est verior, nam si cum sententia minus probabili licet et actori litem inire, et reo se defendere, appellare quidni liceat? Et quidni judici superiori probabilius videri possit quod inferiori minus probabile visum est? *D'Annibale*, II, 591 (37).

[4] *D'Annibale*, II, 591; I, 307.

—

reitatem aut innocentiam dubius maneret, tunc schedulam sine ullo voto dare posset; quae in accusati favorem esset[1].

Juratus autem, vi juramenti emissi, attentionem et summam rectitudinem servare tenetur; secus mortaliter peccaret, et ad damnorum reparationem obligaretur, sicut judex[2]. — Hinc patet quam male se gerat qui nullam attentionem adhibens, votum in accusati favorem semper praestat.

147. — *Q.* Quis est apparitor et quaenam ejus obligationes?

R. Apparitor (vulgo *usciere*) dicitur *qui ex officio mandata justitiae defert, et executiones a judice decretas perficit.*

Apparitor, ut minister justitiae, instructus esse debet de suis muneribus, et fidelis in ipsis exequendis. Quare peccat contra justitiam et ad restitutionem tenetur: — 1° Si ex gravi culpa formalitates necessarias in officio suo omittit. — 2° Si acta juridice sibi commissa tempore debito et utili non conficit, vel tempus ad illa acta praefixum non concedit. — 3° Si scienter excedit mandatum judicis, et statuta legis. — 4° Si sententiam antequam evulgetur, uni parti manifestet cum damno alterius partis. — 5° Si pretio aut favore se corrumpi sinit in praejudicium clientis. — 6° Si pretium accipit supra taxam a lege determinatam, nisi ratione laboris extraordinarii et indebiti excusetur[3].

§ 2°

De actore, accusatore, et teste.

148. — *Q.* Quis est actor et ad quid tenetur?

R. Actor, seu petitor, est *ille qui proponit actionem ad obtinendam reparationem proprii damni et prior ad judicium provocat, per se vel per procuratorem.* Actor in criminalibus dicitur *accusator.*

Actor debet: 1° Justa petere; 2° agere servato juris ordine; 3° demum jus suum manifestis probationibus demonstrare[4].

149. — *Q.* Quid est accusatio et quid denuntiatio?

R. Accusatio est *delatio criminis quae Superiori fit uti judici, cum obligatione probandi delictum.*

Denuntiatio *judicialis* est *delatio criminis quae Superiori fit uti judici, sed sine obligatione delictum probandi.* Hisce nostris temporibus sufficit ut reus denuntietur; quare hodie accusatio et denuntiatio promiscue usurpantur. — Si denuntiatio fit Superiori uti patri, ad rei emendationem, dicitur *evangelica*, de qua dictum est ubi *de correctione fraterna*, vol. I, n. 423 et seqq.

150. — *Q.* Denuntiatio judicialis quandonam obligat?

R. Denuntiatio judicialis, seu juridica, obligat quatuor in casibus: 1° Quando proprium officium denuntiationem importat; sic ratione officii ex justitia ad eam tenentur fiscales, custodes agrorum, gabellarum, etc., et quidem etiam cum gravi suo incommodo, quia stipendio ducti sunt. Hi, si denuntiationem culpabiliter omittunt tenentur resarcire damna ex tali omissione communitati vel dominis secuta: probabilius tamen non tenentur solvere mulctas, quae exactae fuissent si denuntiassent, quia mulctae probabilius obligant tantum post sententiam judicis.—

[1] Cod. di proc. pen., art. 504.
[2] Cf. *Génicot*, II. 9, *Aertnys*, L. V, 108.
[3] S. Alph. L. IV, 228.
[4] *D' Annibale*, II, 584

2° Quando adest aliqua lex specialis, ut in casu Ordinis et Matrimonii. — 3° Quando crimen avertendum cederet in damnum publicum, uti haeresis, rebellio, falsificatio monetarum, etc. — 4° Quando imminet grave damnum innocenti et per denuntiationem adsit spes illud vitandi; ad hoc tamen non tenemur cum gravi nostro incommodo, nisi simul immineat etiam damnum commune [1].

151. — *Q.* Testis tenetur ne respondere?

R. Testis legitime interrogatus, nempe quando de auctore delicti praecessit infamia, vel adsunt sufficientia indicia, aut semiprobatio, vel quando grave malum impendet reipublicae aut alicui privato, quod alia ratione quam per judicium averti nequit, judici respondere tenetur, quia unusquisque obedire tenetur suo superiori justa praecipienti; unde testis nequit se occultare si vocatus sit.

Porro testis non censetur legitime interrogatus: — 1° Si judex interrogat de iis quae ad ejus jurisdictionem non pertinent; — 2° Si factum de quo interrogatur sciat non esse criminosum: quia judex interrogare intendit de crimine. — 3° Si judex interrogat de crimine quod testis scit ex sola confessione sacramentali, vel sub secreto commisso, quia hujusmodi revelationes homines a petendi consiliis deterrerent, quod in grave reipublicae damnum redundaret [2]. — 4° Si testis grave damnum pati deberet, quia praeceptum superioris non obligat cum tanto incommodo.

Testis legitime interrogatus, si recuset ferre testimonium, vel veritatem sileat quin falsum dicat, non videtur peccare contra justitiam commutativam, sed solum contra obedientiam aut justitiam legalem. Si tamen falsum malitiose deponit, vel si est testis in contractu et legitime interrogatus testimonium ferre nollet, tunc peccaret contra justitiam commutativam, et teneretur ad reparationem damnorum; quia eo ipso quod officium suscepit testificandi, se obligavit ad ferendum testimonium si contrahentes ipso indigerent [3].

Qui autem bona fide falsum testatus est, cognita rei veritate, per se loquendo teneretur se retractare; excusatur tamen si retractatio inutilis esset vel non careret gravi incommodo, nemo enim ex actione sua sine culpa admissa grave damnum pati debet [4].

---

[1] S. Alph. L. IV. 236, 237, Hom. Ap, T XIII, 73.

[2] Non potest testis deponere factum quod cognovit per injuriam, e. g. aperiendo litteras. — *Génicot*, II, 17.

[3] Vid. S. Alph., L. VI, 269; *Génicot*, II, 18.

[4] *Depositio falsi in judicio in damnum tertii*, in dioecesi Taurinensi est culpa reservata 1ae Classis. Ad reservationem non est necesse ut depositio sit jurata, si et haec non jurata admittatur in judicio. Falsitas requiritur sive objectiva, quia secus non adesset damnum, sive subjectiva. Et in causa criminali, non vero civili, si quis de scientia propria requisitus falso assereret illud scientia propria scire, incurrit reservationem, quia lex in hoc casu requirit depositionem de scientia propria. Damnum autem sequi debet ex falsa depositione, ut ex vera causa. Cf. Cl. Arch. Bertagna, *De casuum reservatione.*

In dioecesi vero Neapolit., *excommunicationem* Ordinario reservatam incurrunt omnes et singuli, qui etiam sine damno tertii, cum juramento falsum deponunt in causa sive civili, sive ecclesiastica. In eamdem poenam et reservationem incidunt quoque ad id crimen inducentes, secuto tamen perjurio. — Casus V. 2ae classis.

§ 3°

De reo.

152. — *Q.* Reus tenetur ne judici respondere?

R. Praemitto: Reus intelligitur ille cui lis movetur, vel qui de crimine accusatur. Hoc posito:

Reus, si est legitime interrogatus, tenetur in conscientia judici respondere et suum crimen fateri [1]. Si vero non legitime interrogetur a judice, non tenetur fateri *delictum*, quia tunc judex se haberet instar hominis privati. Reus autem non esset legitime interrogatus: 1° Si judex non sit legitimus, vel non interroget secundum ordinem juris. — 2° Si judex a seipso litis processum inchoat, sine praevia accusatione, saltem virtuali. Adest autem virtualis accusatio cum fama seu clamor delictum judici defert. — 3° Si non praecessit semiplena probatio, nec infamia, nec manifesta criminis indicia extant. — Imo, saltem in causa criminali, etiam in dubio an judex legitime interroget, respondere non tenetur, quia reus possidet suam vitam et famam, et in dubio habet jus eam servandi usquedum de legitima interrogatione non constet [2].

153. — *Q.* Reus potest, et tenetur ne complices manifestare?

R.—1. Si praesumptus reus est *innocens* potest ad sui defensionem revelare crimina occulta testium vel accusatoris, etc., modo: 1° crimen sit verum; 2° revelatio sit absolute necessaria ad suae innocentiae defensionem; 3° et ipse aliter grave damnum passurus sit.

2. Si vero reus est *nocens* tenetur revelare socios sui criminis si bonum commune, aut bonum grave alicujus innocentis revelationem expostulet, quia bonum commune bono privato praevalet; et in pari causa melior est conditio innocentis, quam sontis. — Seclusis his casibus, si complices sint omnino occulti, nec aliis indiciis aut testimoniis convinci possint, reus non tenetur nec potest eos revelare, quia in hoc casu ipsi adhuc retinent jus ad propriam famam. E contra, si complices non sint omnino occulti, tunc eos revelare tenetur ob rationem oppositam, judex enim in hoc casu legitime interrogat [3].

154. — *Q.* 1° Reus potest ne e carcere fugere; 2° licet ne ei consilium vel auxilium praebere ad fugam?

R. Ad 1um: Th. communiter affirmant; excipe: 1° Si ipse speciali promissione, et eo magis si cum juramento, se obligasset ad non fugiendum. 2° Si poena rei esset levis, et custodibus gravissimum immineret damnum ex ejus fuga. 3° Si ad fugam capiendam custodes corrumpere deberet.

Quoties autem licet reo fugere,

[1] Sat probabile est adeo ardua obligatione reum non teneri si inde timeat magnam poenam, nisi tamen grave damnum publicum ex ejus silentio immineret. S. Alph., L. IV, 274.

[2] S. Alph., L. IV, 273. — Quae olim, vigente jure romano, docebantur de obligatione rei fatendi suum crimen, hodie valere tantum possunt in causis juris canonici, in quo vetus illa dispositio permanet; non amplius in causis juris civilis, quia nunc talis obligatio reo non imponitur, nec juramentum defertur in causis criminalibus. Quare nunc reo licet crimen a se commissum negare; nam haec negatio ex adjunctis non est nisi restrictio late mentalis, qua declarat se non admisisse crimen quod fateri teneatur.

[3] S. Alph., L. IV. 274, 277, 278.

adhibere potest calliditatem et astutias non modo, sed et carceres infringere, quin, probabilius, de damnis teneatur.

Ad 2um : Numquam licet *custodibus* consilium vel auxilium reo praebere ad fugam. Quoad alios, certe non licet si ex illius fuga grave damnum reipublicae obveniret. — Secluso hoc casu, utique licet reum consilio juvare et etiam probabilius, suppeditatis instrumentis, quando ipsi licitum est fugam arripere. Nemini tamen licet carceres infringere, ut liberet reum, hoc enim a bono communi prohibetur, ne scilicet omnis securitas carceris pereat [1].

§ 4°

De advocato, procuratore et secretario.

155. — *Q.* Quis est advocatus, et quaenam ejus obligationes?

R. Advocatus dicitur *ille qui suum auxilium voce vel scripto litigantibus praebet.*

Advocatus (idem dic de Procuratore) debet :

1. *Scientiam sufficientem* habere, et graviter peccaret contra justitiam commutativam, si non satis peritus et idoneus causam defendendam susciperet.

2. *Iustam causam* tueri : unde absolvi non potest si paratus sit omnes causas suscipere defendendas, quamvis injustas. Sed in causa criminali potest reum defendere etiamsi sciat ipsum vere esse reum, modo defendat mediis honestis et licitis, quia nulli affert injuriam, et aliunde ex officio suo quantum potest reo patrocinari debet. Causam vero civilem nequit sine gravi peccato suscipere defendendam si sciat esse injustam. Unde antequam patrocinium causae suscipiat, tenetur examinare ejus aequitatem eamque clienti sincere indicare ; si enim falsa promissione, vel inani spe victoriae eum sumptibus involvat, ad restitutionem tenetur. Quod si in progressu causae injustitiam detegit, tenetur causam deserere, ne injusto damno cooperetur. Potest tamen suscipere et defendere causam minus probabilem, licet oppositam probabiliorem judicet, quia spem habere potest, ut in progressu veritas eluceat.

3. *Fidelitatem* servare ; unde peccat si parti adversae revelat arcana partis quam tuetur.

4. Demum *justum pretium* servare. Si pretium taxatum est, non licet ultra illud accipere ; si vero non est taxatum standum justo naturali. — Non licet pacisci de parte aliquota, v. g. dimidia, tertia vel quarta litis pro pretio, si victoria obtigerit : id enim graviter prohibetur ne praebeatur occasio per fas et nefas victoriam procurandi. Si tamen in hoc casu pretium fuerit justum, et absit dolus et fraus retineri potest [2].

[1] S. Alph., L. IV, 280-3 ; *D' Annibale* II, 603.

[2] Utilia atque pulchra consilia, quae celebris olim advocatus S. Alphonsus M. de Ligorio in causis gerendis semper prae oculis habebat, hic referre valde conveniens puto.

Sciens ille fori pericula, sibi in schedula quadam sequentia duodecim articula inscripserat observanda, ut in tribunalibus conscientiae suae puritatem sartam tectamque custodiret, eaque lectitabat et crebrius meditabatur.

1° Numquam licet iniquae causae patrocinium suscipere; quia ipsae conscientiae et famae magno detrimento sunt.

2° Non licet causas gerere iniquis aut quomodocumque illicitis mediis.

156. — *Q.* Quis est procurator?

R. Procurator est *persona publica, quae causas alienas in judicio, mandato et nomine domini, administrat.*

Ut procurator rite munere suo fungatur, eadem in eo requiruntur, quae nuper diximus de advocato.

Hinc peccat contra suum officium: 1° Si litem procuret injustam. 2° Si sua incuria, negligentia, aliave culpa, causa sit cur lis perdatur. 3° Si nomine partis juret sine particulari ejus informatione cum periculo pejerandi. 4° Si culpabiliter tribunal non adeat, futuri incommodi metu, etc. 5° Si partes adducat ad concordiam iniquam. 6° Si differat causam, vel pervertat judicem, vel petat terminos impertinentes, aut dilationes superfluas.

157. — *Q.* Quis est secretarius et ad quid tenetur?

R. Secretarius est *ille qui legitima auctoritate est deputatus ut scripto referat testimonia, judicum sententias, et cetera omnia quae in tribunalibus peraguntur.*

Secretarius tenetur scientiam habere officio suo necessariam, inviolatum servare secretum, et omnia fideliter transcribere; unde peccaret graviter contra justitiam et ad restitutionem teneretur, si ex malitia, vel ex gravi defectu intelligentiae ex officio requisitae, aliquid in re gravi et damnosa omitteret vel immutaret[1].

NOTA: Interdum expedit ut confessarius publicos administratores prudenter interroget an obligationes eorum officiis adnexas persolvant; non raro enim isti fatentur, ut dici solet, peccata *Caroli*, et tacent peccata *Caesaris*, nempe quae ut personae privatae admiserunt confitentur, quae vero uti ad publica officia deputati patrarunt, reticent.

ART. II.

De officiis civilibus.

§ 1°

De syndico et notario.

158. — *Q.* Quis est Syndicus et quaenam ejus obligationes?

R. Syndicus est *ille qui a legi-*

8° Non licet clientibus indebitas imponere expensas; secus advocatus restituere tenetur.

4° Clientum causae gerendae sunt ea cura, qua propriae geruntur.

5° Oportet actis studere, ut ab eis depromi possint valida argumenta ad causas bene defendendas.

6° Advocatorum mora et negligentia saepe saepius clientibus non parva inferunt damna, quae reparanda sunt; alioquin laeditur justitia.

7° Advocatus, quum causam gerit, Dei opem implorare tenetur, cum Deus sit primus justitiae patronus.

8° Non est laude dignus advocatus qui suscipit plures causas quae ejus scientiam viresque exsuperant, eo quod frequenter deerit illi tempus parandae defensae.

9° Justitiam aeque ac honestatem catholici advocati semper debent fixis oculis intueri; immo ut oculorum pupillam illas semper custodire tenentur.

10° Advocatus, si sua negligentia causam perdiderit, tenetur clientis omnia damna reparare.

11° In gerendis causis advocatus debet esse veridicus, sincerus, observans, atque rationalis.

12° Demum advocati dotes sunt scientia, diligentia, veracitas, fidelitas atque justitia.

Hisce consiliis obtemperans S. Alphonsus causas gerebat, iisdemque inter fori pericula conscientiae puritatem, vitam, famamque fruitus est incolumen. — *Rispoli*, Vita di S. Alfonso M. de' Liguori, p. 1. c. IV.

[1] S. Alph., L. IV, 229.

tima auctoritate deputatur ut sit communitatis rector ac tutor, ut nempe illius bona et jura tueatur legumque observantiam.

Syndicus (idem dic de Praefecto provinciali) tenetur idoneos eligere ad publica officia, malos cohibere, scandala quantum in se est impedire, bona communitatis fideliter administrare, bonum tum temporale tum morale procurare. Hinc graviter peccaret et teneretur de damnis, si bona communitatis dilapidaret, liberum exercitium religionis coërceret ejusve jura perverteret, aut pervertentes non impediret [1].

159. — *Q.* Judex, syndicus aliusve reipublicae praepositus potest ne legem injustam executioni mandare?

R. Ratione majoris boni obtinendi vel majoris mali vitandi, quandoque licita evadit injustae legis executio; requiritur tamen: 1° Ut objectum legis non sit intrinsece malum; 2° ut laesus in proprio jure, ob legem iniquam servatam, possit et velit sui juris laesioni assentire, vel saltem ut non sit rationabiliter invitus.

Hinc: 1° Non licet judici iniquae legis applicationem urgere, si ejus executio ipsius arbitrio commissa est. — 2° Si qua lex juribus ac libertati Ecclesiae adversetur, ejus executio, contradicente in casu particulari Ecclesia, nullo prorsus modo urgeri potest, ne sub praetextu quidem majoris boni obtinendi, cum sola Ecclesia judex sit eorum quae sibi magis conveniunt.—3° Si iniquae legis executio evadat parum damnosa alicui tertio, ejus vero neglecta applicatio multum damnosa judici, potest lex urgeri, maxime si damnum tertii vitari nequeat [2].

160. — *Q.* Quis est notarius?

R. Notarius dicitur *qui legitime est institutus ad inscribenda acta vel instrumenta, quae sive in judicio sive extra fidem faciunt.*— Notarii munus gravissimum profecto est, cum illi publica fides sit commissa; ideo: *Expertus, fidus, diligens notarius esto.*

1. *Expertus:* unde peccat graviter contra justitiam, si ex officii sui ignorantia vel negligentia solemnitates necessarias omittat, adeo ut actus nullus evadat.

2. *Fidelis:* unde graviter item contra justitiam peccat, si juramentum violet vel secretum, si in depositione testium aliquid addat aut detrahat gravis momenti, vel ambigua verba adhibeat quae litibus vel injustitiis locum praebeant.

3. *Diligens:* unde graviter peccat, et tenetur de damnis, si negligenter custodiat, vel differat culpabiliter causae expeditionem, etc.

§ 2°

De medico, chirurgo et pharmacopola.

161. — *Q.* Quaenam obligationes medicorum, chirurgorum, et pharmacopolarum?

R. Medici, chirurgi et pharmacopolae tenentur, et quidem sub gravi, quando tale officium pe-

[1] Quoad officium Syndici, vel consiliarii municipalis in statu Pontificio, S. Poenit., 26 dec. 1860, respondit: « Tale officium posse tolerari, dummodo Municipales non adigantur ad ea quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis, et se abstineant a praestando juramentum juxta formam a gubernio invasore propositam ».

[2] *Marc*, 2292.

tunt vel suscipiunt, sufficientem habere scientiam et peritiam ; curam adhibere gravitati morbi respondentem ; aequitatem in exigendo stipendio servare.

Hinc medici et chirurgi : 1° Adhibere debent pharmacum certum seu quod certe profuturum est, omisso eo de quo dubitatur. — 2° Si non adsint pharmaca certa, debent adhibere probabiliora et tutiora, tum quia alioquin salutem proximi in discrimen adducerent, tum quia tenentur fungi officio, quantum possunt, cum minimo proximi periculo et damno. — 3° Si nulla est spes de salute infirmi, nec adest remedium nisi dubium, tunc possunt, imo debent illud adhibere ; - ratio, quia sic infirmi negotium utiliter geritur, et si mors sequatur, ipsis non imputabitur, cum alias spes vitae non adsit.—4° Nunquam possunt uti remedio dubio ad solum experimentum capiendum.

Propterea peccant : 1° Si sine scientia et peritia sufficienti morbum aut vulnera curare tentent cum periculo erroris ; 2° si alium medicum, quando gravitas morbi aut vulneris id exigit, non consulant ; 3° si lucri amore curationem protrahant ; 4° si mercedem justo majorem exigant ; 5° si occurrenti gravi et insolito morbo speciali studio operam non impendant ; 6° si facile et sine justa causa eximant a jejunio, a carnis abstinentia, ab auditione Missae in die festo ; 7° si opportune non praemoneant de gravi infirmi periculo ut ei conferantur Sacramenta [1] ; 8° si negligant in casu necessitatis foetus baptizare, vel operationem caesaream perficere in casibus in quibus ad ipsam tenerentur [2].

Pharmacopolae vero peccant : 1° Si rudes et ignari munus exerceant ; 2° si absque arte vel diligentia medicamenta conficiant ; 3° si medicamenta inutilia vel illicita, v. g. ad abortum procurandum, vendant, etc.

—

[1] Etsi canonicae dispositiones hac de re fere ubique in desuetudinem abierint, tamen medicus ex naturali praecepto caritatis infirmum, quem in probabili periculo mortis noverit, monere tenetur vel per se ipsum, vel per parentes aut amicos infirmi, ut rebus suis sive spiritualibus sive temporalibus tempore utili provideat, nisi ipsi certe constet hanc monitionem vel non necessariam, vel prorsus inutilem esse.

[2] S. Alph., L. IV, 291.

DE SACRAMENTIS

Hactenus de officiis et obligationibus quibus fideles Deo, sibi ipsis et proximo devinciuntur. Ut autem ea *in praxi* deducere valeamus Gratia Dei indigemus quae quidem multiplici via nobis datur, potissimum tamen *Sacramentis* per quae, ait Trid., omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Dignum ergo est ut in Tractatum de Sacramentis impense incumbamus atque in cognitionem mediorum quibus Ch. Salvator infirmitati nostrae subvenire nosque ad sanctitatem et felicitatem aeternam perducere voluit deveniamus, sicque digni efficiamur *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei*.

Cum autem plura sint Sacramenta, ne, de singulis disserentes, ea repetere necesse sit quae omnibus sunt communia, specialem Dissertationem de Sacramentis *in genere* praemittemus, antequam ad Sacramenta *in specie* accedamus.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Sex capitibus constat haec dissertatio : 1. *de Sacramentorum definitione institutione et necessitate ;* 2. *de eorum effectibus ;* 3. *de materia et forma ;* 4. *de ministro ;* 5. *de subjecto ;* 6. *de caeremoniis. — Accedit brevis Appendix de Sacramentalibus.*

CAPUT I.

De Sacramentorum definitione, institutione et necessitate.

162. — *Q.* Quid est Sacramentum ?

R. Sacramentum, a *re sacra* dictum, varias habet significationes [1]. Sed prout a nobis hic accipitur definiri solet : *Signum sensibile et sacrum a Christo permanenter institutum ad gratiam significandam et virtute sua in homine producendam* [2].

Dicitur : 1° *signum*, quia praeter rem quam sensibus objicit, efficit etiam ut ex se alterius rei

[1] Penes scriptores tum sacros tum profanos vox Sacramentum aliquando accipitur *pro re sacra et secreta*, juxta illud Sap. II, 22: *Nescierunt sacramenta Dei* ; aliquando *pro re secreta licet non sacra*, juxta illud Tob. XII, 7 : *Sacramentum Regis abscondere bonum est* ; aliquando *pro juramento*, quo quis invocato Supremo Numine, se ad aliquid obligat : hinc a T. Livio juramentum militum *Sacramentum militare* appellatur. Communius vero accipitur pro *quocumque ritu* qui hominem ad Dei cultum initiat et consecrat ; sed Theologis est res *arcana, sacra* et *sacrans*.

[2] S. Th., p. 3, q. 60, a. 9, Sacramentum definit : *Signum rei sacrae in quantum est sanctificans homines*. Et Ca-

cognitionem capiamus ; sic, v. g. in Baptismo exterior corporis ablutio interiorem animae ablutionem significat [1] ; 2° *sensibile,* quia ut ait S. Th. (P. 3, q. 60, a. 4), est homini naturale ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium.Per signum autem sensibile non intelligitur tantum substantia materialis, sed etiam actio sensibilis, ut in Poenitentia contritio et confessio poenitentis; 3° *et sacrum*, quia est caeremonia sacra ad Dei cultum ordinata, et quia hominem rite dispositum consecrat atque sanctificat ; 4° *a Christo institutum*, quia solus Christus potentia suae divinitatis poterat rebus sensibilibus gratiam adnectere [2] ; 5° *permanenter* Sacramenta enim permanere debent quousque permanet Religio , quia praecipue per Sacramenta populus Dei in unam Religionem coalescit; 6° *ad gratiam significandam et virtute sua in homine producendam*, quia Sacramenta N. L. non sunt solum signa *speculativa* quae gratiam significant , ut volunt Novatores , sed sunt etiam signa *practica* , quae nempe gratiam quam significant in homine producunt , et quidem ex opere operato, seu ex vi et natura sua, secus ac Sacramenta V. L. [3]

Ex qua definitione patet tria ad Sacramenti essentiam requiri : 1° signum sensibile ; 2° divina institutio ; 3° gratiae significatio et collatio.

163. — *Q.* Quot sunt Sacramenta N. L. ?

R. Sacramenta N. L. septem sunt, nec plura nec pauciora [4].

tech. Rom. p. II, c. I, n. V: *invisibilis gratiae visibile signum* ; et n. X *Res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.*

[1] Hoc autem signum nec est penitus *naturale*, cum a Christo fuerit institutum, et nulla res sensibilis gratiam significare possit ; nec est penitus *arbitrarium*, quia quamdam analogiam habet cum re significata.

[2] Disputant Th. an Christus Sacramenta instituerit potestate *Auctoritatis* , quae ipsi competit ut Deus, vel potestate *Excellentiae*, quae ipsi competit ut homo, propter hypostaticam unionem naturae humanae cum persona divina, ex qua unione actiones meritorias , et satisfactorias infiniti valoris elicere potuit. Habert tenet Sacramenta tantum a Deo principaliter esse instituta, non autem a Christo ut homine, nisi tamquam a causa morali et instrumentali, cum solus Deus potuerit Sacramentis vim sanctificandi tribuere. Sed S. Th., S. Alph. et alii tenent quod Christus etiam qua homo instituit Sacramenta potestate excellentiae ipsi collata ratione unionis cum Verbo. S. Alph., L. VI, 2.

[3] Etiam in V. L. adfuisse vera Sacramenta aperte innuit Conc. Trid., dum Sacramenta N. L. a Sacramentis V. L. differre tradit. Sic *circumcisio* in statu legis naturae ; *agnus paschalis, variae purgationes et consecrationes sacerdotum* in lege Mosaica. Haec vero Sacramenta, ut communiter dicunt Th., gratiam conferebant tantum ex opere operantis, nempe intuitu fidei vel pietatis ministri aut suscipientis. Ad delendum autem peccatum originale, probabilius, sufficiebat fides in Christum venturum aliquo signo exteriori manifestata, maxime per circumcisionem. Igitur differentia specifica inter Sacramenta V. L. et N. L, in eo sita est, quod Sacramenta V. L. gratiam, nonnisi ut conferendam per Christum venturum , significabant, suaque virtute sanctitatem mere externam et legalem, sanctificationis internae praefiguravam conferebant ; dum Sacramenta N. L. sanctitatem internam simul significant, et sua virtute producunt.

[4] Lutherani, Calvinistae eorumque asseclae nec catholicis, nec sibi invicem consentiunt circa Sacramentorum numerum ; alii siquidem duo, alii tria admittunt, et cetera rejiciunt ; communius vero non alia agnoscunt praeter Baptismum, et Coenam , quibus quandoque manuum impositionem adjungunt.

Veritas de fide est : *Si quis dixerit Sacramenta N. L..... esse plura vel pauciora quam septem, videlicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum ; anathema sit* [1].

Haec fidei veritas, praeter argumenta quibus, suo loco, singulorum Sacramentorum existentia comprobatur, probari potest ex invictissimo argumento praescriptionis.—Revera, juxta illud Tertulliani : *Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Atqui omnes Ecclesiae semper consenserunt septem esse Sacramenta ; ergo dicendum est hanc esse doctrinam Apostolorum.

Minor facile probatur. Equidem ipsi Novatores fatentur Ecclesiam Latinam semper admisisse septem esse Sacramenta, nec plura nec pauciora. Quoad vero Ecclesiam Graecam fidem faciunt Petrus Arcadius, Leo Allatius [2], et alii documenta afferentes. Imo Renaudotius ex eorum Ritualibus probavit hanc esse etiam doctrinam Melchitarum, Nestorianorum, Armenorum, Coptorum, et aliarum Ecclesiarum quae vel a remotissimis temporibus ab Ecclesia Romana seu Catholica separatae sunt. Nemo igitur consensum in hac re omnium Ecclesiarum negare potest [3].

Nota : Quando dicitur esse tantum septem Sacramenta, Sacramentum sumitur adaequate, ita ut sensus sit septem tantum esse Sacramenta diversa, id est, quae ad diversos fines referuntur ; et ideo licet plura signa in quibusdam Sacramentis inveniantur, v. g. in Ordine et in Eucharistia, non tamen Sacramenta sunt plura quam septem : omnes enim Ordines ad unum eundemque finem referuntur, nempe ad confectionem et administrationem Eucharistiae, unde a se invicem gradu tantum discrepant et unum Sacramentum constituunt. Idem dicendum est de duabus speciebus SS. Eucharistiae.

164. — *Q.* Cur Christus septem Sacramenta instituit ?

R. Cur Christus septem Sacramenta instituerit, nec plura nec pauciora, ratio praecipua est quia ita voluit. — Attamen S. Th. [4] rationem congruentiae affert ex analogia vitae spiritualis cum vita corporali. Ad vitam corporalem privatam et publicam septem sunt necessaria : 1° ut homo nascatur ;

[1] Trid. Sess. VII, c. I.

[2] Lib. De perpet. occid. et orient. eccles. consensione.

[3] *Ob.* In S. Scriptura et in Ss. Patribus septenarius Sacramentorum numerus nunquam invenitur. Imo inter Ss. Patres alii duo vel tria tantum Sacramenta commemorant ; et alii plura quam septem recensent. Ergo.

R. In S. Scriptura et in Ss. Patribus septenarius Sacramentorum numerus verbis expressis non invenitur, *transeat ;* sed tamen de singulis, data occasione, mentio habetur. Ergo...—Quod si inter Ss. Patres alii duo vel tria tantum Sacramenta commemorant, hoc ipsi fecerunt quia sic exigebat vel temporum circumstantia, vel ratio operis, sed nunquam asseruerunt duo tantum vel tria esse Sacramenta.—Et si alii etiam martyrium, virginitatem, pedum lotionem, etc., aliquando Sacramenta appellarunt, hanc Sacramenti vocem ex quadam analogia et lato sensu tunc usurparunt, quatenus illae actiones gratiam vel conferunt, vel augent redduntque hominem magis Deo gratum, sed ex opere operantis.

[4] P. 3, q. 62, a, 1.

2° ut crescat et roboretur; 3° ut nutriatur; 4° ut sanetur si infirmatur; 5° ut reliquiae infirmitatis removeantur et in periculis contra hostes muniatur; 6° ut in societate civili regatur; 7° ut species humana per generationem conservetur. — Ita ad vitam spiritualem necesse est: 1° ut homo ad ipsam per Baptismum generetur; 2° ut per Confirmationem crescat et roboretur; 3° ut per Eucharistiam nutriatur; 4° ut per Poenitentiam, si peccator, sanetur; 5° ut per Extremam Unctionem, in periculo mortis tollantur reliquiae peccatorum et contra hostes spirituales muniatur; 6° ut per Ordinem in societate religiosa regatur; 7° ut per Matrimonium christiana societas conservetur et propagetur.

165. — *Q.* Sacramenta N. L. sunt ne inter se paria?

R. Sacramenta N. L. non sunt inter se paria, et hoc de fide est: *Si quis dixerit haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius anath. sit* [1].

Sic ratione *excellentiae* Sacramentum Eucharistiae est omnium excellentissimum, quia non gratiam solum continet, sed ipsum gratiae Auctorem. Ratione *necessitatis* Baptismus est potissimum Sacramentorum. Ratione *perfectionis et ministri* Ordo.

Extrema Unctio se habet ad Poenitentiam, uti Confirmatio ad Baptismum, ita ut Poenitentia sit majoris necessitatis et usus, sed Extrema Unctio majoris perfectionis [2].

166. — *Q.* Sacramenta N. L. sunt ne omnia a Ch. D. instituta?

R. Praemitto: duobus modis Christus potuisset Sacramenta instituere, vel *immediate* per se, determinando ritus qui gratiam sanctificantem conferrent; vel *mediate* per Apostolos, ipsis vel Ecclesiae potestatem faciendo determinandi quosdam ritus, quibus Deus gratiam sanctificantem adnecteret. Hoc praemisso:

1. De fide est quod Sacramenta N. L. *saltem mediate*, sunt omnia a Christo Domino instituta. Constat ex Trid.: *Si quis dixerit Sacramenta N. L. non fuisse omnia a I. Ch. D. N. instituta..., anath. sit* [3].

2. Certissimum est Baptismum et Eucharistiam *immediate* a Ch. D. fuisse instituta, ut constat ex S. Scriptura (Matth. XXVIII, 19; Luc. XXII, 19).

3. Quoad alia Sacramenta, licet nonnulli Th. negent, omnino tamen tenendum est etiam *immediate* fuisse a Ch. D. instituta, idque ex doctrina Trid. deducitur; nam ex Trid. [4] Ecclesia nullam habet potestatem circa substantiam, seu circa materiam et formam Sacramentorum, sed tantum circa eorum administrationem. Unde qui aliter sentiret, temeritati s notam non effugeret, quum post doctrinam Trid. nullus inveniatur Theologus qui contrarium doceat.

167. — *Q.* Institutio Sacramentorum fuit ne necessaria?

R. Necessitas alia est absoluta, alia congruentiae. Hoc posito:

Si agatur de necessitate *absoluta*, certum est ex parte Dei nullam fuisse necessitatem instituendi Sacramenta, cum certum sit Deum potuisse absque ullis signis sensibilibus gratiam conferre.

[1] Trid. Sess. VII, c. III.
[2] S. Th. p. 3, q: 65, a. 3,
[3] Sess. XII, c. I.
[4] Sess. XX. c. II.

Si vero agatur de necessitate *congruentiae*, tunc dicimus quod maxime congruum fuit tum divinae providentiae, tum naturae hominis, ut Sacramenta instituerentur. « Dicendum quod, ait S. Th.[1], Sacramenta necessaria sunt ad humanam salutem triplici ratione ; quarum *prima* sumenda est *ex conditione humanae naturae,* cujus proprium est ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. *Secunda* sumenda est *ex statu hominis*, qui peccando se subdit corporalibus, ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. *Tertia* autem sumenda est *ex studio actionis humanae,* quae praecipue circa corporalia versatur ; ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia ».

Sic igitur per Sacramentorum institutionem, homo convenienter eruditur per sensibilia; humiliatur se corporalibus subjectum cognoscens, et praeservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum [2].

168. — *Q.* Sacramenta quomodo distinguuntur ?

R. Sacramenta distinguuntur :

1. Ex parte *necessitatis* ; et alia sunt necessaria necessitate *medii* in re vel in voto, uti Baptismus pro omnibus, et Poenitentia pro iis qui post Baptismum in mortale lapsi sunt ; alia sunt necessaria necessitate *praecepti,* ut, probabilius, sunt cetera, exceptis Ordine et Matrimonio, quae non sunt necessaria singulis, sed tantum communitati.

Sacramenta vero esse ad salutem necessaria de fide est : *Si quis dixerit Sacramenta N. L. non esse ad salutem necessaria, sed superflua ; et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint ; anath. sit* [3].

[1] P. 3, q. 61, a. 1.

[2] Cateh. Rom., P. II, c. I, n. XIII, praedictam S. Th. argumentationem complet et perficit haec addendo :

Quarta etiam causa accedit, cur Sacramentorum institutio necessaria videri possit, ut scilicet notae quaedam, et Symbola essent, quibus Fideles internoscerentur; cum praesertim nullus hominum coetus queat, ut etiam a D. Augustino traditum est, sive verae, sive falsae religionis nomine, quasi in unum corpus coagmentari, nisi aliquo visibilium signorum foedere conjungantur. Utrumque igitur praestant novae legis Sacramenta, quae et Christianae fidei cultores ab infidelibus distinguunt, et ipsos Fideles sancto quodam vinculo inter se connectunt.

Quinta. Praeterea, aliam etiam justissimam fuisse causam Sacramenta instituendi, ex illis Apostoli verbis : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, ostendi potest. Sacramentis enim fidem nostram in hominum conspectu profiteri et notam facere videmur. Quare ad Baptismum accedentes, palam testamur, nos credere ejus aquae virtute, qua in Sacramento abluimur, spiritualem animae purgationem fieri. Magnam deinde vim habent Sacramenta non solum ad fidem in animis nostris excitandam et exercendam sed etiam ad eam caritatem inflammandam qua amare inter nos debemus : cum arctissimo nos vinculo colligatos, et unius corporis membra effectos esse, ex sacrorum mysteriorum communione recordamur.

Sexta. Postremo, quod in Christianae pietatis studio plurimi faciendum est, humanae mentis superbiam edomant ac comprimunt, nosque ad humilitatem exercent, dum sensibilium elementis subjicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus. a quo antea impie defeceramus, ut mundi elementis serviremus.

[3] Trid. Sess. VII, c. IV.

2. Ex parte *effectus* ; et alia dicuntur *mortuorum* seu pro mortuis spiritualiter instituta, et sunt Baptismus et Poenitentia ; alia *vivorum*, et sunt cetera quinque. Alia dicuntur *initerabilia*, alia *iterabilia*, prout imprimunt characterem vel non. Insuper Sacramenta dicuntur *formata* quando gratiam conferunt actu dum suscipiuntur ; *informia*, quando Sacramenta quidem valida sunt sed, quia obex positus fuit, gratiam actu non conferunt [1].

CAPUT II.

De effectibus Sacramentorum.

169. — *Q*. Quinam effectus Sacramentorum ?

R. Effectus Sacramentorum duo communiter enumerantur ; primarius unus, et omnibus communis, nempe gratia ; secundarius alter, et nonnullis proprius, scilicet character.

Art. I.

De primo Sacramentorum effectu, seu de gratia.

170. — *Q*. Quotnam modi gratiam producendi ?

R. Duplex est modus gratiam producendi, unus ex opere operato, alter ex opere operantis. Gratia *ex opere operato* producitur quando Deus gratiam confert vi et efficacia operis, seu ritus exterioris a Christo instituti, et homini debito modo applicati ; ita ut dispositiones quae in adultis requiruntur ad gratiam consequendam non sint causae efficaces, vel instrumentales gratiae, sed solum conditiones necessariae ne ponatur obex infusioni gratiae. — Gratia vero *ex opere operantis* producitur quando Deus illam confert intuitu fidei vel pietatis ministri aut suscipientis.

171. — *Q*. Est ne de fide quod Sacramenta conferunt gratiam ?

R. Praemitto : Triplex est error Novatorum quoad effectus Sacramentorum : 1° Sociniani asseruerunt Sacramenta esse tantum *nuda signa*, seu *tesserae* quibus fideles ab infidelibus distinguuntur ; 2° Anabaptistae asseruerunt quod sunt tantum *signa externa* gratiae a Deo acceptae ; 3° Lutherani vero quod sunt tantum *signa* seu *sigilla* divinarum promissionum, et *medium* ad excitandam fidem, quae sola sufficit ad gratiam consequendam. Hoc praemisso :

De fide est : 1° quod Sacramenta vere continent gratiam quam significant ; 2° quod gratiam ipsam, non ponentibus obicem, conferunt non solum aliquando et aliquibus, sed semper et omnibus rite suscipientibus ; 3° quod gratiam conferunt ex opere operato [2].

[1] Hinc apparet Sacramenta recipi posse valide sed illicite. *Valide*, cum nihil deest eorum quae pertinent ad essentiam Sacramenti : *illicite*, cum ex culpa aliqua desit ex necessariis dispositionibus in suscipiente.

[2] En canones Trid. : *Si quis dixerit ea ipsa N. L. Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi ; anath. sit.* Sess. VII, c. II. *Si quis dixerit haec Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse ; anath. sit.* Ib., c. V. *Si quis dixerit Sacramenta N. L. non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus ; anath. sit.* Ib. c. VI. *Si quis dixerit non dari gratiam*

Sacramenta autem N. L. conferre gratiam, et quidem ex opere operato, probatur :

1. *Ex S. Scriptura.* Etenim Christus, de Baptismo loquens, ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei* [1]. Et D. Paulus : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* [2]. Et Ananias ad Saulum : *Quid moraris ? exurge et baptizare, et ablue peccata tua* [3]. Si igitur Baptismus regenerat, introitum praebet in regnum Dei, salvos facit, et abluit peccata, profecto non ad excitandam solam fidem institutus est, sed ad propriam virtutem exercendam. Idem dic de aliis Sacramentis : de Confirmatione, v. g., legitur : *Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum S.*. Et de Eucharistia : *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Item de Poenitentia : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

2. *Ex Ss. Patribus.* Tertullianus de Bapt. haec habet : « Supervenit Spiritus S. de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et *ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt* ». S. Basilius, Hom. XIII, 5, affirmat *Baptismate renovari animam.* S. August. in Ps. 73: « *Sacramenta V. L. promittebant Salvatorem ; Sacramenta N. L. dant salutem* ». Et contra *Cresconium*, (Lib. 4, c. 19), dicit : « Non eorum meritis a quibus ministratur constat Baptismus, sed *propria sanctitate atque veritate*, propter eum a quo institutus est ».

3. *Ratione Theologica.* Sacramenta non aliter gratiam conferre possunt, nisi vel ex merito subjecti, vel ex vi et efficacia propria. Atqui vel ipsi Novatores concedunt gratiam non conferri *ex fide* aut *pietate ministri*, nam fatentur valere Baptismum collatum ab haeretico et improbo; nec conferri *ex merito subjecti*, nam fatentur Baptismum justificare infantes, qui actualis fidei et meriti incapaces sunt. Ergo consequens est gratiam conferri *ex vi et efficacia propria* Sacramentorum, seu ex opere operato, proindeque Sacramentorum forma, seu verba, non sunt tantum *promissoria*, vel *concionatoria*, ut dicunt Novatores, sed vere *consecratoria*, et *effectiva* quae nempe efficiunt quod significant [4].

Scholion. — Quum Sacramen-

per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus : anath. sit. Ib., c. VII.

Si quis dixerit per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere ; anath. sit. Ib., c. VIII.

[1] Jo. III, 5.

[2] Ad Tit. III, 5.

[3] Act. Ap. XXII.

[4] *Ob.* 1° S. Scriptura et Ss. Patres affirmant solum Deum esse Auctorem gratiae, et fideles per fidem vel pietatem gratiam adipisci. Ergo.

R. Sacra Scriptura et Ss. Patres affirmant quidem Deum solum esse Auctorem gratiae nempe ipsum solum esse causam *efficientem* gratiae, sed nunquam negant Deum gratiam conferre per Sacramenta, tamquam per causas *instrumentales* ; adultos vero gratiam adipisci quidem per fidem et pietatem, sed uti *conditiones* necessarias, ne infusioni gratiae obex ponatur, non vero uti conditiones *instrumentales* gratiae. Ergo.

Ob. 2° Piae animi dispositiones sunt actus boni et supernaturales : atqui quilibet actus bonus et supernaturalis gratiam meretur saltem de congruo ; ergo in Sacramentis gratia confertur non ex opere operato, sed ex merito suscipientis.

R. Actus supernaturalis gratiam me-

ta N. L. conferant gratiam et hoc possit esse per modum causae physicae vel moralis, et utraque haec causa possit esse principalis vel instrumentalis, agitatur inter Th. quaestio utrum Sacramenta gratiam producant *physice*, nempe reali influxu, an *moraliter*, movendo scilicet Deum ad gratiam physice conferendam [1].

Jam vero certum est: 1° Quod Sacramenta N. L. non sunt *causa principalis* gratiae, nec physica nec moralis; nam causa principalis physica gratiae solus Deus esse potest, et humanitas Christi causa principalis saltem moralis. — 2° Certum est quod Sacramenta sunt causa *instrumentalis saltem moralis* gratiae; quia sunt moraliter actiones Christi Redemptoris, qui in eis jugiter operatur, et veluti exhibet Patri pretium nostrae salutis, et merita suae passionis; indeque Deum movent ad gratiam elargiendam.

An vero Sacramenta uti causa instrumentalis per veram actionem physicam ad sanctificandos homines concurrant, negant Scotistae, affirmant Thomistae [2]. Quaestio speculativa est: unusquisque in sensu suo abundet.

172. — *Q.* Sacramenta quam gratiam conferunt?

R. Praemitto: gratia alia est actualis, alia habitualis seu sanctificans. *Actualis* definiri potest *Donum Dei internum ac supernaturale creaturae rationali per Christi merita concessum ad actus salutares eliciendos aut etiam meritorios vitae aeternae. — Habitualis* vero definiri solet: *Donum Dei supernaturale permanenter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus efficitur, justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae, ejusdemque haeres.*

Gratia autem habitualis dicitur *prima* si nullam aliam supponit, ut dum primum peccator justificatur; dicitur *secunda*, si gratiam praeexistentem supponit, eamque auget qua nempe justus justior fit; unde non sunt diversae gratiae. Hoc praemisso:

I. Sacramenta conferunt gratiam *habitualem* seu sanctificantem; parvuli enim suscipientes Baptismum vel alia Sacramenta gratiae actualis incapaces sunt. — Et haec gratia quae datur ex virtute Sacramenti est aequalis in omnibus, quia in Sacramentis datur gratia ex meritis Passionis Christi, et ejus gradus est determinatus, unde aequaliter dispositis aequalis gratia confertur. Dixi *aequaliter dispositis*, nam certum est adultos

retur sed non sacramentalem *concedo*, sacramentalem, *nego*; ergo.

[1] Causa *physica principalis* ea est quae virtute propria per realem influxum producit effectum: *instrumentalis* autem, quae virtute a causa principali transeunter sibi communicata effectum attingit: sic, pictor causa physica principalis est imaginis quam in tabellam effingit; penicillus, ejusdem imaginis depictae causa physica instrumentalis.

Causa *principalis moralis* ea est quae merito et dignitate sua causam physicam movet ad effectum producendum, ita ut juxta hominum existimationem ipsi potissimum attribuatur quod causa efficiens effectum sortiatur; *instrumentalis*, vero, quae id praestat ex efficacitate causae morali principalis sibi communicata: sic filius regis de patre bene meritus, efflagitando veniam rei apud patrem, est causa moralis principalis cur venia concedatur: epistola autem a filio regis conscripta, qua venia impetratur pro reo, est causa moralis instrumentalis ejusdem veniae.

[2] S. Th., P. 3, q. 62, a. 4.

ex majori dispositione, tanquam ex conditione seu capacitate, majorem gratiam accipere. — An vero Sacramenta specie diversa inaequalem gratiam conferant, incertum est, nam hoc pendet a libera voluntate Dei, de qua nihil in Scripturis, in Conciliis aut in scriptis Ss. Patrum reperitur.

2. Sacramenta *mortuorum* per se conferunt gratiam *primam*. — Per accidens tamen duobus in casibus conferunt etiam gratiam *secundam*, nempe quando sola venialia clavibus subjiciuntur, quod frequenter accidit; vel quando quis reus peccati mortalis ad Sacramentum Poenitentiae accedit cum contritione perfecta, tunc enim quum jam justificatus sit, Sacramentum secundam tantum gratiam confert [1].

3. Sacramenta *vivorum* per se conferunt gratiam secundam. — Per accidens vero conferunt etiam gratiam primam, quando nempe quis vere attritus ea suscipit bona fide putans se carere mortali; de fide enim est quod Sacramenta N. L. conferunt gratiam non ponentibus obicem, sed iste, quum affectum ad peccatum non habeat, obicem non ponit, ergo gratiam recipit Sacramenti. Et in hoc casu iste, quoad effectus Sacramenti, *ex attrito fit contritus*, ut dicunt Scholastici. Hoc de Extrema Unctione certum est, de ceteris pie creditur [2].

4. Sacramenta, praeter gratiam habitualem primam vel secundam conferunt etiam gratiam a Th. dictam *Sacramentalem* cujusque Sacramenti propriam. Revera: si singula Sacramenta nihil peculiare producerent praeter gratiam sanctificantem, jam inter se non differrent nisi ritu externo, quin ratio adesset cur plura instituta fuerint, sed unum sufficeret aut ad summum duo, unum pro peccatoribus et alterum pro justis, cetera vero essent superflua: at haec dici nequeunt, cum a Trid. definitum sit omnia esse necessaria, nullum superfluum; ergo.

173. — *Q.* Quid est gratia Sacramentalis?

R. Hac de re non satis conveniunt Th.; sed juxta sententiam quae verior videtur, est *specialis modus gratiae habitualis et vis propria ad obtinendum finem ob quem quodlibet Sacramentum institutum fuit* [3]. Hinc patet gratiam sacramentalem non esse specie diversam a gratia sanctificante, sed aliquid intrinsecum ei superadditum.

Sic *Baptismus* peculiarem dat gratiam ad refrenandam concupiscentiam, ad contemnendas saeculi vanitates, et ad servandas promissiones factas. — *Confirma-*

[1] Idipsum et cum Sacramento Baptismi contingere potest, ad quod accedere adultus potest per caritatis actum jam justificationem adeptus. Et hunc quidem justificationis modum haud raro contingere in pueris inter infideles rationabiliter teneri potest, iuxta doctrinam S. T., 1ª 2ae q. 89, a. 6; *Ballerini ad Gury*, II, 192 (*b*).

[2] *D' Annibale*, III, 242.

[3] Nonnullis Th. gratia sacramentalis est quaedam gratia actualis quae datur cum opus fuerit, ut quisque faciliusimplere possit obligationes quas cum Sacramento suscepit. Aliis est jus adeam, quoties opus fuerit, obtinendam. Aliis demum est gratiae habitualis modus distinctus et vis propria, quae, v. g., in baptismo illuminat, in confirmatione roborat, etc. Primum displicet, quia Sacramenta N. L. conferunt gratiam *ex opere operato*, atque ideo incontinenti: item alterum quia aliud est gratia, aliud ius ad gratiam, quare tertium videtur verum. *D'Annibale*, III, 243.

—

tio dat gratiam ad fidem, data occasione, intrepide profitendam. — *Eucharistia* gratiam largitur ad animam spiritualiter nutriendam, et specialiter Deo per actus charitatis uniendam. — *Poenitentia* gratiam concedit ad peccata commissa detestanda, et congrua satisfactione expianda. — *Extrema Unctio* gratiam impertitur ad tollendas reliquias peccatorum, ad morbum patienter ferendum, et ad facilius tentationibus diaboli resistendum. — *Ordo* gratiam praestat ad digne sacras functiones exercendas, et Sacramenta ministranda. — *Matrimonium* denique dat gratiam ad fidem conjugalem custodiendam, concordiam fovendam, et filios christiane educandos.

174. — *Q.* Quid et quotuplex obex in Sacramentis?

R. Obex est *impedimentum a suscipiente positum ob quod Sacramenta gratiam non conferunt dum suscipiuntur.* Dicitur etiam *fictio* quia efficit ut Sacramenta non efficiant id quod significant [1].

Haec autem fictio alia est *intentionis*, qua quis Sacramenta recipere fingit, sed non habet veram intentionem ea recipiendi; et alia est *dispositionis* quia quis accedit ad Sacramenta cum vera quidem intentione ea recipiendi, sed sine debitis dispositionibus: unde illa *Sacramenti*, ista *gratiae* obex melius diceretur. Insuper fictio alia est *positiva* seu *formalis*, et est quando quis mala fide ad Sacramenta accedit, sciens se esse indispositum; et alia est *negativa* seu *materialis*, et est quando quis ad Sacramenta bona fide accedit, putans se dispositum esse.

[1] *D' Annibale*, III, 242 (t).

175. — *Q.* 1° In quonam consistit reviviscentia Sacramenti; 2° quaenam Sacramenta, remoto obice, reviviscunt?

R. Ad 1um: Reviviscentia Sacramenti in hoc consistit, quod gratia, quae collata non fuit actu quo Sacramentum confectum fuit ob obicem positum, hoc remoto, vi ejusdem Sacramenti jam collati, conferatur.

Ad 2um: Sacramenta cum fictione *intentionis* recepta non reviviscunt, quia invalida.

Sacramenta recepta cum fictione *dispositionis* an reviviscant, distinguendum: Omnes fere Th. reviviscere affirmant tria Sacramenta quae characterem imprimunt: — Baptismus quidem, quia si non revivisceret nullum medium praesto esset ei qui ficte illum suscepit ad peccati originalis remissionem obtinendam: non *baptismus* qui iterari nequit; non *poenitentia*, quae non dimittit nisi peccata post baptismum commissa; non *contritio perfecta cum voto baptismi*, quod esset de re impossibili. Ergo baptismus reviviscere debet. — Confirmatio et Ordo vero, quia cum nec ista iterari possint et per characterem constituant hominem in statu a quo recedere nequit, tenendum est Deum in perpetuum privare non velle gratia sacramentali qua indiget eum qui obicem gratiae oppositum removit.

Idem, ob eamdem rationem, probabilius affirmant de Sacramentis Extremae Unctionis et Matrimonii, quia durante eadem infirmitate, vel eodem conjugio, iterari nequeunt.

Quoad Sacramentum Poenitentiae, Th, communiter ipsum reviviscere negant, quia deficientibus dispositionibus poenitentis nempe

attritio, deest materia Sacramenti ideoque Sacramentum invalidum est. Plures tamen probabiliter affirmant in casu quo datur Sacramentum validum sed informe, ut inferius dicetur.

Item communiter negant reviviscere Sacramentum Eucharistiae nisi obex removeatur antequam sacrae Species consumentur, quia cum ex sua institutione frequenter possit iterari, idcirco non fuit opus hanc tribuere efficaciam tali Sacramento, ut subveniretur fragilitati hominum [1].

176. — *Q.* Quid requiritur ut Sacramenta reviviscant?

R. Ad reviviscentiam Sacramentorum pro regula generali requiritur ut obex removeatur, et suppleatur illa dispositio, quae deerat in receptione, et cujus defectu positus fuit obex gratiae.

Quare si obex gratiae fuit *materialis*, nempe fuit inculpabiliter positus, v. g. si quis falso putet se esse contritum, vel rite absolutum, sufficit attritio, quae est dispositio sufficiens ad suscipienda Sacramenta mortuorum, et per accidens etiam Sacramenta vivorum; unde in hoc casu, ut dictum est, suscipiens, quoad effectus Sacramenti, *ex attritio fit contritus*. Hoc certum est de Baptismo et de Extrema Unctione, probabile de ceteris Sacramentis vivorum [2].

Quod autem attritio sufficiat, patet ex eo quod Sacramenta vivorum possunt per accidens primam gratiam conferre, quod fieri non posset, si attritio non sufficeret, peccator enim qui *contritus* esset, jam justificatus ad Sacramenta accederet.

Si vero obex gratiae fuit *formalis* seu culpabiliter positus, tunc si agatur de Baptismo, probabilius sufficit attritio (modo interim [3] aliquid grave non fuerit commissum, esset enim novus obex removendus contritione vel attritione cum confessione): si vero agitur de aliis Sacramentis requiritur vel contritio perfecta, vel attritio cum confessione; - ratio, quia obex formalis est grave sacrilegium, quod remitti nequit nisi per contritionem perfectam, aut per Sacramentum Poenitentiae.

—

[1] S. Alph., L. VI, 87.

[2] S, Alph., L. VI, 6: *D' Annibale*, III, 242, 246.

[3] *Interim;* sed peccatum in ipso Baptismo commissum, est ne materia confessionis? Alii absolute affirmant: alii distinguunt inter peccatum fictionis, seu voluntatis recipiendi Baptismum absque dispositione debita, et inter alia peccata v. g. odii, luxuriae; illud enim dicunt deberi in confessione explicari, ista, e contra, etiamsi fiant ipso ultimo instanti quo terminatur Baptismus, non esse materiam confessionis, sed remittenda postea virtute ejusdem Baptismi (si tamen fieri posset ut non progrederentur ulterius, nec continuarentur post characterem Baptismi) sicut alia peccata ante Baptismum commissa; quare dispositio sufficiens ad horum remissionem sufficiet etiam ad remissionem illorum. Alii denique omnia illa peccata in confessione explicanda esse contendunt, non tamen sub ratione odii, luxuriae etc., sed solum quatenus omnia continent malitiam fictionis. At in praxi certum est omnia illa peccata explicanda esse in confessione juxta proprias species; nemo enim scire potest aliquod peccatum durasse toto tempore antecedenti et ipso etiam instanti ultimo terminativo Baptismi, vel solo illo instanti, et nullo modo per aliquid temporis sequentis, cum neque sciat homo quando terminatum fuerit Sacramentum, neque etiam quando metaphysice desierit voluntas illa mala quae erat peccatum actuale. — *De Lugo*, D. XVI, S. I, de Poenit.

Art. II.

De Charactere.

177. — *Q.* Quid est character, et quaenam Sacramenta illum imprimunt ?

R. Character, graeca vox, idem sonat ac *nota* seu *signaculum* quo unus ab alio distinguitur, vel ad aliquod officium deputatur. In re autem sacramentaria character definitur : *Signum quoddam spirituale et indelebile animae impressum unde Sacramenta iterari non possunt.* [1]

Tria tantum Sacramenta imprimunt characterem : Baptismus, Confirmatio, et Ordo ; quod de fide est : *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt ; anath. sit* [2]

Haec autem fidei veritas probatur :

1. *Ex S. Scriptura.* Paulus enim loquens de *Baptismo* clare dicit ipsum nunquam iterari posse : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam* [3]. Eph. (I, 13) ait : *In quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto.* — De *Confirmatione* vero scribit : *Qui unxit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris* [4] ; cum ergo Apostolus *unctionem* seu gratiam *ab obsignatione* seu sigillo distinguat, clare baptismi et confirmationis characterem denotat.

2. *Ex traditione.* S. Cyrillus Hierosolymitanus Baptismum appellat *signaculum sanctum et indissolubile.* S. Augustinus vero conceptis verbis characteris nomen usurpat : docet enim haereticum non esse rebaptizandum, *quia*, ait, *extra gregem domini habet dominicum characterem.* Item, Lib. II, cap. 13 contra Parmenam, dicit Sacramentum *Ordinis* iterari non posse. Si ergo in Ecclesia Catholica haec tria Sacramenta nunquam reiterantur, quamvis ab haereticis vel schismaticis collata, aut a peccatoribus indigne suscepta, patet per ipsa characterem in anima imprimi.

De fide ergo est characterem in hac saltem vita deleri non posse [5]. An vero deleri possit in altera vita, communius negant, sed non est de fide [6].

CAPUT III.

De materia et forma Sacramentorum.

178. — *Q.* Quaenam requiruntur ad perficienda Sacramenta ?

R. Omnia et singula Sacramenta tribus perficiuntur : 1° rebus

[1] Circa naturam characteris fides hoc unum exigit, nempe ut credatur eum esse signum spirituale animae impressum et indelebile ; quae vero sit natura istius signi Ecclesia non definivit. — Cf. *Knoll*, de Charact. Sacr.

[2] Trid. Sess. VII, c. IX.

[3] Hebr. VI, 4, 6.

[4] II Cor. I. 21, 22.

[5] Intellige de potentia Dei ordinaria non absoluta, « character Sacramentalis de potentia Dei *ordinaria* est indelebilis, et ratio est quia alioquin a Trid. non posset dici absolute esse signum *indelebile*. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta tam in hac quam in altera vita ». Ita *Ferraris*, voc. *Sacramentum*. Scotus vero, 4, dist. 6, q. 9. n. 20, haec habet : « Nulla forma potest esse in anima quam non possit Deus de potentia absoluta delere, quia in hoc nulla inveniri potest contradictio ».

[6] *Knoll.* De Charact. sac.

tanquam materia ; 2° verbis tanquam forma ; 3° persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Si una desit ex hisce conditionibus nunquam perficitur Sacramentum [1].

Persona tamen ministri potius ad causam efficientem Sacramenti pertinet, quam ad ejus essentiam : hinc Trid. ait : *Sacramenti essentia materia et forma perficitur* [2].

Art. I.

De materiae et formae natura.

179. — *Q.* Quid et quotuplex materia Sacramentorum ?

R. Materia Sacramentorum est *res vel actio sensibilis, qua ex Christi institutione Ecclesia utitur in Sacramentis conficiendis,* uti aqua in Baptismo, impositio manuum in Ordine. Dicitur : 1° *res sensibilis*, ordinarie physica, uti aqua in Baptismo ; quandoque moralis uti consensus in matrimonio; 2° *qua ex Christi institutione*, etc., seu non res quaelibet, sed illa solum, quam Christus adhiberi voluit ad gratiam significandam et producendam.

Materia alia est *remota*, et est ipsa res sensibilis, uti aqua in Baptismo, alia *proxima*, et est ipsa applicatio materiae remotae, uti ablutio. At in actione haec distinctio fere cessat. — Insuper materia alia est *essentialis*, quae nempe ad valorem Sacramenti pertinet, et alia *accidentalis*, quae nonnisi ad majorem significationem et reverentiam adhibetur. — Demum alia est *certa* et alia *dubia* [3].

180. — *Q.* Quid et quotuplex forma Sacramentorum ?

R. Forma Sacramentorum sunt *verba prolata a ministro, quae determinant applicationem materiae remotae ad efficiendum Sacramentum* [4]. Hinc Aug. : *Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum.* In Sacramento tamen Matrimonii *signa* consensus locum verborum tenere possunt.

Forma alia est *essentialis*, et alia *accidentalis* ; alia *certa*, et alia *dubia* ; alia *absoluta,* et alia *conditionata* ; alia *indicativa*, et alia *deprecativa*, prout verbis indicativis vel deprecativis effertur [5].

[1] Subjectum idoneum et debita in eo intentio Sacramentum recipiendi requiruntur quidem ut Sacramentum valide conferatur, sed non requiruntur per se ad constituendum Sacramentum.

[2] Sess. XIV. cap. 2 *de Poenit.*

[3] Materia Sacramentorum si est capax benedictionis, prius benedicenda est ut Sacramentum valere possit, exceptis Baptismo et Eucharistia, quia ipsemet Christus omnem aquam in usum Baptismi, omnemque panem et vinum in Eucharistiae usum tunc consecravit cum in Jordane baptizatus fuit, et cum haec in ultima coena consecraturus benedixit : et est benedicenda a proprio ministro, et unaquaeque suo ritu. Nihilominus si materia est quidem benedicta a proprio ministro, sed alio ritu (id est alia benedictione), Sacramentum valere multis probabile est ; ut ecce si oleo catechumenorum confirmes infantem, vel ungas infirmum. Quod autem materia benedicenda sit, probatur exemplo tum Christi qui panem et vinum quod consecravit prius benedixit : tum Ecclesiae quae nunquam materia non benedicta usa est : tum ratione, etenim videtur inconveniens nos his rebus sanctificari, quae nondum profanae ipsae esse desierint. S. Th., p. 3, q. 72, a. 3 *D' Annibale*, III, 234.

[4] Significatio rerum per se subobscura est, sed per verba fit perspicua et aperta. Sic v. g. aqua servire potest ad abluendum, ad refrigerandum, ad irrigandum : porro verba in baptismo perspiscue et aperte significant aquam servire ad abluendum : unde scholastici res materiam, verba formam (quae dat esse rei) dixerunt. *D' Annibale*, III, 229 (7). Cf. S. Th., p. 3, q. 6, a. 2.

[5] Antiquitus Ss Patres materiam appellabant *rem*, vel *elementum ;* formam vero, *verbum, invocationem, benedictionem, sanctificationem ;* materiam au-

NOTA: Materia et forma ab uno eodemque ministro uniri et applicari debent erga idem subjectum quia secus verba formae falsa essent; sic, v. g., in baptismo si unus aquam effunderet, et alter verba proferret, neuter vere baptizaret.

181. — *Q.* Forma quomodo pronuntiari debet?

R. Quum Sacramenta signa sint et efficiant quod significant, verba formae consequenter pronuntiari debent modo consecratorio, praesenti tempore, sive indicativo, ut in Ordine, sive deprecativo, ut in Extrema Unctione; unde si pronuntiantur modo historico, vel promissorio, vel interrogatorio, vel concionatorio ad instruendum, ad excitandum, etc., forma irrita est[1].

Ceterum *in praxi* nulla difficultas occurrere potest; nam sufficit quod Sacerdos intendat facere quod Christus instituit, et quod vult Ecclesia, quia eo ipso vult Christi personam gerere, et verba formae uti debet proferre.

182. — *Q.* Materia et forma Sacramentorum fuerunt ne a Christo Domino determinatae?

R. Praemitto: Triplici modo materia et forma a C. D. determinari potuerunt: in genere, in specie, et in individuo. — *In genere*, statuendo quod aliquod signum sensibile significaret et produceret gratiam, relinquendo Ecclesiae potestatem determinandi hoc signum: puta si pro baptismo praescripsisset ut adhiberentur res et verba quae ablutionem a peccatis significarent, quin declarasset adhibendam esse potius aquam quam lac, etc.; nec determinasset illa verba: *Ego te baptizo* etc. — *In specie*, designando materiam et substantiam verborum, sic, v. g., designavit aquam in baptismo[2]. — *In individuo*, determinando peculiarem qualitatem materiae, puta in Baptismo aquam calidam aut frigidam, vinum album aut nigrum in sacrificio missae; vel determinando hoc aut illud idioma in prolatione formae. Hoc posito:

1. Certum est Christum, saltem in genere, determinasse materiam et formam omnium Sacramentorum quia secus Sacramenta non possent dici a Christo instituta, sed de fide est quod omnia Sacramenta fuerunt a Christo instituta; ergo....

2. Certum est Christum determinasse in specie materiam et formam sive Baptismi, sive Eucharistiae, ut ex Evangelio aperte constat. An et aliorum sacramentorum, disput. Th, sed S. Th.[3], cum sententia communi et probabiliori affirmat; ratio, quia quum sanctificatio hominis sit in potestate Dei, non pertinet ad hominem suo judicio assumere res quibus sanctificetur, sed hoc debet esse *divina institutione* determinatum. — Insuper Ecclesia, ex Trid[4], nihil potest circa substantiam Sacramentorum; at vero nihil ma-

tem et formam simul appellabant *partes Sacramentorum*, *sacra symbola*, *mystica dona*, *religionis institutiones*, etc., et effectum dicebant *rem*, sed postquam in scholis invecta est Philosophia Aristotelica, maxime opportuna visa sunt nomina materiae et formae.

[1] S. Th., p. 3. q 78, a. 1.

[2] Dixi substantiam verborum: forma enim Sacramentorum non fuit determinata *materialiter*, nempe quoad sonum et idioma, sed *formaliter*, nempe quoad sensum. Imo sensus ille non ita certis verbis a Christo alligatus fuit, ut non possit alia verborum specie exprimi.

[3] P. 3, q. 60, a. 5.

[4] Sess. XXI, cap, 2,

gis pertinet ad eorum substantiam quam materia et forma ; ergo Ecclesia eorum materiam et formam determinare nequit [1].

3. Certum denique est non determinasse in individuo , seu in specie infima.

Art. II.

De materiae et formae unione.

183. — *Q.* In Sacramentis conficiendis requiritur ne unio seu simultas inter materiam et formam, et quotuplex est haec unio ?

R. In conficiendis Sacramentis ad eorum valorem certe requiritur unio seu simultas inter materiam et formam ; - ratio, quia Sacramentum est quoddam compositum morale constans ex duabus partibus, materia nempe et forma, porro si hae duae partes non uniantur et simul coexistant, nunquam ex iis exurgere poterit Sacramentum.

Haec autem unio materiae et formae alia est *physica* , et est quando verba eodem instanti proferuntur quo materia adhibetur ; alia est *moralis* , et est quando verba, etsi eodem instanti non proferantur, tamen juxta communem hominum aestimationem cadere censentur in talem materiam, et cum ipsa unum morale compositum constituere : unde patet unionem moralem diversam esse pro diversa natura Sacramentorum.

184. — *Q.* Quaenam unio materiae et formae requiritur in singulis Sacramentis ?

R. — 1. In Sacramento *Eucharistiae* requiritur simultas *physica*, secus falsa esset forma ; nam pronomen *hoc* et *hic* non esset verum si materia non esset praesens.

2. In Sacramentis *Baptismi* , *Confirmationis, Extremae Unctionis, et Ordinis* conveniunt Th. quod non est necesse ut materia et forma simul incipiantur, sed sufficit quod materia applicetur antequam prolatio formae terminetur , vel vicissim. — An vero sufficiat formam incipere statim post applicationem materiae , vel vicissim, disput. Th.. Nonnulli negant, quia si materia et forma aliqua saltem ex parte simul non coexistant , tunc non fit id quod verba significant ; sic, v. g., in baptismo si post infusionem aquae proferatur forma, verba : *Ego te baptizo* actionem significant de praesenti : sed ablutio jam completa et praeterita est. Communius tamen affirmant, quia si verba formae immediate post applicationem materiae proferantur, juxta communem agendi et loquendi modum, materiae applicatio a verborum prolatione adhuc sufficienter determinatur ; Sacramenta enim sunt entia moralia , hominumque usui a C. D. accomodata ; unde unio tantum moralis exigenda est. Haec sententia affirmativa, spectata ratione, videtur moraliter certa, sed *in praxi* sententia negativa ut tutior est omnino tenenda , quum agatur de valore Sacramenti [2].

[1] Quoad diversitatem Ecclesiae Graecae et Latinae in Sacramento Ordinis, dum in Graeca sacerdotium et diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem, et in Latina, praeter impositionem , requiritur etiam traditio instrumentorum , respondetur quod traditio instrumentorum non habetur pro materia essentiali, sed accidentali, licet integrali. S. Alph., L. VI, 12 : Hom. Ap. T. XVII, 15.

[2] Casus. — Flaminia obstetrix interroganti Parocho, an infantem, quem vita periclitantem baptizavit, rite bapti-

Hinc peccaret mortaliter qui in hisce Sacramentis totaliter postponeret formam materiae, vel vicissim, quia plures et graves Th. sentiunt Sacramenta hoc modo collata esse invalida ; unde ajunt Sacramenta saltem Baptismi, Confirmationis et Ordinis esse sub conditione iteranda [1].

3. In Sacramento *Poenitentiae* major distantia admitti potest inter accusationem poenitentis et absolutionem sacerdotis, quia hoc Sacramentum institutum est ad modum judicii in quo non semper, peracto examine, statim profertur sententia. Non conveniunt tamen Th. quousque haec distantia protrahi possit. S. Alph. distantiam unius horae admittit, sed alii etiam unius vel alterius diei [2].

4 In Sacramento vero *Matrimonii*, sufficit ea unio quae ordinarie sufficit in contractibus, in quibus satis est ut consensus unius ponatur, dum adhuc consensus alterius moraliter perseverat.

—

Art. III.

De materiae et formae mutatione.

185. — *Q.* Quotuplex mutatio materiae vel formae ; et quaenam invalidat Sacramenta ?

R. Mutatio materiae vel formae alia est essentialis, alia accidentalis. Mutatio essentialis officit valori Sacramentorum, non vero mutatio accidentalis ; - ratio, quia prima, non vero altera, tollit ritum a Christo institutum. - Mutatio *essentialis materiae* adest quando materia ex natura sua, vel ex communi hominum sensu et aestimatione differt nomine et re ab ea quam Christus praescripsit [3]. Mutatio *essentialis formae* habetur quando mutatur sensus a Christo intentus.

186. — *Q.* Quotnam modis mutatio circa formam fieri potest ?

R. Sex praecipue modis forma mutari potest, nempe verborum subtractione, additione, variatione transpositione, corruptione, et interruptione. Hinc versus :

Nil formae demas, nil addas, nil variabis.

zasset, respondit ob festinationem in ejus caput prius aquam infudisse, tum immediate post formae verba protulisse.

Q. An Parochus validum habere debeat hunc baptismum, aut saltem sub conditione ipsum iterare.

R. Plurimum dissident Th. de hujus baptismi validitate. Sententiam affirmativam probabiliorem crederem, adeo ut si infans hoc baptismate renatus statim objisset, in sortem filiorum Dei vocatus debeat existimari. Nihilominus, cum hac de re non consentiant Th., tutius nobis videtur in simili casu baptismum sub conditione iterare, uti facit in aliis multis Ecclesia, quo in tuto salus infantis ponatur. Bened, XIV, Casus Consc. mens nov. 1777.

[1] Nota : Si Sacramentum pluribus partibus constat, ut Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, *notabili* inter eas *mora interjecta*, ita ut actio ministri non amplius *una* videri possit, omnino cessandum est in Eucharistia, ab initio repetendum in Extrema Unctione, in Ordine caute semper supplendum est quod fuerit incaute praetermissum. *Bucceroni* II, 323: S. Alph., L. VI, 724.

[2] *Ballerini ad Gury*, II, 197.

[3] Materia censetur differre ab ea quam Christus instituit: 1° si materia nondum ita perfecta est ut usui naturali suo deservire possit, ut panis crudus, vel omphacium : — 2° si materia ita est corrupta ut pristinam naturam perdidisse censeatur, ut panis mucidus, vel acetum; — 3° si admixtione alterius materiae ex communi hominum judicio substantialiter mutata censeatur. *D' Annibale*, III 323.

Transportare cave, corrumpere verba, morari [1].

187. — *Q.* Quandonam mutatio formae invalidat Sacramentum ?

R.—1. In multiplici mutatione vel corruptione verborum, quae fieri potest ex imperitia, vel balbutie, vel linguae praecipitantia, si, omnibus inspectis, ex natura sua, vel ex communi hominum judicio, sensus mutatur, etiam Sacramenti validitas aufertur, secus stat ejus valor.

2. Si in mutatione formae ambiguus reddatur sensus, tunc res pendet a proferentis intentione, ideoque inquirenda est mens ministri. Hinc si mutatio ex simplicitate vel ignorantia procedit, et fiat in fine dictionis, stat valor Sacramenti, quia in hoc casu sive ex mente ministri, sive ex communi hominum judicio retinetur sensus a Christo intentus. E contra si mutatio procedit ex malitia seu animo introducendi errorem, aufertur valor Sacramenti, quia tunc non adest amplius intentio faciendi quod facit Ecclesia [2].

3. Si ex interruptione verborum aufertur unitas moralis formae, etiam aufertur validitas Sacramenti, secus non. — Quaenam autem interruptio auferat unitatem moralem formae non potest stricte determinari, sed attendendum est ad communem hominum aestimationem in variis circumstantiis : sic, v. g. in Baptismo, si minister post verba *te baptizo*, silentium imponeret, vel diceret : *haec aqua nimis frigida est*, deinde reliqua verba proferret, interruptio haberetur ut accidentalis. Sic interjectio, sternutatio, momentanea tussis, valori formae non nocet, etiamsi inter syllabas ipsas habeatur. E contra tussis multum producta inter verba ipsa, nullam reddit formam [3].

In dubio vero utrum interruptio nimia fuerit, semper forma integra sub conditione repetenda est.

[1] *Nil formae demas*, sic formae in baptismo aliquid demeret qui diceret : *Ego baptizo*, omittendo *te ;* vel si omitteret unam ex personis SS. Trinitatis, quibus in casibus forma irrita esset, utpote omissio essentialis: non vero si omitteret tantum *Ego*, quia tacite inest in verbo *baptizo*. — *Nil addas* sic aliquid formae adderet qui in baptismo diceret : Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, et *Beatae Mariae Virginis ;* quo in casu si illud : *et B. M. V.* addatur ex mera devotione, forma valet ; secus si addatur ut etiam in nomine B. M. V. baptismus conferatur. — *Nil variabis.* Sic variaret qui in baptismo diceret : Ego te *abluo*, pro *baptizo* ; et in casu variationis videndum utrum verba variata sint omnino synonima, ita ut sensum non mutent, an e contra. — *Transportare cave.* Sic verba transportaret qui in baptismo diceret : *Te baptizo ego in nomine*, etc., si verborum transpositio sensum omnino pervertit irrita est forma ; secus si sensum non mutat. Quare invalide consecraret qui diceret : *Hoc corpus, est meum*, quia per haec verba non significatur transubstantiatio panis in corpus Christi. — *Corrumpere verba.* Sic verba in baptismo corrumperet qui diceret : Ego te baptizo in nomine *Matris* etc. Item corruptio verborum irritat formam si sensum omnino auferat, non vero si ex natura sua aut ex communi hominum judicio sensum servet. — *Morari*, nempe non interrumpere unitatem moralem formae.

[2] Baptismus collatus hac forma : *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta*, esset validus si corruptio ex ignorantia fiat, quia in subjecta materia vox *Patria* etc. potius corruptum, quam *aliud* significat. Sic respondit S. Pont. Zacharias ad Bonifacium Episcopum Moguntinum super sacerdote qui praedicta forma baptizaverat.

[3] S. Alph., L. VI, 11, 6°.

188. — *Q.* Quomodo peccat qui mutationem in materia vel in forma inducit?

R.—1. Qui mutationem *substantialem* inducit advertenter, vel etiam ex culpabili ignorantia, semper peccat: 1° graviter contra religionem ob gravem irreverentiam in Sacramentum; 2° contra caritatem, et quidem graviter, si proximum gravi bono spirituali privat; 3° contra justitiam, si minister est parochus, quia ex officio ad valide Sacramenta administranda tenetur. Dixi: *si est parochus*, nam an simplex sacerdos peccet contra justitiam, disput.Th.

2. Qui vero mutationem tantum *accidentalem* inducit, peccat etiam graviter si hoc facit ex contemptu; vel cum gravi scandalo; vel in re quae, attento Ecclesiae praecepto aut consuetudine, gravem contineret inordinationem, uti esset, v. g., aquam in calice non miscere pro consecratione; non adhibere aquam baptismalem, seu sacro Chrismate fecundatam, in Baptismo solemni. Seclusis his casibus, peccat tantum venialiter.

189. — *Q.* Licet ne uti materia dubia?

R.—1. Nunquam licet uti materia dubia, quoties adest materia certa; unde qui secus ageret, graviter peccaret contra religionem, quia sine causa Sacramenta exponeret periculo nullitatis; et contra caritatem, quia periculo se exponeret proximum fructu spirituali defraudandi.

2. Deficiente materia certa, licet uti materia dubia quando adest extrema vel saltem gravis proximi necessitas. Et in hoc casu minister non solum potest, sed sub gravi tenetur (sub conditione tamen) Sacramentum ministrare; ratio, quia cum Sacramenta sint propter homines, melius est illa periculo nullitatis, quam animas periculo damnationis exponere.— Excipe tamen Eucharistiam, ad quam conficiendam nunquam licet uti materia dubia, nec ad mortem vitandam, ob periculum idololatriae materialis; et etiam, si una tantum materia sit dubia, propter integritatem sacrificii.—Item non licet uti materia dubia in Sacramento Ordinis propter gravissima incommoda quae Reip. Christianae obvenirent [1].

190. — *Q.* Quandonam et quomodo iteranda sunt Sacramenta collata cum materia vel forma dubia?

R.—1. Si aliquod Sacramentum collatum fuit cum materia vel forma dubia, et dubium de ejus validitate non est prudens, sed *prorsus inane* [2], ea iterare non licet, et iteratio per se esset gravis irreverentia, quia Sacramenta sancte tractanda sunt, nec inani de causa applicandae sunt eorum materia et forma cum probabili periculo nullitatis. Dixi: *per se*, nam per accidens excusantur scrupulosi ob perplexitatem.

2. Si vero dubium est *prudens*, et Sacramentum dubie collatum Baptismus est vel Sacerdotium, minister illud *sub conditione* repetere *debet*, licet *aliquale* tantum sit dubium, quia bonum Religionis vel suscipientis necessario exigit ut repetatur [3].

[1] *D'Annibale*, III, 251, 382.

[2] Dubium generatim grave esse debet. At pro Baptismo et Sacerdotio aliquale sufficit; pro Eucharistia et Poenitentia, si de formae repetitione tantum agatur, non prorsus inane. *D'Annibale*, III, 268.

[3] *D'Annibale*, III, 268.

Quoad alia Sacramenta, tunc illa iteranda sunt cum magna adsit proximi utilitas, quia si Sacramentum prius collatum nullum esset, suscipiens ejus fructu privaretur, quod certe est magnum incommodum, et prudens timor hujus gravis incommodi est certe causa sufficiens Sacramentum sub conditione iterandi.

An autem in Sacramentis conferendis uti liceat opinione probabili, distinguere oportet: Si agatur de iis quae ad Sacramenti valorem pertinent tenenda est sententia tutior; si vero agatur de iis quae non pertinent ad valorem Sacramenti tenenda est eadem regula qua utimur in ceteris legibus (Vide dicta Vol. I, n. 81).

CAPUT IV.

De ministro Sacramentorum.

191. — *Q.* Quisnam est minister Sacramentorum?

R. Praemitto: Minister Sacramentorum alius est *primarius*, qui nempe nomine proprio et propria virtute agit, et est solus Christus; alius *secundarius*, qui nempe nomine et virtute alterius agit, unde necesse est ut agat compos sui, et uti quasi mandatarius agat juxta intentionem mandantis. Quare in re nostra minister secundarius (qui proprie *minister* dicitur) est qui, nomine et in persona Christi operans, Sacramenta conficit vel administrat. Minister secundarius vero, de quo solum hic loquimur, alius est *ordinarius*, et est qui, ab Episcopo ordinatus, ex officio Sacramenta administrat (excipe Matrimonium, cujus minister, nempe contrahens, non est ordinatus); alius *extraordinarius*, et est qui, ob peculiare privilegium, vel specialem delegationem, vel urgentem necessitatem aliqua Sacramenta administrat. Hoc praemisso:

I. Soli homines viatores, ratione praediti, possunt esse ordinarii Sacramentorum ministri. Angeli vero, et animae Beatorum in assumto corpore, Deo dispensante, possunt esse ministri extraordinarii.

II. Non omnes christiani sunt ministri omnium Sacramentorum, ne quidem extraordinarii; et hoc de fide est contra Lutherum, qui omnibus christianis etiam pueris et mulieribus facultatem tribuebat omnia Sacramenta administrandi; Trid. enim definivit: *Si quis dixerit christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anath. sit* [1]. Et sane, ex S. Scriptura constat quod Christus non omnibus discipulis, sed solis Apostolis rite ordinatis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [2]. Ex ipsa ratione vero patet quod in qualibet bene constituta societate officia magis momentosa, non cuilibet deputantur, sed personis electis; ergo... [3].

III. In ministro necessaria est potestas sive ordinis, baptismate et matrimonio exceptis, sive jurisdictionis. Jurisdictio vero in Poe-

[1] Sess. VII, c. X.

[2] Luc. XXII, 19. Jo. XX, 23.

[3] *Ob.* Petrus, c. II, 9, omnibus christianis dixit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium;* ergo omnes christiani sunt sacerdotes.

R. Dist. cons. Sunt sacerdotes improprie et metaphorice, propter spirituales hostias quas Deo per Christum offerunt, *concedo*: vere et proprie *nego*. Omnes enim christiani dicuntur sacerdotes eodem sensu quo dicuntur reges; atqui metaphorice dicuntur reges, quia suos affectus dominare tenentur; ergo...

nitentia necessario requiritur ad validitatem Sacramenti, in aliis Sacramentis ad liceitatem tantum.

Qui autem tentaret conficere Sacramentum, quod conficiendi potestate caret, tria peccata committeret: 1° gravem irreverentiam in Sacramentum inferret; 2° proximum in re gravi deciperet; 3° facto suo falsam doctrinam profiteretur.

Agendum 1° de intentione et attentione ministri; 2° de fide et probitate ministri; 3° de officio ministri, seu de obligatione Sacramenta ministrandi.

ART. I.

De intentione et attentione ministri.

192. — *Q.* Quid est intentio et quotuplex?

R. Intentio definiri potest: *Actus voluntatis per quem homo deliberat aliquid facere vel omittere.*

Intentio multiplex esse potest, nempe:

Ratione modi, dicitur: 1° *Actualis*, et est quae actu habetur. — 2° *Virtualis*, et est intentio prius habita quae existit et moraliter perseverat in sua virtute, seu in aliqua actione exteriori voluntarie suscepta. — 3° *Habitualis*, et est intentio praeterita non quidem revocata, quae tamen in actione exteriori non perseverat. — 4° *Interpretativa*, quae nec fuit nec est, sed tantum praesumitur adesse, si objectum voluntati proponeretur.

Ratione finis, vocatur 1° *Mimica*, qua quis interius et exterius irridet id quod agit. — 2° *Externa*, tantum, quando minister vult quidem externe et serio facere illum ritum quem facit Ecclesia, interius tamen non habet intentionem faciendi illo ritu quod vult facere Ecclesia, imo habet intentionem contrariam [1]; et haec intentio dicitur externa, non quia interne non concipiatur, omnis enim intentio est actus voluntatis, sed quia ejus objectum est tantum positio actus externi et materialis. — 3° *Interna*, quando minister, dum perficit Sacramentum, id intendit efficere quod eo Sacramento efficiendum est. — Et haec intentio interna alia est *adaequata* seu *explicita*, qua minister expresse intendit Sacramentum, vel ejus effectum; alia est *inadaequata* seu *implicita*, qua nihil expresse per se intendit, sed tantum vult facere quod tali ritu intendit Ecclesia.

Ratione subiecti, alia est *determinata*, quando res volita certa et definita est; alia *indeterminata* e contra.

Ratione effectus demum, est *absoluta* vel *conditionata*, prout res volita est independenter a quocumque eventu, seu circumstantia, vel dependenter.

193 — *Q.* Quaenam intentio requiritur in ministro?

R. — 1. In ministro ad validam confectionem et administrationem Sacramentorum necessario requiritur intentio faciendi quod Christus fieri vult, vel saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia mentis Christi probe conscia; hinc Trid.: *Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anath. sit* [2]. — Et sane, Christus

[1] *Scavini*, III, 22.

[2] Sess. VII. c. XI.

Apostolis suis dixit : « Sic nos existimet homo ut *ministros* Christi, et *dispensatores* mysteriorum Dei » [1]. Ergo quum Sacerdotes sint ministri Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, nomine Christi, seu juxta ejus intentionem operari debent [2].

2. Non requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana, sed sufficit intentio virtualis faciendi quod facit vera Ecclesia, vel quod faciunt christiani, licet quis in corde suo per errorem peculiarem credat suam sectam esse veram Ecclesiam ; quia intentio generalis faciendi quod Christus instituit, praevalet intentioni provenienti ex errore privato ; hinc sedulo distinguenda est fides ab intentione, cum prior integra manere possit absque altera et vicissim. Nec requiritur intentio producendi Sacramenti effectum, vel efficiendi rem sacram ; haec enim implicite habentur in intentione faciendi quod facit Ecclesia [3].

3. Non requiritur intentio *actualis* quia haec non est semper in hominis potestate.

4. Requiritur vero et sufficit intentio *virtualis*, quae nempe perseverat vel in eadem serie actionum, vel in sua intensitate ; - ratio, quia talis intentio est vera causa actionis, et per ipsam minister, si est compos sui, operatur humano modo. Et haec intentio virtualis sufficit ut sit *implicita*. — Hinc pro *praxi* sapienter observat S. Alph. quod minister qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, nisi debitam intentionem positive excludat, nequit de ea dubitare, quia saltem vult facere quod alias ipse facere solet, et quod alii ministri faciunt ; quod certe sufficit ad debitam intentionem.

5. Non sufficit intentio *habitualis*, quia actio non esset humano modo peracta [4] ; — et eo minus sufficit intentio *interpretativa*, quia haec non est vera intentio, sed tantum intentionis praesumptio. Nec sufficit intentio *mimica*, et hoc de fide est contra Lutherum : *Si quis dixerit.. quod Sacerdos non serio, sed joco absolvat.. ; anath. sit* [5].

[1] I, Cor. IV, 1

[2] *Ob.* Sacramenta sunt sicut verbum Dei : sed verbum Dei etiam sine ulla intentione prolatum efficax est ; ergo.

R. Nego paritatem ; nam ut verbum Dei suum obtineat effectum, sufficit ut ad aures audientium veniat, Deo cor intus movente : sed in administratione Sacramentorum, Sacerdotes agere debent uti ministri Christi ; ergo humano modo agere debent, seu cum intentione faciendi quod Christus fieri vult.

[3] In quibusdam locis nonnulli (haeretici) baptizant cum materia et forma debitis, simultanee applicatis, sed expresse monent baptizandos, ne credant Baptismum habere ullum effectum in animam : dicunt enim, ipsum esse signum mere externum aggregationis illorum sectae. Itaque illi saepe catholicos in derisum vertunt circa eorum fidem de effectibus Baptismi, quam vocant quidem superstitiosam. Quaeritur igitur : Utrum Baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus si expresse declaratum fuerit a ministro antequam baptizet, Baptismum nullum habere effectum in animam ? — *R. Negative*, quia non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia. S. I. C. 18 dec. 1872 ; *Bucceroni*, Enchiridion, n. 204.

[4] Intentio habitualis in rebus agendis ne nomen quidem intentionis meretur ; nam quae hac intentione (exterius) fiunt, vi magis habitus quam voluntatis obimus. Dixi *in rebus agendis*, quia in *patiendis* sufficit voluntas semel habita et non retractata, ut ecce in eo qui baptizatur amens, vel dormiens *D' Annibale*, I, 135 (16).

[5] Sess. XIV. c. IX. De Poenitentia.

6. Intentio ministri *determinata* esse debet sive circa *materiam et formam*, quia intentio est quae ipsas a statu indifferentiae eruit, et determinat ad esse Sacramenti sive circa *subjectum*, quia effectus Sacramenti applicari nequit in genere, sed alicui subjecto, secus nulla fieret applicatio; sic v. g. si quis diceret: *Dono*, non determinans nec *quid*, neque *cui*, actus omni virtute careret.

194. — *Q.* In ministro sufficit ne sola intentio *externa* ?

R. Haec quaestio olim insignis et gravis fuit, neque adhuc penitus dirempta est. *Prima sententia*, quam tenent Catharinus, Salmeronius et alii, affirmat, quia, dicunt, aliud est intentio faciendi quod facit Ecclesia, aliud intentio faciendi quod intendit facere Ecclesia; sed ex Trid. requiritur tantum intentio faciendi quod facit Ecclesia; ergo sufficit ponere serio ritum quem Ecclesia facere intendit. — *Secunda sententia* tamen longe communior et probabilior negat, quia actio externa ad plures fines referri potest, v. g. ad solam fidem excitandam, ut volunt Novatores; ergo per intentionem internam determinari debet ad finem intentum, nempe efficiendi Sacramentum. — Praeterea in Sacramentorum administratione Christus est principalis agens, sacerdos secundarius. Sed in ministro secundario, ait S. Th., ea requiritur intentio qua se subjiciat principali agenti: ergo minister qui sola externa intentione utitur, suam intentionem intentioni Christi non conformat, nec facit quod facit Ecclesia: ergo non conficit Sacramentum. — Alex. VIII vero hanc damnavit propos.: *Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.* Hoc tamen decretum disputationem non solvit quia propos. ideo forte damnata fuit, quia asserit valere id quod vix probabile est an valeat. Ceterum negari nequit, observat Bened. XIV, ex damnatione dictae propositionis, opinioni Catharini grave vulnus inflictum fuisse.

Hinc si quis infidelis minister, quod Deus avertat, hanc solam intentionem externam habuerit in conficiendo aliquod Sacramentum ex iis quae iterari nequeunt, confessarius nequit eum absolvere nisi hac conditione, ut paratus sit rem deferre ad S. Sedis judicium cui factum cum omnibus suis circumstantiis exponat. Quod si periculum sit in mora, Sacramentum sic administratum sub conditione iteretur, secus oraculum Sedis Apostolicae attendatur. Ita Ben. XIV.

195. — *Q.* Error ministri circa personam suscipientis invalidat ne Sacramentum ?

R. Error ministri circa personam suscipientis, per se loquendo non invalidat Sacramentum, *excepto Matrimonio*; quia personae determinatio est tantum accidentalis, cum vera et ultima intentio sit in personam praesentem. Excipe si minister revera alligaret suam intentionem ad determinatam personam, ita ut aliam omnino excluderet, tunc enim nullum conficeret Sacramentum ex defectu intentionis. — Hoc tamen non valet quoad Eucharistiae distributionem, cum haec non conficiatur distributione, unde valide semper ministratur.

Dixi: *excepto Matrimonio*, quia in hoc sacramento determinatio talis personae est substantialis.

196.—*Q.* Si minister duas habeat intentiones contrarias, quaenam praevalet?

R.—1. Si duae istae intentiones sunt *simultaneae*, praevalet intentio praedominans, nempe quae eligeretur, cognita incompossibilitate. Quod si sunt ambae aequales, minister nihil efficit, nam una aliam destrueret.

2. Si vero sunt *subsequentes*, nempe una alteri succedit, tunc valet posterior, nisi tamen prior intentio omnem intentionem subsequentem saltem virtualiter revocaverit, quia in hoc casu prior intentio, nisi expresse revocetur, certe praevalet. — Quod si dubium remaneat de principali intentione, dubia erit validitas Sacramenti.

197. — *Q.* Sacramenta collata sub conditione, seu cum intentione conditionata, sunt ne valida?

R. Praemitto: Intentio seu voluntas faciendi Sacramentum *absoluta* esse debet, ut efficax sit pro praesenti, et voluntas seu intentio *conditionata*, quamdiu talis est, suspensa manet, et nihil efficit; idcirco necesse est ut extet conditio posita, secus enim non adesset intentio. Hoc praemisso:

1. Si conditio est *impropria*, seu de praeterito vel de praesenti, et extat, v. g. *si non es baptizatus*, Sacramenta valida sunt; quia tunc quum conditio verificetur, intentio transit in absolutam. — Si conditio non extat, Sacramenta sunt invalida, quia tunc nulla est intentio in ministro.

2 Sacramenta collata sub conditione de futuro necessario, v. g. *si sol cras oriatur*, valida sunt, nisi adsit animus suspendendi Sacramentum.

3. Collata sub conditione *propria*, seu de futuro contingenti, v. g. *si cras restituas*, sunt generatim invalida, quia tunc adest quidem materia et forma, sed deest intentio hic et nunc efficiendi Sacramentum; quando vero verificatur conditio, seu quando aderit intentio, deest materia et forma: unde sunt absolute iteranda, excepto aliquando Matrimonio ut suo loco dicetur.

Item probabilius invalida sunt si conditio non est homini cognoscibilis, v. g. *si es praedestinatus*, quia cum Deus administrationem Sacramentorum commiserit cognitioni et voluntati hominum, nequit apponi conditio quae cadere non potest sub humana cognitione. — Idem dic de conditione impossibili, nisi joco posita sit [1].

198. — *Q.* Licet ne conferre Sacramenta sub conditione?

R. Praemitto: Conditio spectare potest ad ea quae pertinent ad valorem Sacramentorum, vel ad dispositiones suscipientis, vel ad alia. Hoc posito:

1. Si conditio spectat ad valorem Sacramentorum, et adest justa causa, nempe necessitas vel magna proximi utilitas, tunc non solum ipsam apponere licet, sed oportet: ut si in Baptismo dubites an aqua sit qua baptizas, in Extrema Unctione an aegrotus adhuc vivat, vel si iterare oporteat Sacramentum de quo non constat an valide collatum fuerit.

2. Si conditio spectat ad dispositiones suscipientis, tunc in solo Poenitentiae Sacramento licite ap-

[1] S. Alph., L. VI, 26.

ponitur, quia alia Sacramenta vel omnino, vel sine scandalo iterari nequirent[1].

3. Si vero conditio non spectat ad valorem Sacramentorum, nec ad dispositiones suscipientis, sed ad alia, v. g. ad aliquod eventum, tunc est graviter illicitum conferre Sacramenta cum tali conditione. Nam si conditio respicit eventum futurum et incertum, Sacramentum nullum reddit: si autem respicit eventum praeteritum vel praesens, Sacramentum exponit periculo nullitatis, quod sine justa causa fieri nequit.

199. — *Q.* Quando Sacramenta conferuntur sub conditione, necesse ne est ut conditio verbis exprimatur?

R. Quando Sacramenta conferuntur sub conditione necesse non est ut conditio verbis exprimatur, sed sufficit si mente concipiatur. Imo ne opus quidem est conditionem explicite et formaliter in mente habere: sed satis est ut habeatur implicite et virtualiter, prout habet qui intendit agere, v. g. confessiones audire, juxta institutionem Christi, vel intentionem Ecclesiae, quia sic quoque sufficienter servatur reverentia Sacramentis debita. Excipe tamen si esset publice conferendus Baptismus sub conditione, tunc enim Rit. Rom. praescribit quod conditio ore exprimatur, ne adstantes credant Baptismum absolute iterari[2]. Idem dicendum de Extr. Unctione, ex Rit.

200. — *Q.* Quid est simulatio et dissimulatio, et licitae ne sunt?

R. Simulatio proprie dicta, ait S. Th.[3], est *actus quo quis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significat contrarium ejus quod in eo est*, seu in mente habet. — Dissimulatio e contra adest quando quis *actionem aequivocae significationis ponit ne proprius sensus alteri innotescat:* quare simulamus falsa, dissimulamus vera.

Hinc simulatio sacramenti *proprie* dicta seu fictio, tunc habetur quando quis externe perficit ritum essentialem sacramenti, nempe formam debitam materiae applicat, sed sine intentione requisita ad sacramentum conficiendum.—Simulatio vero *improprie* dicta, seu *dissimulatio*, habetur cum quis non ponit debitam materiam, vel formam, sed ejus loco aliquid aliud substituit quod speciem tantum illius referat, e. g. benedictionem aliquam pro absolutione; unde *per se* etiam externe aliud esse a sacramento agnosci potest. — Utraque esse potest vel *formalis* vel *materialis*, prout directe intenditur alterius deceptio, vel tantum permittitur ex justa causa, v. gr. si minister gravi metu cogitur ad sacramentum indigno ministrandum.

Porro simulatio *proprie* dicta semper est sacrilega, ac proinde nunquam licita, etiamsi materialiter tantum fiat; quia semper gravis injuria irrogatur Auctori sacramentorum, abutendo rebus sacris ab Ipso institutis ad aliud significandum seu efficiendum; unde Innoc. XI damnavit seq. prop.: *Urgens gravis metus est causa justa sacramenti administrationem simulandi.* Et si quidam licitam dixerunt simulationem materialem, *materialem* intellexerunt illam

[1] *D'Annibale*, III, 251.
[2] S. Alph., L. VI, 29.
[3] 2a 2ae, q. III, a. 1.

quam supra *impropriam* diximus, seu *dissimulationem* [1].

Dissimulatio e contra licita est si fiat cum justa causa, secluso contemptu, scandalo et intentione fallendi; quia tunc nec committitur sacrilegium, cum omnino absit violatio rei sacrae, nec mendacium, cum neque intendatur neque necessario habeatur deceptio proximi, sed tantum veritas occultatur, quod, accedente justa causa, omnes cum S. Th. permittunt.

Hic autem quaedam adnotanda sunt :

1. Quoad *Sacramentum Eucharistiae :* — Disp. Th. an possit administrans peccatori, sic inter se convenientibus, proferre verba *Corpus D. N. I. C.* etc., et hostiam reponere in pixide : Alasia negat, S. Alph. affirmat. Conveniunt autem quod graviter peccat qui, ne daret indigno, porrigeret ei hostiam non consecratam, licet sic cum eo conveniat, quia facit idololatrare adstantes qui credunt hostiam esse consecratam [2].

2. Quoad *Sacramentum Poenitentiae* : — An liceat causa metus gravis proferre in poenitentem : *Ego te non absolvo*, submisse dicendo *non*, disput. Th. ; S. Alph. affirmat, quia poenitens non habet jus ad audiendum verba absolutionis. Sed *in praxi* aliae preces in hoc casu adhibendae sunt. Si vero poenitens nolens confiteri accedat ad confessionale animo ut adstantes credant ipsum confiteri peccat mendacii ; an et sacrilegii, S. Alph. absolute negat, cum enim desit materia et forma, deest et simulatio Sacramenti.

3. Quoad *Sacramentum Matrimonii* : — Th. dicunt non simulare Sacramentum qui ex gravi metu matrimonium contrahit quod ex lege Ecclesiae nullum est ; — ratio quia tunc deest materia et forma cum desit consensus, nam Ecclesia, nullum reddendo matrimonium, efficit ut verba non habeant rationem formae [3].

201. — *Q.* In ministro requiritur ne attentio ?

R.—1. Ad *valorem* Sacramentorum non requiritur attentio seu *applicatio mentis ad id quod agitur ;* - ratio, tum quia ex Trid. ad valide Sacramenta conficienda tria tantum requiruntur, nempe materia, forma et minister cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; tum quia confectio Sacramenti est actus humanus qui consistere potest sine attentione. — Nonnulli excipiunt Extremam Unctionem, quia ejus forma est deprecativa, et preces cum voluntaria distractione nullae sunt ; sed communius negant, ut suo loco dicetur, nam preces in tali Sacramento non operantur quatenus preces, sed quatenus sunt partes Sacramenti.

2. Ad *licitam* vero Sacramentorum collationem attentio requiritur, quia ipsam exigit reverentia Sacramentis debita.—Hinc dicunt omnes Th. quod minister voluntarie distractus in Sacramentorum confectione peccat saltem venialiter, et etiam mortaliter si id fa-

[1] *Aertnys*, L. VI; *Génicot*, II, 124; *Marc*, 1424. — Omnem simulationem ab Innoc. XI damnatam fuisse tenet Cardenas: Viva solam formalem, et rectius; excepto Baptismate, quia Baptismus est janua Sacramentorum et protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest. *D' Annibale*, III, 264 (16).

Ceterum mirum non est Th. hac in re non eodem modo sentire, cum in ipsa simulationis et dissimulationis definitione non satis conveniant.

[2] *Génicot*, II, 124, 3°.

[3] S. Alph.; L. VI, 58, 62.

ciat ex contemptu ; vel cum gravi scandalo ; vel cum periculo errandi in prolatione formae.

In confectione tamen Eucharistiae voluntaria distractio, si est notabilis, vel per notabile tempus, juxta aliquos esset tantum peccatum veniale, sed juxta alios esset mortale, quia voluntaria distractio in tanto Sacramento videtur non carere gravi irreverentia [1].

Art. II.

De fide et pietate ministri.

202. — *Q.* In ministro requiritur ne fides et pietas ?

R. Ad *validitatem* Sacramentorum non requiritur *fides* in ministro ; et hoc de fide est quoad Baptismum : *Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia non esse verum Baptismum ; anath. sit* [2]. Quoad alia Sacramenta est tantum proximum fidei. — Nec requiritur *probitas*, et hoc etiam de fide est : *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali, existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum ; anath. sit* [3].

Haec veritas probatur : 1° *ex Traditione* et constanti ac perpetuo usu Ecclesiae, praesertim Romanae, quae neminem ab haeretico vel improbo ministro baptizatum unquam rebaptizavit. Hinc, quum S. Cyprianus acriter propugnaret baptizatos ab haereticis esse rebaptizandos, S. Stephanus Papa, innixus constanti traditioni Ecclesiae Romanae a tempore Apostolorum, ipsum reprobavit, scribens : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est ut manus imponatur ad poenitentiam.* — 2° *Ratione theologica*, quam ita evolvit S. Th. [4] : Efficacia Sacramentorum a solis meritis Christi pendet, et Sacramenta gratiam sanctificantem conferunt non ex opere operantis, seu ex fide vel pietate ministri, sed ex opere operato : minister vero non est causa principalis et efficiens hujus gratiae, sed tantum causa instrumentalis : ergo defectus fidei et pietatis in ministro nec impedire, nec minuere potest gratiam Sacramentorum ex opere operato, modo ipse omnia essentialia quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit.

Ad *liceitatem* vero per se certe requiritur fides et pietas, nam sine ipsis impossibile est placere Deo : porro qui Deo non placet, certe peccat scienter tractando quae Dei sunt.

203. — *Q.* Minister si in mortali Sacramenta conficit et ministrat, peccat ne graviter ?

R.—1. Si Minister Sacramenti est ad illud *ordinatus*, et in peccato mortali Sacramentum conficit et ministrat *solemniter*, ministrum Ecclesiae se exhibens, semper graviter peccat, - ratio, tum quia Christo, cujus est minister, debet se conformare, tum quia ex officio ministrans sancta sancte tractare debet [5].

2. Si Minister Sacramenti ad illud *non est ordinatus* : vel si or-

[1] S. Alph., L. VI, 14 ; Hom Ap., T. XIV, 1

[2] Sess. VII, c. IV, de Bapt.

[3] Sess. VII, c. XII.

[4] P. 3, q. 64, a. 9.

[5] In Sacramentis ipsa confectio est si -

dinatus, ministrat non solemniter sed *privatim*, cogente necessitate tunc an sic ministrando in mortali peccet graviter, disput. Th. Alii cum S. Th. [1] a gravi eum excusant, quia is non se exhibet ut minister Ecclesiae, sed ut qui urgenti proximi necessitati subvenit. — Alii vero dicunt ministrum, sive sacerdos sit sive laicus sub gravi teneri elicere actum contritionis, si tempus ferat: quia obligatio ministrandi in statu gratiae non est tantum a consecratione ministri, sed etiam a sanctitate ipsorum Sacramentorum, quae semper sancte tractanda sunt. Si autem tempus non patitur elicere actum contritionis, tunc alii generatim excusant: sed alii sic distinguunt: — Vel minister ex officio Sacramenta administrare debet, et graviter peccat, quia continue paratus esse debet; vel non tenetur ex officio, et tunc non peccat ne venialiter quidem: nam ex una parte necessitas elicere actum contritionis non patitur, et ex alia, speciali praecepto ad statum gratiae non tenetur.

Hic vero quaedam speciatim notanda sunt.

1° Quoad *Eucharistiam:* — Qui Eucharistiam conficit vel sumit in letali letaliter peccat. An vero qui solum administrat disput. Th. [2]. Alii dicunt peccare mortaliter etiam qui in mortali sive mediate sive immediate solum tangit vel defert SS. Eucharistiam, quia in utroque casu rem sanctissimam, seu Corpus Christi indigne tractat. Alii e contra dicunt quod sacerdos vel diaconus Eucharistiam etiam immediate tangens et ministrans in mortali peccat tantum venialiter, quia is non agit nomine Christi, cum Christus non requisierit ut distribuens sit persona sacra, olim enim etiam laici communionem sibi vel aliis porrigebant. — Alii demum cum S. Alph, affirmant peccare mortaliter si immediate tangit et ministrat in mortali, quia gravem irrogat injuriam huic Sacramento, eo quod, ut minister ad illud dispensandum consecratus, ipsum indigne ministrat. Quod si olim etiam laicis permissum fuit Eucharistiam in necessitate ministrare hoc fuit per accidens, sicut etiam ipsis permissum est in necessitate baptizare, sed nemo potest negare ministrum ordinarium et ex officio ad Eucharistiam dispensandam esse solum sacerdotem, vel diaconum ex commissione. An vero juxta hanc sententiam minister tot peccata committat, quot personas communicat, disput. Th.; sed S. Alph. dicit quod probabiliter unum peccatum committit, quia distributio est moraliter una [3].

mul administratio; excepta Eucharistia in qua aliud est conficere Sacramentum aliud illud administrare.

[1] P. 3, 64, a. 6, ad 3.

[2] *D'Annibale*, III, 413.

[3] S. Alph., L. VI, 35 — Quoad *alia officia*, S. Alph. dicit quod diaconus et subdiacones in mortali exercentes suum Ordinem verius peccant tantum venialiter, quia hae actiones non sunt sacramentales, nec proxime tendunt ad sanctificationem animae ex opere operato. — Item peccat tantum venialiter sacerdos qui in mortali vestes sacras, aquam lustralem benedicit, vel matrimonio assistit. — Item concionator praedicans in mortali, probabilius et communius non peccat graviter; communiter tamen non excusant a veniali, ob aliquam irreverentiam, quae fit verbo divino. Quinimo si concionator increpet vitium de quo ipse publice est diffamatus, non videtur excusari a mortali, quia scan-

2° Quoad *Poenitentiam* : — Si confessarius in mortali existens poenitentem tantum audit quin absolvat, non peccat graviter, quia tantum audiendo non conficit Sacramentum. Si vero in tali statu absolvit, tunc certe graviter peccat. An tot peccata gravia committat, quot absolutiones impertit, disput. Th. ; plures negant, quia unum ministerium exercet ; sed alii cum S. Alph. affirmant, quia quot absolutiones impertit, tot Sacramenta ministrat.

3° Quoad *Matrimonium* : — Disput. Th. an illud contrahentes in mortali peccent graviter. Alii affirmant, quia licet non se exhibent ut ministros Ecclesiae, tamen se exhibent ut ministros Christi. Sed alii negant quia ad ministrandum hoc Sacramentum non sunt specialiter consecrati.

204. — *Q.* Qui peccati gravis conscius sit, tenetur ne ante administrationem vel susceptionem Sacramentorum confiteri ?

R. Si agatur de Eucharistia consecranda vel suscipienda, certe confiteri tenetur ex praecepto Trid. et non sufficit contritio, ut suo loco dicetur.

Quoad alia vero Sacramenta, sententia communis tenet quod sufficit praemittere tantum actum contritionis, quia non habetur praeceptum naturale, neque divinum neque ecclesiasticum, de praemittenda confessione, uti habetur in suscipienda et conficienda Eucharistia; unde satis est ut quis adhibeat diligentiam moralem ad se justificandum per contritionem, quin summam adhibeat per confessionem. Attamen Rit. Rom. dicit quod si minister habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, *convenit* confiteri [1].

205. — *Q.* Licet ne Sacramenta a malo ministro petere ?

R. Praemitto : nomine mali ministri intelligitur sive ille qui excommunicatus est, sive ille quem ex una parte nobis constat certe in grave crimen incidisse, et ex alia parte certe etiam constat illud nondum diluisse ; secus quemque probum aestimare debemus. Hoc posito :

1. Si urgeat periculum mortis, tunc a malo ministro etiam excommunicato vitando petere licet Sacramenta Baptismi, Poenitentiae, et probabiliter etiam Sacramenta Eucharistiae, Extremae Unctionis, et Matrimonii si esset necessarium ad salutem spiritualem morientis, vel ad magnam utilitatem temporalem filiorum, nec alius adesset minister [2]. — Quod si, in hoc periculo mortis, Sacramentorum petitio ab excommunicato vitando scandalum quibusdam pusillis afferret, curari debet ut tale scandalum per idoneam instructionem removeatur.

2. Si non urget periculum mortis, tunc nullum Sacramentum petere licet ab excommunicato vitando vel publice et nominatim suspenso ; bene vero licet ab excommunicato tolerato, quia Ecclesia cum eo communicare permittit, dummodo non sit aliunde indignus. (Vol. I, n. 300). — Si vero minister malus est quia aliquo gravi peccato est coinquinatus, Sacramenta ab eo petere licet, si adsit justa causa, et alius desit minister ; quia ob justam causam

dalum praebet et impedit finem doctrinae. — S. Alph., L. VI, 30, 40.

[1] S. Alph., L. VI, 34, 86.
[2] S. Alph. L. VI, 88.

ab alio petere licet quod in se bonum est, et quod alter sine peccato, si velit, praestare potest. Deficiente vero justa causa, qui Sacramenta a malo ministro petit, juxta plures, peccat graviter, tum contra reverentiam in Sacramentum, tum contra praeceptum caritatis in proximum.

Justa causa adest: si urgeat praeceptum confessionis vel communionis; si ex dilatione immineat periculum lapsus; si debes implere praeceptum missae audiendae; si alias permanere debeas in mortali, et nequeas alium adire confessarium, et multi Th. bene excusant ab omni culpa eum qui est in mortali, si nolit neque ad horam expectare, quia non est modica utilitas quam primum a peccato liberari; si carere debeas, saltem diu, communione; si alias nequeas lucrari jubilaeum, vel indulgentiam plenariam; si indigeas perito directore, et alios non habeas, etc. — Quod si minister est parochus, vel si jam expositus est ad Sacramenta conferenda sufficit causa minus gravis, secus gravior requiritur [1].

Art. III.

De officio seu obligatione administrandi Sacramenta.

206. — *Q.* Minister tenetur ne Sacramenta administrare?

R. Praemitto: Minister potest habere curam animarum, vel non. Porro, curam animarum habent ii omnes qui ex officio vel speciali titulo jurisdictionis aut delegationis aliquam partem ovilis Christi pascere seu curare debent. Tales sunt Episcopi, Parochi, Coadjutores seu Vicarii Parochorum, Capellani militum et nosocomiorum, Praelati seu Superiores proprii respectu Regularium [2]. Hoc praemisso:

I. Minister qui curam animarum habet tenetur sub gravi et ex justitia Sacramenta administrare suis subditis rationabiliter illa petentibus, tum ex jure naturali, quia, curam animarum suscipiendo, ad id ex *quasi-contractu* seu ex officio suscepto se obligavit, tum ex jure divino positivo, quo mandatur omnibus quibus animarum cura commissa est oves suas pascere, quod maxime fit Sacramentorum administratione [3].

Hinc minister curatus graviter peccat: 1° Non solum si sine ratione Sacramenta ministrare renuit, sed etiam quando morosum et difficilem se ostendit, quia sic agendo fideles a frequentia Sacramentorum amovet cum magno eorum damno. 2° Si recuset SS. Eucharistiam deferre ad aegrotos (quando rationabiliter petunt), etiam extra mortis periculum, praesertim in festis solemnioribus. 3° Si quem, ipsius negligentia, sine Baptismo, Confessione, Viatico, vel Extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit. — Excusabitur tamen a mortali si semel vel iterum extra necessitatem Sacramentum Poenitentiae vel Eucharistiae deneget, tum quia non videtur tam stricte se obligasse, tum quia damnum facile reparari potest; excepto si adesset aliqua urgens necessitas, v. g. jubilaei, festivitatis solemnis, etc [4].

II. Minister qui curam animarum non habet, in defectu pastorum, tenetur ex caritate sacra-

[1] S. Alph., L. VI, 89.
[2] S. Alph. L. VI, 58.
[3] Cf. Trid. Sess. 23, cap. I, *de Ref.*
[4] Cf. *Génicot*, II, 119

menta administrare fidelibus in gravi necessitate positis, si commode potest; et etiam cum gravi incommodo si bonum publicum ejus ministerium requirit.

III. Si vero proximus est in necessitate *extrema*, nempe certo in lethali peribit nisi adjuvetur, tunc minister curatus ex justitia, non curatus ex caritate, tenetur etiam cum periculo vitae administrare Sacramenta ad salutem necessaria, scilicet Baptismum et Poenitentiam, uti declaravit S. C. C. probante Gregorio XIII, et etiam Extremam Unctionem in casu quo quis nullo modo confiteri posset, v. g. si sensibus esset destitutus, dummodo adsit certa spes illum adjuvandi; - ratio ex generali principio vel justitiae, vel caritatis deducitur (Vol. I, n. 412).

Quoad alia Sacramenta ad salutem non necessaria, minister qui curam animarum non habet, certe administrare non tenetur cum periculo vitae. — An vero teneatur minister curatus, disput. Th. *Prima* sententia *valde gravis*, ait S. Alph., affirmat eum teneri ratione officii. *Secunda* vero, juxta S. Alph., etiam *valde probabilis*, negat, quia illa Sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut Parochus pro eis conferendis vitam prodere teneatur [1].

CAPUT V.

De subjecto Sacramentorum

207. — *Q.* Quisnam subjectum Sacramentorum?

R. Subjectum Sacramentorum dicitur ille *qui est capax suscipiendi non solum Sacramentum, sed etiam effectum Sacramenti.* Porro, omnis homo viator est capax Baptismi; solus baptizatus aliorum omnium, unde, v. g., infidelis materialiter tantum Eucharistiam reciperet, uti pyxis eam recipit. Non tamen *omnis* baptizatus est subjectum *omnium* Sacramentorum; nam solus peccator vel in praeterito vel in praesenti est capax Poenitentiae et Extremae Unctionis, ad hanc insuper requiritur ut quis gravi infirmitate laboret; masculus solus est capax Ordinis; et puber Matrimonii, regulariter loquendo, uti dicetur ubi de *Matrimonio*.

ART I.

De intentione in subjecto necessaria.

208. — *Q.* In subjecto ad valide Sacramenta suscipienda requiritur ne intentio?

R. Distinguo: *In infantibus et perpetuo amentibus*, quoad Sacramenta quae ipsis conferri possunt, nulla requiritur intentio seu *voluntas Sacramenta suscipiendi*; actualiter enim incapaces sunt, sed supplet in illis Christi et Ecclesiae intentio, sicut in civilibus tutor supplet pro pupillo.

In infantibus, quoad Baptismum, non requiri intentionem de fide est: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum Baptisma, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiae; anath. sit* [2].

[1] S. Alph., L. II, 27: L. VI, 58, 233.

[2] Sess. VII, c. XIII, *de Bapt.*

In adultis vero aliqua requiritur intentio, *Eucharistia excepta;* quia ex Trid.[1] justificatio hominis non fit nisi per voluntariam susceptionem gratiae. Haec autem intentio debet esse interna, seu vera[2]; quare qui simulate Sacramenta reciperet, vel cum intentione neutrali, nempe passive se habendo, et eo magis animo repugnante, invalide reciperet. Sufficit autem intentio recipiendi quod recipiunt Christiani, etsi non credat, aut nolit Sacramentum, seu rem sacram. — Dixi: *Eucharistia excepta,* quia cum haec in re permanenti consistat, independenter a quavis intentione tam suscipientis, quam ministrantis, remanet Sacramentum.

209. — *Q.* In adultis quaenam intentio sufficit?

R. In adultis sufficit intentio tacita seu implicita, et haec diversa pro diversa natura Sacramentorum.

Pro Sacramentis *Poenitentiae* et *Matrimonii,* sicut ad eorum valorem requiritur actum poenitentis et consensus contrahentium, ideo in subjecto requiritur intentio saltem *virtualis.*

Pro Sacramentis *Baptismi* et *Ordinis,* sicut haec necessario important in adultis quasdam obligationes quae sine consensu suscipientis saltem habituali imponendae non sunt, ideo ad valide haec Sacramenta recipienda requiritur intentio saltem *habitualis,* seu intentio prius habita et non retractata. — Imo plures Th. censent pro baptismo sufficere intentionem *implicitam* contentam in contritione vel attritione habita in suscipiente, qualis esset in eo qui voluntatem haberet peragendi omnia ad salutem necessaria[3].

Pro Sacramentis vero *Confirmationis* et *Extremae Unctionis,* sicut ad recipiendam gratiam horum Sacramentorum sufficit ut quis sit

[1] Sess. VI, cap. VII.

[2] Proinde si quis hostiam comederet nesciens esse consecratam, perinde erit quasi panem comedisset. — Si quis dum baptizatur, non Sacramentum, sed medicinam recipere se putet aut velit, nihil erit actum.

Porro ut ministri, ita et subjecti intentio pura esse debet; quamobrem si velit sub conditione vel praeterita vel praesenti, quae defecit, aut deficit, aut futura et incerta, nihil actum intelligitur; etsi *haec* postea extiterit. *D'Annibale,* III, 257 (2).

[3] *Gury,* II, 230; *D'Annibale,* III, 274. Casus. — Joachimus, religione judaeus, iter agens per catholicam regionem, in gravem morbum incidit, et mox omni sensu destitutus, jam morti proximus est. De re admonitus Damasus loci parochus, festinanter ad moribundum advolans, in eo quaerit signum aliquod rationis, et doloris de peccatis: sed incassum. Haeret anceps, nesciens quid sit agendum; denique judaeum, sub conditione, baptizare statuit.

Q. An Damasus recte egerit baptizando Joachimum sensibus destitutum et moribundum?

R. Recte egit Damasus, si audiverit Joachimum ante morbum, vel in ipso morbo ostendisse voluntatem Religionem christianam amplectendi. Secus *controvertitur.* Negat *Moulet* (t. 2, p. 389) talem judaeum posse baptizari, quia in eo casu nulla supponi potest intentio baptismum suscipiendi; sed sententia opposita absque temeritate teneri potest; imo est omnino suadenda. Cur enim nulla supponi potest voluntas baptismum suscipiendi? Numquid, ex eo quod nullam habuisse? Nequaquam. Nam inter centum vel mille infideles, in simili casu versantes, potest esse unus qui christiane mori velit. Porro satis est, ut singulis Baptismum sub conditione conferatur. Excipe si, paulo ante mortem, in Religionem catholicam invectus fuerit; quia tunc minime censendus est in ea velle cooptari, cum ab ea paulo ante adeo abhorreret. *Gury,* Casus Consc. De Baptis, VII.

subjectum capax, ideo sufficit intentio *interpretativa*.

Ex his consequitur quod Sacramenta, ad quae in subjecto sufficit intentio habitualis vel interpretativa, *valide* conferuntur dormientibus, ebriis, amentibus, etc. [1]; *licite* tamen ipsis in tali statu conferri nequeunt, nisi in probabili periculo mortis, vel quando impedimentum usus rationis censetur perpetuum, secus expectandum est tempus lucidi intervalli

NOTA: Sicuti in ministro ad valorem Sacramentorum non requiritur *attentio*, ita a fortiori nec requiritur in suscipiente. Hinc frustra scrupulis anguntur aliquando poenitentes eo quod distractiones passi sint dum absolvebantur, vel absoluti fuerint quin ad id animadverterint.

210. — *Q.* Quid agendum si quis affirmat se Sacramentum sine debita intentione recepisse?

R. — 1. Si id affirmat ut Sacramentum illud sibi iterum conferatur, fides ei est habenda, nisi probabile videatur Sacramento illudere velle.

2. Si vero id affirmat ut solvatur ab obligationibus quae Sacramento cohaerent, res est diligentissime exploranda; et si non appareat manifeste ei intentionem defuisse, non debet ei fides haberi, licet jurato asserenti. — Si autem manifeste appareat et luce clarius, hortandus est ut rite faciat quod irrite fecit; et si obstinate repugnet, nil aliud superest nisi ut dimittatur [2].

[1] Intellige si vere adsit in ipsis talis voluntas, non enim pendet a ministro ponere in subjecto voluntatem qua is caret.

[2] *D'Annibale*, III, 269.

ART. II.

De dispositionibus requisitis.

211. — *Q.* Quaenam dispositiones in adultis requiruntur ad Sacramenta suscipienda?

R. — 1. In adultis ad *valide* Sacramenta suscipienda sufficit debita intentio, et non requiritur fides et probitas; *excepta Poenitentia*, quia hoc Sacramentum non conficitur sine attritione, attritio vero nequit esse sine fide et pietate.

2. Ad *licite* autem Sacramenta suscipienda requiritur fides [3] et spes saltem virtualis, nam *accedentem ad Deum credere oportet quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* nec non et dolor de peccatis, seu attritio quoad Sacramenta mortuorum, ne obex infusioni gratiae ponatur, ac gratia sanctificans, seu status gratiae quoad Sacramenta vivorum.

212. — *Q.* Licet ne Sacramenta administrare peccatori *publico*?

R. Duo praemittenda sunt:

1. Hic non agitur de Sacramento *Poenitentiae*, quia haec pro peccatoribus poenitentibus instituta est; nec de *Extrema Unctione*, quia haec peccatori etiam publico quandoque administratur, cum nempe sensibus destitutus in periculo mortis versatur; nec de *Matrimonio*, quia Ecclesia justis de causis aliquando matrimonium inter catholicum et haereticum permittit.

2. Peccator publicus potest esse talis vel notorietate *juris*, vel *facti*,

[3] Per fidem intellige non solum habitum infusum, sed etiam et praecipue fidem actualem et publice manifestatam. Hinc haeretici, quos acatholicos esse notorie constat, admitti nequeunt ad Sacramenta, quia prius requiritur verae fidei professio externe emittenda juxta Ecclesiae praescripta. *Scavini* III, 37 (1).

vel *famae*. Est talis notorietate *juris* si ejus crimen cognoscitur vel per propriam juridicam confessionem, vel per testium depositionem, vel judicis sententiam. Est talis notorietate *facti* si crimen patratum sit coram pluribus, et nullo modo moraliter occultari queat. Est vero talis notorietate *famae*, si ex multorum vociferatione res ita innotescat, ut nulla tergiversatione celari possit. Hoc praemisso :

Peccatori publico, sive talis sit notorietate juris, sive facti, aut famae, Sacramenta deneganda sunt ex praecepto divino, sive ipse ea petat publice, sive private, donec non constet de ejus poenitentia et emendatione, et publicum scandalum prius reparaverit ; Christus enim dixit: *Nolite dare sanctum canibus*[1]. — Hinc Rit. Rom. de Eucharistia habet : « Arcendi sunt autem *publice indigni*, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publice scandalo prius satisfecerint ».

Requiritur tamen : 1° ut peccatum sit omnino *certum* ; 2° ut sit omnino *inexcusabile* ; 3° ut sit *publicum* vel absolute, notum nempe toti communitati, vel relative, nempe notum iis in quorum praesentia petitur Sacramentum [2]. Sed in hoc postremo casu, si peccator non est notus omnibus, sed solum plerisque adstantibus, tunc S. Alph. [3] cum aliis Th. docet quod *probabilius* non debent Sacramenta denegari quando peccator publice ea petit, quia ipse, relate ad illos qui ejus peccatum ignorant, possidet suam famam et ad illam jus habet [4]. — Item probabilius non licet Sacramenta negare si peccator est publicus quidem, sed in alio loco et non ubi Sacramenta petit, nisi notitia ejus criminis alibi publici, huc brevi perventura esset.

Confessarius igitur *in praxi* sequentes regulas magna prudentia adhibeat :

Reg. 1ª. Observet an persona quae Sacramenta petit sit peccator *certe publicus*, nempe sit certa ejus indignitas, proindeque certa obligatio Sacramenta ei denegandi ; nam in dubio prudentia et aequitas partem tutiorem nos sequi jubent, nempe ut ejusmodi personam

[1] Matth. VII, 6.
[2] *Marc*, 1427.
[3] S. Alph. Hom. Ap., T. XIV, 4.
[4] Nunquam deneganda sunt Sacramenta peccatori pluribus quidem noto (v. g. vel quia pravum edidit librum, vel quia irreligiosum suffragium in comitiis dedit, vel quia doctrinam subvertentem docuit, vel quia alicujus gravis criminis particeps fuit) qui tamen aliis quamplurimis, qui de gravitate horum criminum dijudicare non valent, est peccator occultus, maxime vero quando occultus est majori parti fidelium in ecclesia adstantium, qui vel ejus crimina ignorant, vel de ipsis jam obliti sunt, vel ipsi peccatori non animadvertunt, vel si ipsum fama cognoscunt, non cognoscunt tamen de visu. Persaepe in hisce casibus, praesertim si magnus sit in ecclesia concursus, perpauci, quinque forsan vel sex, huic peccatori Sacramenta conferri animadvertunt, quique etiam, circumstantiis perpensis, nullum accipiunt scandalum. E contrario si illi Sacramenta denegantur, magnus fit in populo tumultus, gravia quandoque exoriuntur mala, inter familias irae, in religionem ludibria, sacrilegae violentiae, processus et condemnationes; quae omnia vitata fuissent, si sacerdos illi peccatori Sacramenta administrasset cui conferre poterat juxta sententiam plurium Th. ab ipso S. Alph. probabiliorem dictam. *Frassinetti*, T. XIV, diss. IX.

Sacramentis participare sinamus. — Praeterea observet si peccator sit *omnino inexcusabilis*, v. g., si peccatum judicari posset potius materiale, quam formale, uti in eo qui ex ignorantia errores docuisset, tunc ad vitanda scandala et graves perturbationes Sacramenta conferre licet [1].

Reg. 2ª. Si peccator est certe *publicus*, et omnino *inexcusabilis*, ita ut certa sit obligatio Sacramenta ei denegandi, tunc omni meliori modo curet vel per se vel per alios ut scandala reparet, errores retractet, etc.; et si haec adimpleat, Sacramenta ei conferri possunt.

NOTA: Ad tollendum scandalum sufficit confessio facta coram pluribus, quia qui publice confessus est, publice censetur emendatus, nisi constet de impoenitentia ex factis, v. g. si quis adhuc retineret concubinam, vel occasionem non deseruerit.

Reg. 3ª. Si peccator scandala et errores reparare et retractare recuset, tunc quum sacerdos ei Sacramenta denegare certe teneatur, si tempus ferat, proprium Episcopum consulat, ejusque praescriptioni omnino adhaereat.

Si vero tempus proprium Episcopum consulere non permittat, tunc Sacramenta deneget, sed absque rumore discedat, nec ullam rationem alteri reddat. Et si est de ratione requisitus, respondeat tantum: *Legibus Ecclesiae sibi obtemperandum esse*; sibique *displicere* concedere non posse quod ipsi postulant. — Si persona notorie indigna ad sacram Communionem cum aliis accedat, sacerdos eam praetereat, quin communicet. Et si est sola, eam per alium admoneat ut discedat *sed rationem nunquam reddat* cur Sacramentum deneget, secus ex diffamationis praetextu vexationes incurrere potest.

Ceterum lex civilis nullam poenam habet pro simplici Sacramentorum denegatione, dummodo sacerdos in exercitio sui ministerii nec verbis, nec scriptis, nec factis, aliquid agat contra leges et institutiones status, vel contra aliquod decretum regionis, vel contra aliqua acta publicae auctoritatis. Monitum magni momenti est [2].

[1] Aliquando Parochus vocatur ad Sacramenta ministranda infirmo qui vel tenuit et tradidit subvertentes doctrinas politicas, circa quae ob tot tamque diversas opiniones homo facile decipi potest, maxime si auctoritate alicujus viri ecclesiastici soffultus esset, vel male de temporalibus Rom. Ecclesiae juribus sentiens, juxta hanc falsam persuasionem operatus sit. In hoc vel alio simili casu, si Confessarius testetur infirmum paratum esse omnia peragere ad quae ex religione tenetur, et eo magis si is sincere promittat, si convaluerit, judicio et auctoritati Ecclesiae se submissurum, et protestetur se esse filium S. Ecclesiae devotum, et velle mori uti verum catholicum, tunc Parochus, si tempus non ferat Episcopum adeundi, Sacramenta huic infirmo ministrare potest, scandalum, si forsan adsit, interim amovendo, pios infirmi sensus manifestando. Imo non solum potest, sed si ex Sacramentorum denegatione gravia mala timeantur, etiam tenetur. *Frassinetti*, T. XIV, diss. IX.

[2] A S. Poenitentiaria postulatum fuit: Quomodo agendum in casu quo poenitens *notorie* excommunicatus retractationem emittere debeat?

S. Poenitentiaria, die 5 jul. 1856, respondit: Ad retractationem sufficere quod poenitens veniam parti laesae nempe Ecclesiae petat, et scandalum fidelibus illatum reparet meliori quo potest modo, magna tamen cum prudentia ad vitanda gravia incommoda quae poenitenti contingere possent, uti periculum pro quibusdam officialibus publicis, proprium officium amittendi cum gravissimo familiae damno. Sufficit autem ut haec retractatio Ordinario tradatur vel Confessario ut ipse ad Ordinarium eam transmittat, in archivio Curiae Episco-

213.—*Q.* Licet ne Sacramenta ministrare peccatori *occulto* ?

R. Praemitto : In quorumdam sacramentorum collatione minister est tantum *dispensator ;* in aliquibus vero est simul *judex* dispositionum subjecti. Ideoque non semper tenetur minister inquirere, neque eodem modo ei constare debet de dignitate petentium. Hinc :

1. Quando peccator *occultus* petit Sacramenta *Confirmationis*, *Eucharistiae* et *Extremae Unctionis,* in quibus minister est tantum *dispensator,* tunc vel petit *publice* vel *private.* — Si petit *publice*, concedenda sunt, licet ejus indignitas nota sit ministro; sive ne proximus infametur, exemplo Christi qui Judae communionem dedit, sive ne obveniant gravia scandala et incommoda : licitum est enim ex gravi causa alicui dare quod bonum in se est, licet ipse per accidens abuti velit. – Si vero petit *private,* et ejus indignitas est cognita aliunde quam ex confessione, deneganda sunt; quod si est cognita ex confessione concedenda sunt, nunquam enim uti licet scientia confessionis, imo in hoc casu nec licet peccatorem admonere, ne Sacramentum reddatur odiosum [1].

2. Quando autem peccator, licet occultus, petit Sacramentum *Baptismi, Poenitentiae* vel *Ordinis,* tunc minister cum sit etiam *judex* dispositionum subjecti horum sacramentorum, debet juxta eorum naturam positive inquirere de respectivis conditionibus, ut prudenter judicare possit de subjecti dignitate, qua deficiente, ipsum excludere debet.

De adsistentia ad Matrimonium dicetur ubi *de Matrimonio.*

214. — *Q.* Quid agendum in dubio de crimine vel de poenitentia ?

R. — 1. Si crimen est *certum* et poenitentia dubia, Sacramentum certe est denegandum donec non constet de poenitentia, quia possidet infamia.

2. Si autem crimen est *dubium,* tunc si agatur de Sacramentis in quorum administratione minister, ut nuper diximus, est *judex,* illa administrare nequit ; quia minister debet esse moraliter certus de dispositionibus suscipientis[2]. — Si vero agatur de aliis Sacramentis, minister nequit ea denegare ; quia in hoc casu fideles ad illa Sacramenta jus habent, et minister non est judex de eorum dispositioni-

palis custodienda, et tempore suo, data opportunitate, prudenter divulganda.

Quod si talis poenitens est in articulo mortis sufficit praedicta retractatio, dummodo sufficienter ante receptionem SS. Viatici publicetur. Et si nondum facta sit, sufficit ut fiat coram Confessario et duobus testibus, postea Episcopo tradenda et post mortem poenitentis notificanda.

Ceterum S. Poenitentiaria declaravit non convenire, casu quo talis poenitens praedictam retractationem nondum fecerit, ut ipsi Sacramenta *occulte* ministrentur, ne scandalum pusillorum fidelibus praebeatur, qui putarent talem poenitentem pertinacem esse in censuram incursam. *Monit. Eccl.*, vol. I, p. 191.

[1] S. Alph., Hom. Ap., T. XIV, 4.

[2] Indignis proxime accedunt qui ignorant quae scire debent. Hos minister dimittat, ut quantocius instructi redeant. Et si hoc non expedit, aut si non potest eos dimittere, edoceat. Quod si neque hoc potest, tunc si ignorant quae scire oportet necessitate *medii*, minister nunquam det Sacramentum; — si ignorant quae scire oportet necessitate *praecepti*, det si expediat; — si demum ignorant ea de quibus disputatur utrum scire debeant necessitate medii, an necessitate praecepti, minister dare potest tantum Baptismum et Poenitentiam sub conditione in articulo mortis. *D'Annibale*, III, 262.

—

bus, sed tantum *dispensator* Sacramenti [1].

215. — *Q.* Licet ne Sacramenta conferre indigno ob metum mortis, vel alterius gravis damni?

R. Si agatur de subjecto Sacramentis indigno quia *incapaci*, certe non licet, quia in hoc casu Sacramentum valide fieri non potest; ut, v. g., si cogaris Extr. Unctionem conferre sano, vel infanti.

Si vero agatur de subjecto tantum *indisposito*, certe non licet absolvere indispositum etiam ob metum mortis, quia in hoc casu non conficitur Sacramentum.—In aliis autem Sacramentis non licet si petantur in contemptum fidei vel religionis. Secluso hoc casu, an liceat, disput. Th.. Alii, inter quos S. Alph., negant quia esset directe cooperari sacrilegio, quod nunquam licet. Sed alii affirmant, quia minister confert opus bonum, quo alter bene uti potest, si velit. Et haec opinio ipsi S. Alph. olim probabilis visa fuit, et certe sua probabilitate, saltem ob extrinsecam plurium Th. auctoritatem, non caret [2].

CAPUT VI

De caeremoniis Sacramentorum.

216. — *Q.* Quid sunt caeremoniae Sacramentorum?

R. Caeremoniae Sacramentorum definiri solent: *Ritus externi religionis a legitima auctoritate instituti.* Caeremoniae aliae sunt *divinae*, aliae *ecclesiasticae*, prout a Christo vel ab Ecclesia institutae sunt; — aliae *essentiales*, quae ad essentiam rei pertinent, uti materia et forma in Sacramentis; — aliae *accidentales*, quae solum ad ornatum rei conferunt, uti genuflectere, benedicere, etc.

217. — *Q.* Ecclesia habet ne potestatem caeremonias instituendi?

R. Ecclesia potestatem habet caeremonias *non essentiales* instituendi, vel mutandi. Propositio est contra Valdenses, Wiclephitas, Lutheranos et Calvinistas, qui contrarium asserebant. « Declarat (S. Synodus), ait Trid., hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensationem, salva illorum substantia, ea *statueret vel mutaret* quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret ». Sess. 21, c. 2.

Probatur: — 1. *Ex S. Scriptura.* S. Paulus [3], postquam Corinthios docuit modum Eucharistiae celebrandae, concludit: *Cetera autem, cum venero, disponam.* Ex his verbis patet Apostolis, et consequenter Ecclesiae, datam fuisse potestatem ea ordinandi quae ad Eucharistiae et aliorum Sacramentorum administrationem spectant. Ergo.

2. *Ex Traditione.* S. Augustinus docet sua aetate jam ubique obtinuisse morem Eucharistiae nonnisi a jejunis sumendae. Tertullianus et S. Cyrillus Hierosol. varios recenset ritus ad Baptismum et Eucharistiam pertinentes. Antiquissima etiam habemus Euchologia et Ritualia Ecclesiae sive Latinae sive Graecae. Ergo.

3. *Ratione.* Omnis societas bene ordinata potestatem habet ea sta-

[1] S. Alph., L. VI, 43, 48.
[2] S. Alph., L. VI, 49.
[3] 1ª Cor. XI, 34.

tuendi quae ratione rerum, temporum et locorum ad bonum ipsius societatis conferunt. Atqui Ecclesia catholica est societas perfecte ordinata ad bonum spirituale fidelium. Ergo potestatem habere debet instituendi vel mutandi caeremonias et ritus prout illos necessarios et utiles judicat.

218. — *Q.* 1° Caeremoniae in administratione Sacramentorum suntne praeceptivae; 2° quomodo peccat qui eas omittit, vel mutat?

R. Ad 1um: Caeremoniae *praeceptivae* sunt; sic enim definivit Trid.: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anath. sit* [1].

Ad 2um: Minister qui, secluso casu necessitatis (nempe quando adest causa Sacramenta sine solemnitate administrandi), caeremonias omittit vel mutat certe peccat et quidem mortaliter si hoc facit ex contemptu, vel cum gravi scandalo, vel in re gravi aut praecepta sub gravi, secus veniaaliter tantum.

Ex his merito infertur usum Ritualis Romani in administratione Sacramentorum esse de praecepto. Summopere itaque cavendum est ne adhibeantur formulae, quas non constet in ipso Rituali inveniri, aut a S. R. C. approbatas fuisse.

219. — *Q.* Caeremoniae sunt ne utiles?

R. Caeremoniae quam maxime utiles sunt. Hinc Rit. Rom. praescribit ut minister caeremonias ac ritus *ita decenter, gravique actione peragat, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat.* Caeremoniae enim, ait Catech. Rom., si debita gravitate et pietate peractae sint, mentes fidelium, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimem rerum cognitionem erigunt, fidemque in eis et pietatem excitant. Quare a Parochis et a Praedicatoribus maxima cura et diligentia adhibenda erit, ut fideles vim caeremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant. Oportet ergo ut Ministri caeremonias et ritus praescriptos praesertim a Rit.Rom. et a Missali Rom. apprime sciant, et congrua pietate in praxi absolvant; si secus fecerint, caeremoniae institutae in religionis decus a pluribus converterentur in scandalum et in religionis contemptum [2].

[1] Sess. VII, c. XIII.

[2] Sapienter autem Ecclesia Romana in sua Liturgia usum linguae latinae retinuit; nam secus cessaret ea uniformitas idiomatis in toto orbe terrarum in ritibus celebrandis quae nunc adeo spectabilem Ecclesiam Romanam reddit. Praeterea si adhiberetur lingua vulgaris, tot Ritualia necessaria forent quot nationes, et pene dixerim quot dioeceses, eaque, quod pejus est, continuo immutanda essent prout indesinenter vulgares linguae immutantur, non solum cum jactura illius admirabilis unitatis linguae in toto orbe terrarum, sed etiam cum evidenti periculo, in illa varietate linguarum, alicujus mutationis vel etiam erroris essentialis. Illi autem unico incommodo, quod populus linguam latinam non intelligit, alia via occurri potest sive per rituum explicationem quae in Ecclesiae a Parochis et Praedicatoribus fit, sive etiam per libros qui ritus et preces liturgicas lingua latina simul et lingua vernacula continent, et sic ritus ac preces ab omnibus intelligi possunt.

—

APPENDIX

DE SACRAMENTALIBUS

220. — *Q.* Quid sunt sacramentalia ?

R. Sacramentalia sunt *quaedam res aut actiones ab Ecclesia institutae vel consecratae, ad Deum colendum, et ad quosdam effectus spirituales producendos.*

Sacramentalia sic dicuntur sive ob quamdam similitudinem quam cum Sacramentis habent, sunt enim signa sensibilia gratiam significantia, et ad effectus quosdam spirituales producendos destinata; sive quia, ut docet S. Thomas, [1] sunt dispositiones quaedam ad Sacramenta, vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias daemonum et contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad Sacramenti perceptionem, sicut consecratur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiae.

221. — *Q.* Quot sunt sacramentalia ?

R. Sacramentalia sex communiter enumerantur hoc versiculo comprehensa:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans, seu oratio Dominicalis, et preces ab Ecclesia praescriptae, praesertim publicae; — *tinctus,* seu assumptio et aspersio aquae benedictae; — *edens,* seu comestio panis benedicti; — *confessus,* seu confessio *(Confiteor)* quae fieri solet in missa et officio; — *dans,* seu eleemosyna: multi tamen volunt ut haec eleemosyna ab Ecclesia praescribatur, et ejus nomine fiat, quae conditio sacramentalium definitioni omnino consentanea videtur; — *benedicens* seu benedictio palmarum, cinerum, etc.

222. — *Q.* Quaenam origo sacramentalium; et quinam eorum effectus ?

R. Sacramentalium *origo* antiquissima est, et ad Apostolos ipsos ascendit, unde ipsa plurimi facienda sunt; afferunt enim plura beneficia sive spiritualia, sive corporalia.

[1] P. 3, q, 65, a. 1, ad 6.

Sacramentalium *effectus* sequentes praecipue sunt: 1° peccata venialia remittunt[1]; 2° poenam temporalem peccato debitam relaxant; 3° daemones expellunt vel cohibent; 4° gratiam sanctificantem augent, non quidem ex opere operato, sed ut communius docent Th. *ex opere operantis, et per modum impetrationis*, quatenus per illa motus in nobis excitantur vel doloris, vel caritatis, vel reverentiae et devotionis in Deum, etc., quibus venialia delentur et gratia augetur. Hos autem pios motus sacramentalia excitant non solum *objective*, sicut cruces, imagines, etc., sed etiam *impetratorie*, quatenus adhibentur nomine Ecclesiae, quae majorem vim habet impetrandi quam persona particularis; saepe enim Princeps precibus totius communitatis concedit quod uni vel alteri denegat.

Spectat autem ad Pastores et Sacerdotes christianos edocere quae sit Sacramentalium virtus, eos excitare ad Sacramentalia frequentanda, et haec conficere vel distribuere qua par est sollicitudine et pietate.

—

[1] *Triplici* ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: *uno modo*, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiae tolluntur peccata venialia; et hoc modo per Eucharistiam et Extremam Unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur;—*secundo*, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum, nam in oratione dominica petimus: *Dimitte nobis debita nostra;—tertio modo*, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum, et ad res divinas; et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. S. Th. p. 3, q. 87, a. 3.

DE BAPTISMO

Quinque capitibus hic de Baptismo Tractatus conficitur : 1. de Baptismi natura, institutione, necessitate et effectibus ; 2. de materia et forma ; 3. de ministro ; 4. de subjecto ; 5. de ritibus et caeremoniis.

CAPUT I.

De Baptismi natura, institutione, necessitate et effectibus.

ART. I.

De baptismi natura.

223. — *Q.* Quid est Baptismus, et est ne Sacramentum ?

R. Baptismus, a graeca voce βαπτιζω nempe abluo, lavo, definiri potest : *Sacramentum N. L. quo per exteriorem corporis ablutionem, sub praescripta verborum formula, homo spiritualiter regeneratur* [1].

Baptismus esse verum Sacramentum de fide est, ut constat ex canone Trid. superius relato (n. 163). Et sane in eo tria requisita concurrunt ad verum Sacramentum : 1° *signum sensibile,* nempe ablutio ; 2° *divina institutio* saltem promulgata illis verbis : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. ; 3° *gratiae significatio et collatio : Nisi quis renatus fuerit,* etc. [2]. Ergo. — Ceterum etiam Novatores Baptismum uti verum Sacramentum admittunt.

224. — *Q.* Quotuplex Baptismus distinguitur ?

R. Baptismus triplex distinguitur, fluminis, flaminis et sanguinis.

Baptismus *fluminis,* seu aquae ille est cujus nuper definitionem dedimus, et est Baptismus proprie dictus, quia ipse solus est verum Sacramentum, ipsumque semper intelligimus quoties sine alio additamento loquimur de Baptismo.

Baptismus *flaminis,* seu desiderii, ait S. Alph., est perfecta conversio ad Deum per contritionem vel amorem Dei super omnia, cum voto explicito vel implicito veri Baptismi fluminis, cujus vices supplet ; unde sufficit votum implicitum contentum in illa dispositione ea omnia faciendi quae Deus statuit [3]. Doctrina autem catholi-

[1] Baptismus a S. Scriptura et a Ss. Patribus aliquando appellatur *lavacrum aquae,* quia administratur aqua abluendo corpus baptizandi ; *lavacrum regenerationis,* quia hominem regenerat ad vitam spiritualem ; *Sacramentum fidei* vel *illuminatio,* quia in Baptismo infunditur habitus fidei, quo homines spiritualiter illuminantur ; *sigillum, obsignatio, signaculum,* quia sacrum characterem imprimit.

[2] Jo. III, 5.

[3] Igitur ut baptismus *flaminis* sufficiat ad justificationem duo simul requiruntur : 1. ut baptismus quam primum fieri possit realiter suscipiatur : hoc enim

ca docet homines etiam per Baptismum flaminis salvari posse [1].

Baptismus *sanguinis* seu martyrium est sanguinis effusio seu mors tolerata pro fide, aut pro alia virtute christiana : et tali baptismo homines etsi infantes salvari posse sine temeritate negari nequit.

Baptismus sanguinis in infantibus occisis in odium Christi vel fidei gratiam confert *quasi ex opere operato,* ut Sacramentum Baptismi. — An idem dicendum sit de adultis, disputant Th.. Alii dicunt martyrium in adultis gratiam conferre etiam ex opere operato ; sed alii cum S. Th. et S. Alph. dicunt conferre gratiam solum ex opere operantis. Et disputant etiam an pro martyrio requiratur contritio de propriis peccatis, vel sufficiat sola attritio [2]. Sed quidquid sit, conveniunt Th. quod adultus qui ad martyrium ducitur, si Baptismi Sacramentum antea recipere nequit, se se ad perfectam contritionem excitare debet, ne periculo damnationis se exponat [3].

Nota : Inter Baptismum fluminis et baptismata flaminis ac sanguinis hoc intercedit discrimen : solus baptismus fluminis est verum Sacramentum; baptismata vero flaminis et sanguinis, licet vices suppleant veri Baptismi quoad justificationem, tamen non sunt Sacramenta, unde nec imprimunt characterem , nec hominem reddunt capacem ad alia Sacramenta suscipienda. Insuper baptismus fluminis delet etiam omne reatum poenae ; e contra baptismus flaminis non semper hoc reatum delet ; sed id tantum obtinet, si tantam intensitatis vim habuerit, ut ipse ille actus poenis alioquin sustinendis aequivaleat. At baptismus sanguinis secundum Th. hanc praerogativam habet, ut id omne homini conciliet quod requiritur ut et culpae et poenae omnis remissionem accipiat [4].

Art. II.
De baptismi institutione et necessitate.

225.—*Q.* Quid de institutione Baptismi et de ejus obligatione?

R. Baptismum *institutum* fuisse immediate a Christo conveniunt et ipsi Novatores : disputatur tantum de *tempore* institutionis. Alii censent institutum fuisse a Christo post resurrectionem suam, cum Apostolis dixit : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes*, etc. — Alii cum Christus dixit Nicodemo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc. Alii cum Christus primum miserit discipulos ad praedicandum et baptizandum in Judaea [5]. — Alii

importat ipsa natura voti; 2. ut tale votum baptismi conjunctum sit cum contritione perfecta, haec enim est conditio sine qua non justificatur impius si sacramentum non suscipit : unde sola attritio (ait Croix L. VI, p. I. Tr. II, c. 1, n. 244), etiam cum expresso voto baptismi , non sufficit, quia non justificat sine sacramento seu baptismo.

[1] Trid. Sess. VI, cap. IV.

[2] S. Alph., L. VI, 98 — Verius sufficit attritio, alias in quo a baptismo flaminis distat ? Sane martyrium aut pro baptismo est aut non : si primum etiam adultis , sin alterum nec infantibus gratiam confert. *D' Annibale,* III, 278 (81).

[3] De illis qui in servitio pestiferorum ex caritate moriuntur dicit martyrol. Rom. 28 febr. : *quos velut martyres religiosa fides venerari consuevit* : et refert S. Alph. quod 12 Academiae , 13 Cardinales , et plusquam 300 Auctores ipsos tenent esse veros Martyres. Dulcissima sententia pro iis qui tempore pestis curae infirmorum se devovent! S. Alph., L. VI, 96, 98, 100.

[4] *Lehmkuhl,* II, 57.

[5] Matth. X, 5.

vero cum Christus fuit in Jordane a Joanne baptizatus; et haec postrema sententia est Catechismi Rom., S. Augustini et D. Th. [1], qui ita loquitur: « Tunc videtur aliquod Sacramentum institui quando accipit virtutem producendi suum effectum; hanc autem virtutem accepit Baptismus quando Christus est baptizatus; unde tunc vere Baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum Sacramentum ».

Ejus *obligatio* juxta probabiliorem sententiam coepit post sufficientem Evangelii promulgationem; nam cum lex Baptismi positiva sit, obligare nequit, nisi sit sufficienter promulgata. Unde Trid. [2], agens de justificatione impii (quae est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam J. Ch. Salvatorem nostrum), addit: « quae quidem translatio, *post Evangelium promulgatum*, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest ».

226.—*Q.* Quaenam necessitas Baptismi?

R. Baptismus, post sufficientem Evangelii promulgationem, necessarius est omnibus hominibus, et quidem *parvulis* necessarius est necessitate medii in re, nisi ejus vices suppleat Martiryum; *adultis* autem necessarius est vel in re, si recipi potest, vel in voto, et hoc tum necessitate, medii tum necessitate praecepti: quisquis enim ex praecepto divino tenetur ad id sine quo salutem aeternam consequi nequit.

Hoc de fide est ex Trid.: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anath. sit* [3].

Probatur insuper: **1.** *Ex Scriptura.* — Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei* [4]. Haec Christi propositio utpote universalis negativa, nullam patitur exceptionem; ergo omnes homines sive adultos sive parvulos comprehendit.

2. *Ex Ss. Patribus.*—Tertullianus docet: *Nemini sine Baptismo competere salutem.* S. Ambr. verba Christi expendens ait: *Utique nullum excipit Christus, non infantem, non aliqua praeventum necessitate.* Et S. Aug.: *Si vis esse catholicus, noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur morte praeventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum.* Plura Ss. Patrum testimonia non profero, cum Calvinus et alii Novatores ingenue fateantur Ss. Patres sibi habere contrarios.

3. *Ratione theol.* — Nemo potest salutem consequi nisi fuerit membrum Christi: atqui nemo fit membrum Christi nisi per Baptismum in re; vel saltem in voto susceptum. Ergo [5].

[1] P. 3ª, q. 66, a. 2.
[2] Sess. VI, c. IV.
[3] Sess. VII, c. V.
[4] Jo. III, 5.
[5]. *Ob* 1° Haec Christi verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis... non habebitis vitam in vobis*, nullam innuunt necessitatem medii pro infantibus; ergo nec ista: *Nisi quis renatus fuerit*, etc.— 2° Ap. Paulus de filiis fidelium scribit: *Filii vestri.... nunc autem sancti sunt, quia si radix sancta, et rami.* Rom. XI, 16; ergo. — 3° In lege naturae et lege scripta ad salutem parvulos sufficiebat parentum fides; ergo et in lege nova sufficere debet.

R. Ad 1ᵘᵐ. In iis quae a voluntate Christi pendent, quaenam sit ejus voluntas patet tum ex Scriptura, tum ex Traditione. Atqui tum Scriptura, tum Traditio

227. — *Q.* Baptismus potest ne differri?

R. Quoad Baptismum *parvulorum*, Rit. Rom. sic ait: *Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, ea qua decet christiana modestia sine pompae vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetae caeremoniae ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione.*

Quare peccant parentes si absque justa causa diutius differant infantes ad Ecclesiam deferre. Quaenam vero dilatio sit culpa gravis ex circumstantiis dijudicandum est, nempe ex qualitate periculi in infante, et ex gravitate causae in parentibus. Nonnulli Th. tenent, quod, secluso probabili periculo mortis, vel speciali alicujus Dioecesis constitutione, non esse peccatum grave differre baptişmum infantis etiam ad longum tempus; sed communius et probabilius dicunt esse peccatum grave baptismum differre ad notabile tempus, nempe ad 10, vel 11 dies, vel ad summum ad 15 vel 20 dies [1].

Quoad Baptismum *adultorum* ipse est differendus ad arbitrium Episcopi, ut infra dicetur n. 244.

Art. III.

De baptismi effectibus.

228. — *Q.* Quinam effectus Baptismi?

R. Octo numerantur Baptismi effectus: 1° remissio peccati sive originalis, sive actualis, si adsit; 2° remissio totius poenae aeternae et temporalis, ideo grave est Baptizatis satisfactionem imponere; 3° infusio gratiae sanctificantis, cum virtutibus et donis ei adnexis; 4° collatio gratiae sacramentalis; 5° impressio characteris; 6° incorporatio cum Christo cujus cohaeredes per ipsum reddimur; 7° jus ad alia Sacramenta suscipienda, et subjectio jurisdictioni Ecclesiae; 8° cognatio spiritualis.

illa verba: *Nisi manducaveritis*, etc. de necessitate praecepti habet; alia vero verba: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., habet de necessitate medii, ergo. Praeterea: Eucharistia instituta est per modum cibi, ergo iis tantum necessaria est qui cibi capaces sunt, nempe adultis: e contra Baptismum institutus est per modum regenerationis, et sicut omnes nascuntur natura filii irae, ita omnes aqua et Spiritu S. renasci debent: ergo Baptismus omnibus, sive adultis sive parvulis, necessarius est. — Ad 2um. Ap. Paulus filios fidelium vocat *sanctos*, eo modo quo ibi dicitur quod *sanctificatur vir per mulierem fidelem*, et vicissim. At vero vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, nempe vir per exempla virtutum, per exhortationes et instructiones mulieris fidelis, ad Baptismum et veram sanctitatem inducitur; ergo et filii fidelium sancti vocantur quatenus cura et diligentia parentum ad Baptismum offeruntur, et in Christiana religione educantur, et sic sancti evadunt. — Ad 3um. In lege naturae et lege scripta, juxta communiorem et veriorem sententiam, ad salutem parvulorum non efficiebat sola parentum fides sed requirebatur aliquod signum sensibile hujus fidei, hoc vero signum sensibile facilius adhibetur in lege nova quam in veteri; ergo.

[1] S. Alph., L. VI, 119. — In Dioecesi Taurinensi, *Baptismus post septimum diem infantibus dilatus, culpa parentum*, est peccatum reservatum 2ae Classis. — In dioec. vero Neapolitana: « *excommunicatione* latae sententiae Ordinario simpliciter reservata afficiuntur parentes, qui a Parocho admoniti in casibus particularibus de prole baptizanda, hoc gravissimum officium neglexerint, atque ultra octo dies a Parochi monitu computandos Baptismum distulerint ». — Casus VII secundae classis.

229. — *Q.* Est ne de fide per Baptismum tolli reatum sive culpae sive poenae cujuscumque peccati?

R. Est de fide: *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anath. sit* [1].

Et sane, *ex S. Litteris* nota sunt verba S. Petri [2]: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum;* et Ananias ad Saulum: *Baptizare et ablue peccata tua.* Et Paulus ipse, postquam de Baptismo locutus est, concludit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* [3].

Nec minus luculenter eadem veritas patet sive *ex Traditione,* sive *ex Ecclesiae praxi.* S. Aug. Ait: *In regeneratione non solum originalium, sed etiam voluntariorum peccatorum fit remissio.* Et S. Hier.: *Omnia in Baptismate condonata sunt crimina.* Ecclesia vero in symbolo Nicaeno canit: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Poenitentia autem quae in adultis requirebatur non erat uti causa instrumentalis gratiae, sed tantum uti *dispositio* necessaria, ne infusioni gratiae obex poneretur.

Quod si in baptizatis remanent quaedam *poenalitates*, quae effectus sunt peccati, ut ignorantia, concupiscentia, dolores, mors, etc., hoc Christus voluit sive ut Ipsi patienti conformes simus in hac vita, sive ut materiam virtutis haberemus ex qua deinde uberiorem gloriae fructum consequeremur, sive quia Ipse per Baptismum hominen tantum a statu naturae lapsae erigere voluit, non vero restituere naturam sauciatam pristinae integritati [4].

CAPUT II.

De materia et forma.

ART. I.

De materia.

230. — *Q.* Quaenam materia Baptismi?

R. Materia *remota* Baptismi est omnis et sola aqua naturalis.

Veritas de fide est: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C.*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., *ad metaphoram aliquam detorserit; anath. sit* [5].

Probatur: Christus ipse aquam Baptismi debere esse naturalem demonstravit dum ea usus est: *Post haec,* inquit Joannes, *venit Jesus et discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat* (nimirum per discipulos). *Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquae multae erant illic* [6]. — Apostoli quoque praecepto Christi obsequentes sola aqua naturali usi sunt: *Ecce aqua,* sic Eunuchus Philippo Diacono, *quid prohibet me*

[1] Trid., Sess. V, c. 5.
[2] Act. Ap. II, 38.
[3] Rom. VIII, 1.
[4] In statu innocentiae istae poenalitates nullatenus erant, sed hoc ex virtute doni integritatis; igitur amisso integritatis dono per peccatum Adae, iis in statu naturae lapsae subjicimur in poenam peccati originalis. Unde ut distinguantur a *poenis* quae propter peccata personalia incurruntur, a Th. nomine *poenalitatum* designantur.
[5] Sess. VII, c. II, De Bapt.
[6] Jo. III, 22, 23.

baptizari? [1]. — Patres quoque constanter docuerunt aquam naturalem necessariam esse Baptismi materiam ; unde S. Aug.: *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo : tolle aquam, non est Baptismus, tolle verbum, non est Baptismus.* Ecclesia autem semper in aqua naturali baptizavit, et ipsam esse necessariam semper affirmavit : Ergo.

Cur autem Christus aquam uti materiam Baptismi instituere voluit, S. Th. triplicem rationem congruentiae affert : 1° maxima commoditas aquae ; 2° ejus facillimus usus ; 3° aptitudo ad significandum effectum, qui est emundatio a peccato [2].

231. — *Q.* Quenam materia remota *valida* Baptismi ?

R. Materia remota *valida* Baptismi est sola aqua quae communi hominum aestimatione sit naturalis et usualis. Porro :

1. Materia certe *valida* est aqua quae scatet e terra, uti aqua putei, maris, paludis, vel quae cadit e coelo, uti pluvia ; vel aqua ex nive, glacie, grandine soluta, licet per accidens quoad colorem, saporem et odorem alterata sit, ut aqua sulphurea. Item materia certe valida est aqua naturalis, cui alius liquor adjunctus fuit in minori quantitate, ita ut usum communem et aestimationem aquae naturalis retineat [3].

2. Materia certe *invalida* est quae ab aquae natura totaliter declinat, uti sudor, saliva, lacrymae, lac, sanguis, vinum etc.. Et etiam invalida materia esset aqua ipsa naturalis si adeo corrupta sit, ut juxta prudentis hominis judicium non amplius aqua dici possit.

3. Materia vero *dubia* est quae cum aqua naturali quamdam habet affinitatem, ut aqua ex sale soluta, aqua arte chymica educta ex floribus, fructibus, herbis, aqua ex vite vel arboribus sponte fluens, cerevisia tenuis, tenue atramentum, lixivium [4] ; sic materia dubia est potio ex faba americana (*caffè*) ; sic jusculum tenuiter ex carne decoctum, si ex S. Aph. (L. VI, 102) est materia valida, juxta

[1] Act. Ap. VIII, 36.

[2] Neque opponat quis illa Joannis Bapt. verba : *Ego baptizo vos in aqua... Ipse vos baptizabit in Spiritu S. et igni* (Matth. III, 11) ; nam Christi Praecursor non opposuit Baptismum suum Baptismo Christi quoad materiam, sed solum quoad virtutem et efficaciam, quatenus nempe Baptismus Christi non solum corporis sordes exterius extergeret, sed etiam animi labes interius ablueret, infundendo Spiritum S.. *et igne caritatis* inflammando. Ceterum licet aliquando vox aquae imo et Baptismi in Scripturis metaphorice sumatur, tamen in subjecta materia, relate ad Baptismum, illa vox aquae semper in sensu naturali ab universali Ecclesia accepta fuit ; ergo.

[3] Quaesitum fuit: 1° Utrum valide baptizetur cum aqua quae etsi suam liquiditatem omnino servet, magnum tamen et valde injucundum foetorem exhalat ? — 2° Utrum, posita validitate Baptismi cum tali aqua, et altera bona cum sacro Chrismate foecundata non habeatur, melius sit uti ista aqua putida, quam aqua pura et naturali Chrismate non foecundata ?

C. S. O. respondit: Ad 1um. Baptismum collatum cum aqua corrupta esse validum, sed illicitum extra casum necessitatis. — Ad 2um. In casu necessitatis praeferendam aquam naturalem ; sed providendum renovatione aquae Fontis Baptismalis; juxta Rit. Rom. — Die 17 apr. 1839.

[4] An glacies, vel nix, vel grando non soluta sit materia a p t a, plures cum D' Annibale (III, 271) negant, quia etsi materia ex calore capitis ejus qui baptizatur subinde resoluta fluat, non fluit tamen ex actione ministri ; sed alii dicunt esse materiam dubiam, ideoque posse in necessitate adhiberi sub conditione. Cf. S. Alph., L. VI, 104, d. 4.

—

alios est materia dubia, quia haec omnia etsi quamdam affinitatem cum aqua naturali habeant, non habent tamen ejus speciem vel usum : ideoque omni hujusmodi materia dubia nonnisi in necessitate et sub conditione uti licebit.

232. — *Q.* Quaenam materia remota *licita* Baptismi ?

R.—1. Materia remota *licita*, in Baptismo *solemni* extra casum necessitatis, est sola aqua baptismalis sacro chrismate foecundata juxta ritum Ecclesiae ; ita ut ex communi sententia peccaret mortaliter qui in tali Baptismo alia aqua uteretur. Hinc Rit. Rom. ait: *Aqua solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quae in fonte munda nitida et pura diligenter conservetur ; et haec, quando nova benedicenda est, in Ecclesiae vel potius Baptisterii sacrarium effundatur.* [1]

2. An vero in Baptismo *privato*, sed extra casum necessitatis, sub gravi adhibenda sit aqua baptismalis, disputant Th.. Alii affirmant : sed alii probabilius negant, vel levem tantum culpam agnoscunt.

3. Quod si ex necessitate domi Baptismus privatus conferendus sit, tunc quavis aqua naturali uti licebit : sed conveniunt Th. quod curari debet ut Baptismus fiat aqua benedicta, seu lustrali, si habetur, ad majorem decentiam. Peccaret autem graviter ob irreverentiam qui, etiam in casu necessitatis, uteretur aqua turbida, impura, faeculenta, vel mixta alii substantiae, si alia aqua commode haberi possit [2].

233. — *Q.* Quenam materia proxima Baptismi ?

R. Materia *proxima* Baptismi est ipsa ablutio, quae triplici modo fieri potest : immersione, infusione, et aspersione. Quocumque modo Baptismus conferatur validus est, sed sub gravi servari debet modus in unaquaque Ecclesia usitatus, qui modus penes nos est infusio [3].

Hujusmodi vero infusio ita fieri debet ut — aqua successivo motu (quae nempe fluat), — capiti ap-

[1] Rit. Rom. autem docet quid Sacerdos agere debet si aqua baptismalis deficiat, vel corrumpatur, vel congeletur :

Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. — Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula quae (infra in eodem Rit. Rom.) habetur. — Sed si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat; sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

[2] S. Alph., L. VI, 102, 3; Génicot, 134. — Licitum est aqua etiam gelida, si alia haberi non possit, puerum mox moriturum baptizare, etiamsi timeretur ex hoc mors acceleranda ; quia tunc mors non eveniret per se, sed per accidens, cum talis actio per se non tendat ad occisionem, sed ad ablutionem. Ita Th. communiter. At grave esset puerum in flumen projicere ad eum baptizandum quamvis sit mox decessurus, quia hoc esset eum directe necare. S. Alph , L. VI, 106.

[3] Convenienter in Ecclesia Latina substitutus fuit Baptismo per immersionem Baptismus per infusionem : 1° ob periculum suffocationis, aut gravis nocumenti in immersione infantium ; 2° causa facilius et securius servandi leges pudicitiae et gravitatis in baptismo mulierum ; 3° ob cessationem generalem baptismi adultorum et indulgentiam servari solitam erga debiles quales sunt omnes infantes ; 4° ob periculum corruptionis aquae et sordium.

plicetur, — per actionem ministri verba proferentis ; igitur infusio ita fieri debet :

1. Ut aqua *successivo motu* applicetur. Hinc Th. communiter dicunt quod ad baptismum non sufficit una vel altera gutta, praesertim si non fluat, quia ad baptizandum opus est ut aqua sit in tali quantitate, ut ejus infusione corpus hominis vel ejus pars moraliter ablui dicatur ; si autem fluat tunc controvertitur. — *Item* dubius est baptismus collatus motu *unius* digiti madefacti, quia dubium adesset an haec sit vera ablutio [1] ; sed communis sententia cum S. Alph. validum tenet [2].— Validus vero certe esset, si quis non unum sed *omnes* digitos intinctos aqua duceret super pueri frontem formam pronuncians ; quia, quum digiti vere deferant aquam, vera ablutio habetur [3]. — Item validum esset baptisma si facies *tergatur* manibus aqua madefactis, quia vera habetur ablutio. — Invalidum e contra si collatum madefactae manus *applicatione*, quia in hoc casu nulla adesset lotio seu ablutio [4].

2. Ut aqua *capiti* applicetur. Hinc *dubius* esset Baptismus si conferatur in alia parte principali quam in capite, puta in scapulis, humeris, vel pectore ; quia, licet communissima sententia validum teneat, nonnulli tamen negant, unde, ait S. Alph., quisquis alibi quam in capite baptizatus fuerit, rebaptizandus est sub conditione. — *Item* dubius esset Baptismus si crines tantum sint tincti ; vel si infans tinctus sit involutus adhuc secundinis suis, idest pellicula corpori annata. — *Invalidus* autem certe esset Baptismus si nulla infantis pars immediate tangatur, vel ejus vestes tantum aspersae sint [5].

3. Ut aqua applicetur *per actionem ministri verba proferentis*. Hinc invalidus esset Baptismus si quis se ipsum baptizaret, quia minister debet esse distinctus a subjecto. — Item si quis materiam applicet et alter formam proferat. — Item si quis formam proferat, dum alter in flumen se conjicit, vel ab alio dejicitur, vel casu decidit. — E contra validus erit si quis puerum baptizaverit ipsum supponendo aquae dum e tecto casitat, vel quo ex alio loco defluit, siquidem aqua naturaliter casitat, vel defluit ; in hoc enim casu ille solus abluit. — Quod si quis puerum in flumen projiciat, formam interim pronuntians, baptismus dubius erit [6].

Rit. Rom. vero haec habet : *Sacerdos vasculo seu urceolo accipit*

[1] *D' Annibale*, III, 271.

[2] S. Alph., L. VI, 107, q. 6.

[3] Casus — Lucia puerum antea natum periclitantem mori baptizavit domi hoc modo : intinctos aqua digitos ducebat super pueri frontem, interea pronuncians : *ego te baptizo*, etc. — *Q.* An talis Baptismus validus censendus sit? *R.* Est validus; nam quum digiti vere deferant aquam, quae proinde ducitur super pueri frontem, fit ut vera ablutio habeatur, sicuti habetur vera ablutio quum manibus aqua madefactis tergitur facies. Neque obest quod talis Baptismus non sit conformis consuetudini Ecclesiae ; etenim hic non quaeritur utrum talis Baptismus in praxi ponendus sit, sed tantum utrum validus censendus, si alicui hoc modo fuerit administratus, et respondetur affirmative, quia in eo verae ablutionis ratio salvatur. Bened. XIV, Casus Consc., mense jan. 1789.

[4] *D' Annibale*, III, 271,

[5] S. Alph., L. VI, 105, 4 ; 107.

[6] S. Alph,, L. VI, 106 ; *D' Annibale*, III, 271 (15).

—

aquam baptismalem, et de ea ter fundit supra caput infantis in modum Crucis et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit : N. ego te baptizo in nomine Patris † *fundat primo*, et Filii † *fundat secundo*, et Spiritus † Sancti *fundat tertio.*

Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, et advertens ne laedatur, caute immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit : N. Ego te baptizo, etc.

234. — *Q.* Ad Baptismum requiritur ne trina infusio, vel trina immersio ?

R. Quoad *validitatem*, nulli dubium validum esse Baptismum per unam infusionem vel immersionem collatum, ut omnes docent Th.

Quoad *liceitatem* vero an ritus a Rit. Rom. praescriptus, seu trina aquae infusio, vel trina immersio, extra casum necessitatis, servari debeat sub gravi, disput. Th.. S. Alph. verius affirmat, quia hujusmodi ritus, ratione mysterii SS. Trinitatis quod exprimit, est materia satis gravis [1].

Art. II.

De forma.

235. — *Q.* Quaenam forma Baptismi?

R. In Ecclesia latina vera et legitima forma Baptismi haec est : *N., ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*Ita definitum fuit a Trid. [2]. — In ecclesia graeca haec est : *Baptizatur servus Christi in nomine,* etc. Haec forma est valida, sed in sola Ecclesia graeca licita.

Ad validitatem Baptismi certum est requiri verba : *Te baptizo in nomine*, etc., et propositio contraria damnata est. Hinc ut Baptismus validus sit, quinque exprimi debent : 1° minister ; 2° subjectum ; 3° ablutio ; 4° unitas Dei; 5° trinitas Personarum.

1. *Minister*, seu persona baptizans, quae saltem implicite exprimenda est: unde pronomen *Ego* in aliquibus idiomatibus est essentiale, accidentale in aliis. Hinc omittere *Ego* in lingua latina, aut *Io* in italica, juxta communem sententiam est s o l u m culpa levis ; item si loco *ego* dicatur *nos.*

2. *Subjectum*, seu persona baptizanda : unde invalidus esset baptismus si quis prorsus omitteret pronomen *te* ; e contra valeret si aliquid aequivalens substitueretur, e. g. nomen infantis.

3. *Ablutio*, et quidem naturalis seu actio baptizandi ; quare invalidus esset Baptismus si exprimeretur tantum voluntas baptizandi, non ipsa ablutio actualis : valeret tamen si pro verbo *baptizo* aliquid equivalens poneretur, e. g. *lavo , abluo ;* quando vera lingua vernacula adhibetur, tutius est servare vocem a latino verbo derivatam, uti italice *battezzo.*

4. *Unitas Dei*, quae habetur per verba *in nomine :* unde invalidus esset baptismus si dicatur : *in nominibus Patris*, etc. — Attamen o-

[1] S. Alph., L. VI, 117, q. 5.

[2] Sess. VII, c. IV.— Sequens dubium S. R. C. propositum fuit : Plures Th., inter quos S. Alph M. de Lig., L. VI, n. 3, sentiunt veniale esse omittere *Amen* in fine formae Baptismi, quae tamen vox non reperitur in Rit. Romano. Hinc quaeritur : num ea adibenda sit, vel omittenda? — Responsum fuit: *Strictim in casu servetur Rituale Romanum ;* quam decisionem approbavit Pius IX. (S, R.C.9 jun. 1853, n. 3014 ad 2). Permitti tamen potest ut Patrinus *Amen* dicat.

missa particula *in*, si constat omissionem non procedere ab errore circa fidem, Baptismus validus est (S. C. C. 12 sept. 1801); secus talis omissio juxta plures aliquod dubium circa valorem inducit; unde omittere particulam *in* non potest excusari a mortali.

Forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti*, probabilius valida est; quia repetitio nominis ex se non mutat sensum, et S. U. I. C. pluries eam ratam habuit; sed plures negant, quia hac forma minus exprimitur Personarum unitas in essentia divina, unde Baptismus esset dubius[1]. — Sic an validus sit Baptismus hac forma: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti*, Th. probabilius affirmant, quia sensus formae essentialiter non mutatur; sed alii dicunt esse dubium, quia Unitas divinae essentiae non satis exprimi videtur [2].

5. Denique *Trinitas Personarum*, idque explicite et distincte. Unde invalidus, saltem probabilius, esset Baptismus collatus *in nomine Christi*, vel *in nomine SS. Trinitatis*, quia in primo casu deest Trinitas Personarum, et in secundo non sat distincte exprimuntur singulae Personae SS. Trinitatis, siquidem vox Trinitas confuse tantum et implicite Personas significat; Christus autem, ut ex Evangelio patet, voluit ut tres divinae Personae distincte exprimantur.

Omissa particula *et*, dicendo: *in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*, alii dicunt esse validum, alii invalidum, propterea sub conditione esset repetendum. Validum vero si particula *et* praeponatur tertiae Personae, ex indole linguae latinae et italicae; et S. C. C. interrogata an validum sit Baptisma collatum sub forma: *Io ti battezzo in nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo*, aut iterari debeat sub conditione, respondit: *Ad mentem*, 12 maji 1753. Mens autem fuit non esse iterandum Baptismum, ut explicant *Analecta* anno 1866 [3].

An autem validus sit Baptismus collatus *cum nomine Patris*, etc. refert Scavini (loco cit.) a S. C. C. 24 maji 1723, imo ab ipsomet Ben. XIV responsum fuisse valere: sed cl. D' Annibale dubitare videtur de harum responsionum authenticitate [4].

Si quis autem ad nomina trium Personarum adderet nomen B. M. V. vel alicujus Sancti, tunc juxta ea quae diximus (n. 188, 2), si hoc facit mente haeretica, intendens Baptismum conferre in nomine B. M. V. sicut in nomine SS. Trinitatis, Baptismus invalidus esset, quia perverteretur vera Divinitatis confessio; secus, si tantum ob importunam devotionem id faceret [5].

[1] S. Alph., L. VI, 110. III.

[2] S. Alph., L. VI, 110, III; *Gury*, Casus Conse. II, 191.

[3] *Scavini*, III, 59 et 217.

[4] *D' Annibale*, III, 272 (17).

[5] S. Th., p. 3ª, q. 60, a. 8. — Quoad obstetrices expedit ut ipsae baptizent lingua vulgari et vernacula. Sed ratas esse ajunt has formas: *io ti abbattezzo* (S. C. C. 12 maji 1753). — Ego te *baptismo* (S. U. I. 22 maji 1871; *Del Vecchio*. II, 425, I). — *Io ti battesimo — Io ti battezzo nome di Padre*, etc. (Ead. 12 sept. 1801); seu *del nome del Padre*; vel *in Domine Patris* (*Scavini*, III, 217); *in nom. Patris*, etc. (S. Alph., L. VI: 110). *D' Annibale*, III. 272 (57). Parochus tenetur rectum baptizandi ritum obstetrices docere, et est grave. Ib. 167 (13).

CAPUT III

De ministro Baptismi.

236. — *Q.* Quis est minister Baptismi ?

R. Minister Baptismi *quoad validitatem* est quilibet homo rationis compos, vir sit vel mulier, fidelis vel infidelis, aut haereticus. Trid. autem sic definivit: *Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum ; anath, sit* [1]. — Et re vera, valor Sacramentorum pendet ab institutione et voluntate Christi : at ex Christi institutione Baptismum a quolibet homine valide administrari potest ; nam sive Ecclesia universalis, sive Ss. Patres semper uti validum habuerunt Baptismum a quovis homine collatum, quia Baptismus non est actus Ordinis: ergo.

Quoad liceitatem vero, distinguo: — Si agatur *de Baptismo solemni,* tunc minister *ordinarius* est Episcopus in propria Dioecesi, et Parochus in propria Parochia, et etiam quilibet Sacerdos, sed cum licentia Parochi vel Episcopi. Quare graviter peccaret Sacerdos qui extra casum necessitatis baptizaret solemniter sine licentia Parochi saltem rationabiliter praesumpta. Et peccant etiam graviter parentes qui, sine licentia sui Ordinarii, alteri Parocho deferunt prolem baptizandam, quia violant jus proprii Parochi [2].

Minister vero *extraordinarius* Baptismi solemnis est Diaconus, sed tunc duo copulative requiruntur, nempe expressa vel juxta plures saltem praesumpta [3] delegatio Parochi, et gravis causa, uti esset necessitas vel magna Ecclesiae utilitas, v. g. si adsit multitudo baptizandorum, vel Parochus est infirmus, vel excommunicatus, vel occupatus in praedicatione, aut in audiendis confessionibus, quae sine gravi incommodo differri nequeunt [4]. Unde Diaconus qui, absque praedicta delegatione saltem rationabiliter praesumpta, etiam in casu necessitatis, solemniter baptizat, graviter peccat. An vero in hoc casu etiam irregularitatem incurrat, Th. communiter cum S. Alph. affirmant, quia Diaconus ordinatur ad baptizandum, sed ex commissione Episcopi, vel Parochi. Alii tamen, uti Gousset et D'Annibale, negant quia potestas baptizandi inest Diaconis ex sacra Ordinatione, commissio vero jurisdictionem dumtaxat confert, neque aliud conferre potest : itaque *in praxi* uti irregularis minime habendus est [5].

Si autem agatur *de Baptismo privato in casu necessitatis,* tunc Rit. Rom. praescribit: *Si adsit Sacerdos Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico et vir foeminae.*

Hinc Th. communiter dicunt quod peccaret graviter laicus, si

[1] Sess. VII, c. IV. *de Bapt.*

[2] Parochus, nempe ejus parochiae in qua mulier enixa fuit, si haec ibi domicilium habet; sin quasi-domicilium, Parochus, hujus paroeciae, vel domicilii; et si ibi nec quasi-domicilium habet, quem parentes elegerint. *D'Annibale,* III, 273.

[3] *D.Annibale,* I, 89 (10).

[4] Quaesitum fuit : Quum aliquando necessitas exigat ut Diaconis committatur solemnis Baptismi administratio, quaeritur: Potestne Diaconus saltem benedicere et aquam ? — S. R. Congr. rescribendum censuit: *Negative.* Die 10 feb. 1888, n. 3684.

[5] *D'Annibale,* I, 411 (23).

praesente Sacerdote baptizaret, quia usurparet jus quod Sacerdos habet vi proprii officii. — An vero peccet etiam graviter si baptizet praesente Diacono, disput. Th.; alii affirmant, quia etiam Diacono vi propriae Ordinationis competit tale officium; sed alii negant, quia Diaconus baptizans sine commissione non ex officio sed eodem modo ac laicus baptizat. — Si vero laicus baptizaret praesentibus aliis clericis Diacono inferioribus, non peccaret nisi leviter, quia esset solum aliqualis indecentia.

Ceterum quatuor sunt casus in quibus ordo a Rit. Rom. praescritus ex ipso Rit. Rom. inverti debet, et sunt: 1° Si pudoris gratia deceat foeminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum; 2° si foemina melius sciat formam et modum baptizandi; 3° si vir non adsit nisi pater prolis, parentes enim propriam prolem baptizare non debent, nisi in periculo mortis, quando alius, non reperiretur, qui baptizet; et tunc nullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat (Rit. Rom.); 4° demum, communius et verius, Sacerdoti excommunicato, etsi non vitando, semper laicus in communione Ecclesiae vivens est praeferendus.

237. — *Q.* Valet ne Baptismus simul collatus 1° pluribus ab uno; vel 2° uni a pluribus?

R. Ad 1um: Baptismus pluribus simul ab uno collatus semper validus est, dummodo materia omnibus applicetur; sed extra necessitatem graviter illicitus est, quia Rit. Rom. formam illam: *Ego vos baptizo* ad plures simul directam reprobat, nisi adsit casus necessitatis.

Ad 2um: Baptismus uni a pluribus collatus semper illicitus est sub gravi. — An vero validus, distinguendum est: Si unus effundit aquam et alter verba pronuntiat, invalidus est, ut jam diximus; item si unus baptizare, intendit *dependenter ab alio* invalide baptizat, ob defectum unitatis ministri; nam, ut ait S. Th., *homo non baptizat nisi ut minister Christi; unde sicut unus est Christus, ita oportet unum esse ministrum, qui Christum repraesentet* [1]. — Si vero unus *independenter* ab alio baptizare intendit, tunc, si unus prius formam profert, ipse valide baptizat. et alius frustra formam pronuntiat. *Si autem omnino simul ambo verba proferrent.... hominem immergerent.... uterque quantum in se est baptizaret; nec traderent aliud et aliud Sacramentum, sed Christus qui est unus, interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret* (S. Th. *ibid.*). Neque repugnat, ait Billuart [2], quod unus effectus procedat ab una causa principali per plura instrumenta, praesertim quando effectus est supernaturalis, ut in casu. Aliunde formae et materiae hic multiplicantur materialiter tantum et in esse naturae, non formaliter et in ratione formae et materiae Sacramenti, quia ab agente principali, qui est Christus, dirigiuntur ad unum, et recipiuntur in uno subjecto, quod non est capax nisi unius Baptismi [3].

[1] P. 3, q. 67, a. 6.
[2] *Tract. de Bapt.*, art. 3, n. 2.
[3] Neminem latet non valere Baptismum sibi ipsi collatum; quis enim seipsum generat? Et Innoc. III decrevit Judaeum quemdam qui seipsum baptizaverat rebaptizandum esse ab alio.

CAPUT IV.

De subjecto Baptismi.

238. — *Q.* Quisnam subjectum Baptismi?

R. Subjectum capax Baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus, sive parvulus sive adultus.

ART. I.

De baptismo parvulorum.

239. — *Q.* Quid de Baptismo parvulorum ante usum rationis?

R. De fide est quod validus est Baptismus parvulis collatus, et quod praestat ipsos baptizare, licet actum credendi non habeant [1]; Trid. enim sic definivit: *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anath. sit*[2]. — Veritas probatur.

1. *Ex S. Scriptura.* Et sane Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei* [3]. Sed haec verba, cum generalia sint, etiam parvulos complectuntur; ergo etiam parvuli baptizati possunt introire in regnum Dei; ergo valet eorum Baptismus. Et quum *magna* pars generis humani praemori soleat antequam usum rationis attingat praestat parvulos baptizare, secus *magna* pars generis humani ab aeterna salute ac redemptionis fructu excluderetur.

2. *Ex traditione* Ss. Patrum, et universali *Ecclesiae praxi.* Referre sufficiat Aug. qui de praxi Ecclesiae baptizandi parvulos ait: *Hoc Ecclesia semper tenuit; hoc a majorum fide percepit; hoc usque in finem perseveranter custodit* [4]. — Quod si primis Ecclesiae saeculis adfuit praxis, quibusdam in locis ut nonnisi adulti baptizarentur, hanc praxim veluti abusum Ss. Patres semper improbarunt, donec ab Ecclesia totaliter sublata fuit.

3. *Ex ratione.* Re vera, si in lege veteri omnes masculi die octava a nativitate circumcidebantur, cur aequum non erit in lege nova quod aequum erat in lege veteri? — Ceterum, parvuli statim ac ad usum rationis pervenerint sive ex lege naturae quae clamat ut quisque maxima cura suae aeternae saluti consulat, sive ex lege divina, ad legem Christi amplectendam, et consequenter ad Baptismum, tenerentur; ergo nulla injustitia, sed anticipata misericordia est eos subjicere suavi Christi jugo quod praeceptum est, et quod ipsis maximas parit utilitates.

De fide pariter est, quod parvuli baptizati, cum adoleverint, interrogandi non sunt, an ratum habere velint quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt. Sic definivit Trid. [5]: *Si quis dixerit hujusmodi parvulos*

[1] Anabaptistae, Valdenses, et alii tenent invalide parvulos baptizari, eo quod fidei incapaces sunt. Alii autem Novatores asserunt saltem praestare differri eorum Baptismum donec ipsi ad annos discretionis pervenerint.

[2] Sess. VII, c. XIII, *de Bapt.*

[3] Jo. III, 5.

[4] Serm. 176, de verbis Apost. n. 2.

[5] Sess. VII, c. XIV, *de Bapt.*

baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos... ; anath. sit [1].

240. — *Q.* Licet ne baptizare parvulos in alvo materno inclusos?

R. Si agatur de puero in utero matris omnino clauso, ita ut aqua tingi nequeat, conveniunt Th. non posse baptizari; unde Rit. Rom. ait : *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.*

Si vero agatur de puero qui, etsi nulla ejus pars in lucem prodierit, tamen per instrumentum aqua tingi potest, tunc an iste puer valide baptizetur, disput. Th. Alii negant, quia nemo dicitur renatus, nisi prius fuerit natus, juxta illud : *Nisi quis renatus fuerit* etc. [2] Alii tamen satis probabiliter affirmant, quia talis infans, cum jam existat homo viator, bene potest baptismum suscipere. Unde concludit S. Alph. quod in casu necessitatis, si timeatur quominus puer in sinu matris decedat, et aqua aliquo modo ipsi applicari possit, erit sub conditione baptizandus; et si puer in lucem prodeat, Baptismus sub conditione iterari debet [3].

Quod *si infans,* ait Rit. Rom., *caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus* [4]. *At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur, et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus.*

241. — *Q.* Mater in periculo mortis infantis tenetur ne operationem caesaream pati?

R. Th. dicunt: 1° Si ex operatione mors matris est moraliter certa hanc operationem non licere quamvis ea omissa mater et proles certo periturae sint, quia tunc

[1] *Ob.*: Ecclesia praedictam interrogationem prohibendo interdicit tum libertatem examinis, tum libertatem conscientiae.

R. Nego utrumque. — Et quoad 1um: duplex distinguitur fidei examen, unum *dubitativum*, quod cum fide consistere nequit; alterum *confirmativum*, quo mens, licet certissime teneat quod credit, quaedam tamen fundamenta fidei inquirit ad ignorantiam depellendam, quodque propterea cum fide consistere potest. At vero Ecclesia examen dubitativum quidem interdicit, quia injustum et injuriosum auctoritati Dei revelantis, non vero interdicit examen confirmativum, utpote justum et rationabile; ergo.

Ad 2um: Libertas conscientiae non consistit in independentia a justis legibus, sed in eorum observantia. Porro promissiones, quas parvuli in Baptismo per patrinos emittunt, respiciunt, quoad substantiam, observantiam legis tum naturalis, tum divinae. Atqui ipsi, etiam cum adoleverint, ad harum legum observantiam semper et ubique tenentur; ergo interrogandi non sunt an illas promissiones ratas habere velint. Et sane, numquid Synagoga parvulos octavo a nativitatis die circumcisos interrogavit an leges respective proprias ratas habere voluerint? Minime sane. Numquid parvuli, quos parentes alicui societati civili sive nationi adscribunt, cum adoleverint, interrogantur an ratas habere velint leges patriae cui adscripti sunt? Minime sane. Numquid parvuli, cum adoleverint, interrogantur an ratum habere velint praeceptum obediendi parentibus et eorum mandata servandi? Minime sane, quia haec sunt praecepta legis tum naturalis, tum divinae. Ergo a pari, etc.

[2] Jo. III, 5.

[3] S. Alph., L. VI, 107.

[4] *Si caput emiserit* : nam S. C. C. decrevit quod « Foetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo baptizetur ». 12 jul. 1794.

—

idem esset ac matrem directe occidere, quod est intrinsece malum, ideoque nunquam licitum [1]; nunquam enim sunt facienda mala ut veniant bona. 2° E contra si mater sit robusta, et chirurgus peritus, ita ut periculum mortis in matre, ex medicorum judicio, sit remotum et adsit spes probabilis baptizandi puerum, in hoc casu dicunt et chirurgum operationem facere posse, et matrem ad ipsam teneri [2]. 3° In casu vero dubio, an chirurgus possit et mater teneatur, disput. Th. [3]. — Sed *in praxi* in hisce casibus, si sacerdos de sua opinione sit interrogatus, maxime conveniens est quod aliis remittat judicium, consulat propinquis et matri ut orent et postea agant quod melius ipsis videtur, et tunc non peccant, quomodocumque agant [4].

[1] S. Th., p. 3, q. 68, a. XI, ad 3.

[2] Attamen confessarius non urgeat matrem sub gravi obligatione ob periculum ne, consensum negando, forsitan moriatur in statu peccati mortalis, et sic dum vult salvare vitam spiritualem infantis, damnetur ipsa mater.

[3] S. Alph., L. VI, 106.

[4] *Notanda in casu mortis mulieris praegnantis.*—S. Alph. et alii Th. docent in casu mortis mulieris praegnantis tum parentes vel cognatos, tum medicos, tum ipsum parochum sub gravi teneri ad curandum ut foetus e matris ventre extrahatur et baptizetur. Rit. Rom. haec habet: *Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur ac, si vivus fuerit, baptizetur*. Nota illud verbum quamprimum, ipsa enim ars medica docet hisce in casibus prompte et absque ulla mora agendum esse, secus finis intentus difficulter obtineretur.

At petitur: Foetus nonne perit una cum matre, imo et ante ipsam? Huic petitioni perbelle respondet Cl. doctor *Alliprandi* (*Trattato di Ostetr.*, Vol. I, sez. 3, c. 2, a. 2), quem nos utpote hujus artis profani, nonnisi auscultare debemus. « Non negamus, ait ipse, plerumque foetum una cum matre perire; at non desunt felices exceptiones, perpaucae quidem, sed sufficientes ut ad operationem tentandam impellamur ».

Ut autem in hisce difficillimis casibus aliqua agendi norma habeatur, in primis distinguendum erit inter casum gestationis maturae, et casum gestationis tantum inchoatae. In primo casu, nempe quando foetus jam adeptus sit statum maturitatis, vel saltem viabilitatis, qui nempe nascendo vivere possit (quae viabilitas ex communi medicorum sententia incipit post sextum vel septimum mensem a conceptione) major habetur spes optimi exitus, majorque operationis facilitas; e contra minor spes, et major difficultas in casu gestationis immaturae. Hinc sapientissime mater Ecclesia urget obligationem foetum extrahendi et baptizandi, quin tamen determinet tempus quo post conceptionem operatio caesarea precise fieri debeat. — Itaque, ait Cl. *Rivarolo*, parochus si quam noverit mulierem praegnantem in proximo mortis periculo versari, magna prudentia haec curet:

1° Propinquis mulieris suadeat ipsos sub gravi teneri ad operationem caesaream permittendam ut foetus baptizari possit.

2° Aliquis chirurgus seu obstetricus loci admoneatur ut paratus sit praedictam operationem peragere statim ac mors matris legali modo confirmata fuerit.

3° Tempore utili praemoneatur officialis status civilis ad obtinendum ut is cui spectat, vix mater mortua fuerit, eam absque mora visitet ejusque mortem legaliter confirmet.

4° Vix mater animam exhalaverit, os ejus per quamdam fistulam servetur apertum ut hoc modo aër purum in uterum introducatur, ipsumque uterum interim pannis callidis foveatur.

5° Si chirurgus praedictam operationem facere recuset, nec per officialem status civilis ad ipsam adstringi possit, Parochus caveat ne ipse, aut alius imperitus operationem attentet; sed potius satagat ut juxta recentiorum Theologorum sententiam baptismus foeto administretur per instrumenta ab arte chirurgica inventa. Ea quae ad rem scribit Cl. Ballerini: Cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranae foetum involventes ita scindun-

242. — *Q.* Licet ne baptizare foetus abortivos, vel monstrum [1]?

R. Quoad *foetus abortivos*, si habent formam humanam et dant signa vitae, sunt baptizandi absolute. Si autem non habeant formam humanam, uti esset massa carnea, vel si non dant signa vitae, sed tamen non constat esse mortuos, tunc baptizandi sunt sub conditione, quia, notat Cl. Ballerini, experientia constat interdum signum vitae, nisi adhibitis instrumentis microscopicis, non apparere.[2]

Quoad *monstrum* vero, ait Rit. Rom.: *In monstris baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Monstrum, quod humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione* Si tu es homo, ego te baptizo, etc. *Illud vero, de quo dubium est unane an plures sint personae, non baptizetur, donec id discernatur: discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda et animae, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsim sunt baptizandi, unicuique dicendo:* Ego te baptizo, *etc. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo:* Ego vos baptizo, *etc. Quando vero non est certum in monstro esse duas personas*

tur, ut aqua ope siphunculi injecta foetum immediate tangere certo possit, atque ideo, juxta ea quae S. Alphonsus (Lib. 6, n. 107) post Benedictum XIV disserit, de validitate baptismi infantibus utero clausis sic collati prorsus certi esse possumus, fere cessant difficultates et quaestiones a veteribus DD. motae circa pericula, quae mater subire teneatur ut aeternae saluti prolis prospiciatur.

Haec operatio si facilis dici potest vivente matre, facilior evadit ipsa mortua; unde si desit chirurgus, perfici potest a quavis obstetrice. Casu vero quo instrumentum idoneum haberi nequeat, membranae foetum involventes aptescindi possunt ope alicuius clysterii vel specilli quo et aqua infundi sicque foetus sub conditione baptizari potest.

Quoad operationem caesaream, mortua matre, S. C. S, O., 15 feb. 1780, haec habet: « Illud potius rationi absonum, atque ab omni pietate remotum pro inani quadam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas Sua ne Missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde Missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque ut ejus perficiendae rationem addiscant, qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero cum casus tulerit, ejusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse. *Bucceroni*, Enchirid., n. 256.

[1] *Monstra* dicuntur partus qui contra formam humanam editi sunt. An monstra inter homines accenseri debeant, plures antiquiores negant; sed Recentiores communius putant monstra omnia homines esse, quia ex muliere nasci nisi homo non potest. *D'Annibale*, I, 28 (10).

[2] Ex sententia hodie communiter recepta de animatione foetus primo conceptionis momento, patet quemlibet foetum praematuре editum, capacem esse suscipiendi Baptismum, nisi aperte constet de ejus morte; quare cum in periculo mortis versetur quam primum sub gravi erit baptizandus. Quocirca, monet Cl. Capellman, tempus non est terendum in inquirendis signis vitae, sed statim est sub conditione baptizandus.

—

quia duo capita et duo pectora non habet distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo, *etc.*

243. — *Q.* Sunt ne rebaptizandi infantes ab obstetricibus baptizati, vel infantes expositi cum schedula Baptismi?

R. Quoad infantes ab obstetricibus baptizatos, si adsit moralis certitudo de validitate Baptismi, uti esset quando obstetrix est bene instructa et religiosa, de cujus instructione et pietate Parochus rationabiliter dubitare nequit, nego. Secus, rebaptizandi sunt sub conditione, quia in illis circumstantiis mulier etsi prudens et pia, facile errare potest ex animi trepidatione, praesertim si non habuerit baptizandi consuetudinem.

Quoad expositos cum schedula baptismi, si non lateret qui chartam scripserit, eidemque fides praestari possit, tunc infans baptizatus habendus est, nec rebaptizandus sub conditione. — Si vero schedula sit ab homine incerto, tunc in re tam gravi ignoto testimonio fides praestari non potest, quare infans rebaptizandus est sub conditione [1]; tunc enim vel forte non sunt baptizati, vel invalide, siquidem saepius baptizantur a matre, quae nunquam vidit vel didicit baptizare [2].

Art. II.

De baptismo adultorum.

244. — *Q.* Quid de Baptismo adultorum?

R. Praemitto: Adultorum nomine in hac materia veniunt quicumque sufficienti usu rationis pollent, ut baptismi obligationes agnoscere valeant, quod regulariter completo septennio contingit, nisi sint amentes; reliqui relate ad Baptismum dicuntur infantes [3].

Porro adulti qui obligationem Baptismi sufficienter agnoverunt, tenentur ex praecepto divino ad illum suscipiendum quamprimum commode possunt. Attamen extra mortis articulum non sunt baptizandi nisi hoc sacramentum recipere velint, et congruas dispositiones habeant. In articulo mortis, saltem sub conditione baptizandi sunt quicumque merito praecessarium, vix rite baptizant, aut ne vix quidem. *D' Annibale*, III, 277.

[1] S. C. C., 5 jan. 1724.

[2] S. Alph., L. VI, 135. — Quod de infantibus expositis dicimus, addit Cl. Gousset idem dicendum de illis quos vagi in agris vel vicis relinquunt, etsi sint duo, tres, quatuor vel quinque annos nati, si certo de eorum baptismo non constat; plerique enim vagorum vitam fide ac religione destitutam degunt, et saepe filios ad Ecclesiam deferre non audent, ne circa fidem interrogentur, vel suae detegantur libidines ac malefacta; et ex alia parte nesciunt, vel non curant suos infantes baptizare.

Baptizati ab haereticis de quibus non immerito dubitatur an valide baptizent, rebaptizandi sunt, ut ecce a protestantibus qui, rati baptismum non esse ne-

[3] Adulti *amentes et furiosi*, ait Rit. Rom., *non baptizentur nisi tales a nativitate fuerint: tunc enim de iis idem judicium faciendum est, quod de infantibus, atque in fide Ecclesiae baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitae periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. Idemque dicendum de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium.*

sumuntur habere intentionem quae ad Baptismum valide recipiendum sufficere probabiliter praesumitur[1].

245. — *Q.* Quaenam dispositiones adultorum ad Baptismum?

R. In adultis ad *validam* Baptismi susceptionem requiritur sola intentio saltem habitualis Baptismum suscipiendi; ideoque qui baptizatur absque voluntate Sacramentum suscipiendi nec licite nec valide baptizatur. In adulto sensibus destituto in periculo mortis sufficit intentio implicita, ea nempe quae continetur in voluntate dandi nomen Religioni christianae, et forte, si hanc ignorat, vel solum faciendi quaecumque necessaria sunt ad salutem[2]. — In dubio vero utrum iste in periculo mortis constitutus vere intendat baptismum suscipere, si praevio diligenti examine de hac intentione adhuc dubitetur, baptismus conferri debet sub conditione dummodo sit capax baptismi.

Ad *licitam* vero susceptionem, praeter dictam intentionem requiritur *fides:* unde adultus infidelis, etsi in articulo mortis, si plenam advertentiam habeat, debet prius esse sufficienter instructus, juxta propriae intelligentiae mensuram, de mysteriis Christianae Religionis, et praecipue de mysteriis Trinitatis et Incarnationis, et ea firmiter credere. Quod si iste moribundus, de quo dubitatur an cognoscat praecipua mysteria Christianae Religionis eisque credat, est jam sensibus destitutus, tunc si antea dederit signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu, aut alio modo eamdem dispositionem ostenderit, baptizan-

[1] Adulti *compotes rationis*, si baptismum petunt, licite baptizantur, etiam invitis parentibus, quia, ut diximus, in facto religionis sunt proprii juris. Sed prius necesse est eos probare, maxime hebraeos. Hinc Rit. Rom. ait: *Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu et conditione eorum, qui baptizari petunt, praesertim exterorum: de quibus facta diligenti inquisitione, num alias ac rite sint baptizati, caveat ne quis jam baptizatus, imperitia vel errore, aut ad quaestum vel ob aliam causam, fraude dolove iterum baptizari velit. Omnes autem de quibus, re diligenter investigata, probabilis dubitatio est an baptizati fuerint, si nihil aliud impediat, sub conditione baptizentur.*

Praescribit insuper. Rit. Rom. quod *adultorum Baptismus ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur; alioquin Parochus ipse baptizet, stata caeremonia. Decet autem hujusmodi Baptismum, ex apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari. Quare si circa haec tempora Catechumeni sint baptizandi, in ipsos dies, si nihil impediat, Baptismum differri convenit. Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui aegre ferant suum Baptismum in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.*

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos qui sani sunt, convenit esse jejunos. Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem, nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset, eorum Baptisma celebretur. Ritus baptizandi adultos jam sufficienter instructos a Rit. Rom. praescriptus a solo Episcopo, si expediens judicaverit, abbreviari potest, incipiendo: *quo nomine vocaris? etc.;* non vero a simplici sacerdote sine pontificia facultate.

[2] Imo et ea quae in sola attritione continetur. Et, rebus desperatis, recte: at cum sanam mentem receperit denuo, sub conditione, baptizandus erit, eo tantum excepto qui veram et explicitam nec retractatam intentionem habebat. *D'Annibale*, III, 274 (42).

—

dus est sub conditione. Requiritur etiam *poenitentia* seu dolor de peccatis suis, unde debet actum elicere saltem attritionis [1].—Ad rem Rit. Rom.: *Si quis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam, in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri ejusque voluntas et propositum saepius explorari et nonnisi sciens et volens probeque instructus baptizari. At vero si quis dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis baptizetur* [2].

Art. III

De filiis infidelium et haereticorum

246. — *Q.* Licet ne baptizare filios infidelium, si eorum parentes sunt inviti ?

R. Praemitto: Filiorum Baptismus quamvis a voluntate parentum non dependeat quoad valorem, dependere tamen potest quoad jus illum dandi. Hoc posito:

1. Generaliter loquendo, non licet filios infidelium baptizare, invitis parentibus, quia, exceptis aliquibus casibus, si in parentum potestate relinquantur, sacramentum certo exponeretur periculo profanationis ex perversione et apostasia. Si vero a parentibus subtrahantur, laederetur jus naturale parentum, quo filii rationis usu carentes sua potestate et cura parentum sunt [3].

2. Filios infidelium, invitis eorum parentibus, baptizare liceret in sequentibus casibus: 1° Si eorum parentes a fide defecerunt et in-

[1] Quaesitum fuit: Utrum missionarius teneatur barbaris adultis baptizatis aut baptizandis omnia praecepta legis positivae divinae intimare, praesertim ea omnia quibus sese submittere difficultatem habent, ut ejusmodi barbari securitate conscientiae fruantur, licet ea praecepta non observent quae ignorant, eo nitentes juris axiomate *lex non obligat nisi fuerit promulgata* ? S. O. C. ad Episc. Quebecensem die 10 maji 1703 respondit: Missionarium teneri omnia praecepta legis positivae divinae intimare.

[2] S. Alph., L. VI, 139. — S. C. d. Prop. Fide duo sequentia dubia proposita sunt: 1° Utrum expediret baptismum administrare illis puellis, rite dispositis, quando moralis existeret certitudo fore ut ipsae invitae, a propriis parentibus traderentur viris europaeis, ut viverent cum ipsis tamquam concubinae. — 2° Utrum esset expediens baptizare pueros sufficienter instructos et sacramentum illud petentes, qui adulti facti, et e scholis Missionis egressi, religionis catholicae praecepta essent oblituri, et in vitia gentilium labituri.

S. C. ad 1um respondendum censuit: Praefectum Apostolicum laudabiliter se gerere praedictas puellas redimendo, ne nuptui tradantur viris irretitis impedimento ligaminis, aut etiam disparitatis cultus, quoties cautiones obtineri non possent. Puellis vero quae redimi nequeant, et baptizari instanter petant, haud facile baptismi sacramentum esse denegandum, si debita instructione sint praeditae, aliasque necessarias dispositiones congruo experimento comprobatas se habere ostendant, una cum firmo proposito ut paratae sint potius mori quam foedari.

Ad 2um: Praefatam praevisionem haud prohibere posse administrationem baptismi pueris hujusmodi bene instructis et dispositis. Imo ipsa ratio suadet illos magis christianae religionis doctrinis et Sacramentis esse firmandos, qui durius aggressuri sunt pro salute animae certamen. Quapropter diligenter curandum, ut isti juvenes qui miseratione divina ad fidem et christianorum mores sunt vocati, baptizentur et strenue et fideliter usque ad mortem in bono perseverent. Decr. die 8 julii 1895.

[3] *Ob.* Parentes nullum jus habent impediendi quominus procuretur baptismus eorum parvulis, ergo potest quis

fideles facti sunt, quia tunc sicut Ecclesia potestatem habet coërcendi parentes ad ea quae sunt fidei observanda, ita potest filios ab ipsis auferre. Et idem dicendum si unus tantum parentum fuerit prius fidelis, ut communiter dicunt Th. [1]—2° Si unus parentum consentiat in Baptismum, etsi alter obstet, quia justa voluntas primi injustae voluntati alterius praeferenda est in favorem prolis et fidei, modo baptizatus christiane educari possit [2].

Idem dicendum si patre mortuo, avus consentiat, matre reluctante, — 3° Si sint expositi, vel derelicti. — 4° Si jure belli capti sint, aut eorum parentes sint mancipia christianorum; non vero si christianorum imperio vel dominio civiliter tantum subiecti sunt. — 5° Si sint in periculo mortis [3], et secreto baptizari possunt, quia tunc non fit injuria parentibus quum ab ipsis non subtrahantur; est enim morbus ipse qui eos a parentum cura subtrahit, nec fit injuria Sacramento, quum ex morte moraliter certo secutura non adsit periculum perversionis. — 6° Si agatur de perpetuo amentibus qui tales sunt a nativitate, et de quibus nulla spes est fore ut aliquo deinceps rationis intervallo potiantur, quia tales amentes inter infantes computantur; et aliunde a parentibus non subtrahuntur; caute tamen et prudenter baptizari debent, ne in christianam religionem infidelium odium, et saevitia in fideles concitetur. Ita S. C. de P. F. — 7° Si filius rationis jam compos baptismum petit, quia in negotio religionis est sui juris. Et in dubio de usu rationis, sufficit esse 8 annorum. *In praxi* tamen non statim fides est ei praebenda, sed est amplius et melius probandus. — Ceterum in hisce casibus maxime praecavendum est periculum perversionis et prius semper est Episcopus consulendus [4].

247. — *Q.* Licet ne baptizare filios haereticorum et apostatarum?

R. Filii *haereticorum*, volentibus parentibus, certe licite baptizari possunt, quia secus parentes curabunt ut a ministro haeretico baptizentur [5]. Imo etiam invitis parentibus probabilius et verius licite baptizari possunt [6] quia Ecclesia jus habet ipsos coërcendi;

illis invitis, baptismum eorum parvulis procurare.

R. Nego conseq.; nam etsi parentes non habeant jus impediendi baptismum, habent tamen jus ne eorum infantes ab ipsis auferantur, quod tamen fieri deberet, si baptizarentur, sicque suo jure privarentur. *Billuart*, De Bapt., art. IV; S. Th., p. 3, q. 68. a. X; *Frassinetti*, 323 (103).

[1] Attamen nostris diebus vix ullibi potest Ecclesia jus suum exercere, et periculum amovere quod hujusmodi infantibus imminet, dum sub potestate parentum haereticorum relinquuntur. — *Génicot*, II, 148.

[2] S. C. S. Off. anno 1776 declaravit: Non licere extra periculum moraliter certum imminentis mortis infantes a parentibus infidelium ultro oblatos baptizare, si post baptismum *in parentium infidelium potestate relinquendi sunt.* Quam declarationem renovavit eadem S. C. 22 jul. 1840.

[3] Periculo, inquam, in quo versatur is qui baptizandus est, et non communi v. g. saeviente peste, licet ex 100 pueris 90 pereant, et privatim sine ullis prorus solemnitatibus. *D'Annibale*, III, 274 (46).

[4] S. Alph., L. VI, 127-131.

[5] *Gury.* Casus Consc. II, 112.

[6] Quaesitum fuit: An liceat sub conditione baptizare publice et cum suis caeremoniis parvulos rationis expertes, qui in protestantismo dubie et sine caeremoniis jam baptizati sunt?

R. Baptismum sub conditione parvulis

sed *in praxi* ordinarie non expedit, tum ad vitandam iterationem Baptismi quando parentes validum baptismum filiis in sua secta essent procuraturi, tum ob gravia dissidia quae obvenire possent, tum quia difficile erit quod puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui. Excipe tamen casum quo puer sit in periculo mortis, et secreto et prudenter baptizari possit [1].

Filii vero *apostatarum* inter catholicos degentium, qui nolunt filios baptizare, licite baptizari possunt, etiam invitis parentibus; tum quia id fieri potest sine discrimine; tum quia cum filius degat inter catholicos, perversio non adeo timenda est. Verum sine Episcopi consilio non expedit ut Parochus quaestionem resolvat.

248. — *Q.* Quanam methodo procedendum in conciliandis haereticis?

R. Triplex distinguitur methodus procedendi in conciliandis haereticis.

1. Si haereticus non fuit baptizatus debita forma et materia, tunc baptismus absolute conferri debet, praemissa tamen errorum suorum detestatione et debita in fide catholica instructione [2]; sed in tali baptismo nulla requiritur sacramentalis confessio, seu absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis.

2. Si baptismus sit sub conditione iterandus hoc ordine procedendum erit: 1° Abjuratio, seu fidei professio; 2° Baptismus conditionatus; 3° Confessio sacramentalis et quidem integra cum absolutione conditionata [3].

3. Si vero Baptismus validus judicatur, tunc sola recipitur abjuratio, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur. — Quoad abjurationem vero, si agade quibus in casu agitur administrandum esse secrete, et cum caeremoniis in Rit. Rom. praescriptis. — S. C. S. O. 2 apr. 1879.

[1] Quaesitum: Si duo conjuges protestantes, deficiente ministro propriae sectae, Parocho catholico praesentassent ipsorum parvulum baptizandum, declarantes tamen non velle ex hoc se obligare ad ipsum in religione catholica educandum, potest ne Parochus talem parvulum baptizare, eo fine ut ipsi innocenti aeternam salutem provideat, quin attendat quid in posterum eveniet cum ad aetatem discretionis pervenerit? C. S. O. 26 ang. 1885 respondit: *Negative, praeterquam in periculo mortis.* — Responsio, ea ipsa die, a S. Pont. Leone XIII approbata fuit.

Licet Parocho baptizare puerum, consentiente uno e parentibus catholico, etiamsi certe sciat alterum postea curaturum ut infans baptizetur a ministro haeretico; sed conjux catholicus tenetur monere conjugem haereticum, filium jam legitime esse baptizatum, S. C. S. O., 29 nov. 1672. — *Scavini*, III, 73.

[2] Quaesitum fuit: An baptismus conferri debeat *sub conditione* haereticis omnibus qui redeunt in sinum Ecclesiae Catholicae, a quacumque secta ipsi proveniant. — Et responsum fuit: *Negative; sed prius inquirendum de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute.* Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc *sub conditione* secreto baptizentur. C. S. Off. 20 nov. 1878.

[3] Quaesitum fuit: *An* (haereticus ad Ecclesiam rediens) *teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae? et quatenus* affirmative: *An confessio praeponenda sit vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione?*...—Responsum fuit: Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum dixit: *NN. esse rebaptizandum sub conditione, et, collato Baptismo, ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.* — C. S. O. die 17 dec. 1868.

tur de adolescentibus qui nondum annum 14um attigerint, sola professio fidei catholicae ab iis exigenda est antequam adducantur ad sacramenta; si vero agatur de iis qui 14um aetatis annum excesserint, formalis sectae abjuratio, cui pertinuerint, est exigenda—Inst. S. C. I., 10 nov. 1978.

CAPUT V.

De Patrinis et de caeremoniis Baptismi.

ART. I.

De Patrinis.

249—*Q.* Patrini quinam dicuntur, et sunt ne adhibendi in Baptismo?

R. Patrini, ait S. Alph., sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de fonte suscipiunt in suam curam; horum designatio ad parentes spectat, et rite designatos Parochus absque justa causa recusare nequit.

In Baptismo *solemni* sub gravi adhibendus est patrinus, saltem unus, sive vir sit sive mulier, cujuscumque sexus sit baptizandus; nec adhiberi *licite* possunt plures quam duo, secus esset peccatum grave, quia laederetur praeceptum Ecclesiae in re gravi [1]. Nec possunt esse duo mares, vel duae faeminae, secus esset peccatum saltem leve, et verius etiam mortale, si uterque patrinus esset diversi sexus ac infans, quia ita multiplicarentur cognationes contra finem Conc. Trid., (Sess. XXIV, cap. 2, de Refor. matr.) [2].

In Baptisme *privato*, licet necessarie non sit adhibendus patrinus, tamen bene adhiberi potest, et praestantius adhibetur [3].

250.— *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ut patrinus valide et licite adhibeatur?

R. Ut patrinus *valide* adhibeatur, ita ut cognationem spiritualem contrahat, requiritur: 1° ut patrinus sit baptizatus; 2° ut baptismus collatus sit validus, et juxta communiorem sententiam sit etiam solemnis; 3° ut sit rationis compos et intentionem habeat munus patrini obeundi [4]; 4° ut per se, vel per procuratorem [5] teneat, aut tangat infantem dum baptizatur, et quidem juxta communissimam sententiam *physice* tangat, vel statim levet, aut suscipiat de sacro fonte, vel de manibus bap

[1] Quod si plures vellent baptismo adstere, et Parochus non possit sine offensa aliquos dimittere, v. g. personas illustres, difficiles, dissimulet primum et permittat ut adsistant tamquam testes, postea vero dicat satis esse si unus vel una infantem tangat. nec permittat ut alii tangant, aut saltem eo modo tangant qui requiritur ad cognationem contrahendam, nam licet primum ad parentes spectet designare patrinos, ad pastorem tamen spectat ut omnia rite fiant. *Gury*, Casus Consc., II, 231.

[2] S. Alph., L. VI, 155.

[3] S. Alph., L. VI, 147.

[4] Ideo cognationem non contrahit obstetrix quae infantem sustinet dum baptizatur. Et quia *nulla voluntas erantis est*, si quis teneat filium Caji putans filium Seji, eam cum Cajo cognationem verius non contrahit. At qui patrini munere defungitur sciens volens, cognationem contrahit, velit nolit, quippe quae ex eo necessario descendit. *D'Annibale*, III, 285 (5).

[5] Procurator, qui nomine alterius suscipit, vel ad Confirmationem tenet, non contrahit cognationem sibi, sed mandanti, nisi medio tempore is intentionem revocaverit. S. C. C. 11 jun. 1881.

tizantis vel obstetricis, uti censuit S. C. C., et ideo de hac re olim communiter negata amplius dubitare non licet [1]. Ut sit a parentibus vel in eorum defectu a ministro designatus. Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi. **Can. 765** [2].

Ut autem quis licite patrinus admittatur, opportet ut decimum quartum suae actatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur 2° Non sit notorius excommunicatus, vel publice infamis infamia facti. 3° Fidei rudimenta noverit. 4° In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis. 5° In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia. **Can. 766** [3].

251. — *Q.* Quid de cognatione spirituali in baptismo et confirmatione?

R. 1° Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus. **Can. 768.**

2° Ex valida confirmatione oritur cognatio spiritualis inter confirmatum et patrinum. **Can. 797** [4].

252. — *Q.* Patrini adhibiti in supplendis Baptismi solemnitatibus vel in Baptismo collato sub conditione, contrahunt ne cognationem?

R. — 1. Patrini adhibiti in supplendis tantum caeremoniis omissis nullam contrahunt cognationem, quia non habetur tunc Baptismus. S. C. C., 2 oct. 1687.

2. An cognationem contrahant

[1] S. Alph., L. VI, 148.—Quod si plures tetigerint baptizatum, solum designati cognationem contrahunt. Et si vel omnes designati fuerint, vel nulli, quotquot priores una simul tetigerint. Et si vel duo mares, vel duae feminae fuerint adhibitae, uterque cognationem contrahit.

Haec cognatio perpetua est et duo praestat, impedimentum matrimonio, de quo suo loco, et obligationem docendi baptizatum. *D'Annibale*, III, 287.

[2] Quoad patrinum in Baptismo adultorum quaesitum fuit: « Interdum accidit quod in partibus infidelium desint patrini pro Baptismo solemni vel Confirmatione, sed tantummodo praesto sint moniales (Sorores Charitatis); Q. Num in ejusmodi casu expediat conferre ea Sacramenta sine Patrinis; vel potius ut moniales adhibeantur uti matrinae in utroque Sacramento pro feminis? — S. R. C. respondit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam*». Die 15 febr. 1887, n. 3670, dub. II.

[3] Juxta Gousset (n. 115) civiliter tantum conjugati ut patrini admitti possunt, dummodo coram duobus saltem testibus promittant se benedictionem nuptialem esse quamprimum postulaturos; qua indulgentia, inquit praefatus auctor, matrimonia tantum civilia haud raro coram Ecclesia celebrata fuerunt.—Ceterum in dubio de patrini indignitate Parochus Ordinarium constet, ejusque mandatis obtemperet. Quod si tempus non ferat, nec certe contest de indignitate, et aliunde, si repellatur, graviamala timenda essent, illum admittere opportet. Qui patrinum designant, acceptant, admittunt praeter numerum, si cognatio contrahatur, letale non carent. D'Annibale III, 285, (4).

[4] Casus —Titius liber cogitator et notorie ecclesiasticis censuris innodatus se sistit ut in Baptismo vel in Confirmatione patriuum agat.

Q. Parochus quomodo se gerere debet?

R. Parochus in hoc casu: 1° Curet ut debito modo Titius prius Ecclesiae reconcilietur; 2° Quod si reconciliari recuset, consulat Ordinarium, ejusque mandatis omnino obtemperet; 3° Quod si tempus non patiatur Ordinarium adeundi, et gravia incommoda ex illius rejectione timenda essent, tunc admittere potest modo non sit *nominatim excommunicatus;* quia cum gravi causa licet cum toleratis communicare etiam in divinis. (Cf. vol. I, n. 297 et seq.).

patrini in Baptismo sub conditione collato, Th. communiter sic distinguunt: In dubio *negativo*, si nempe nulla solida ratio adsit pro priori baptismo, affirmative; negative vero in dubio *positivo*, si adsit nempe probabilis ratio de prioris baptismi validitate. — Hinc si baptismus, quia de priori non improbabiliter dubitatur, denuo conferatur, alio patrino adhibito, dubia erit utriusque cognatio [1].

252. — *Q.* Quodnam officium patrinorum?

R. Officium patrinorum est baptizatum instruere sive circa fidem, sive circa mores. Ab hoc tamen officio liberantur quoties praesumitur parentes ipsos hoc officium satis adimplere; sed in istorum defectu, ait S. Th., *tenetur secundum suum modum saluti spirituali filiorum curam impendere* [2]. Baptizato autem semel edocto, haec obligatio finitur; nec, si postea illa dediscat, reviviscit.

Art. II.

De caeremoniis Baptismi.

253. — *Q.* 1° Quaenam sunt caeremoniae Baptismi; 2° et obligant ne?

R. Ad 1um: Caeremoniae Baptismi aliae sunt *essentiales*, aliae *accidentales*, aliae sunt Baptismo *antecedentes*, uti designatio patrini, impositio nominis; aliae *concomitantes*, uti unctio olei catechumenorum, professio fidei; aliae *consequentes*, uti unctio chrismatis, impositio vestis albae, traditio cerei accensi, etc.

Ad 2um: Caeremoniae Baptismi de praecepto sunt; unde, ait S. Alph.[3], mortale est negligere omnes caeremonias vel aliquam ex eis notabilem, uti esset v. g. exorcismus, professio fidei, unctio chrismatis, etc.

Minister in conferendo solemniter Baptismum indutus esse debet superpelliceo et stola, et mortaliter peccaret si utrumque omitteret.

Totus ritus in lingua liturgica est peragendus, et etiam interrogationes in Baptismo lingua latina fieri debent, lingua vernacula tamen iterari possunt, postquam latinae factae sunt. Et patrini possunt sua lingua respondere. Imo possunt recitare *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum Parochus ea lingua latina recitat. (S. R. C. 20 dec 1881 n. 3535, ad X).

Non potest vero tolerari usus interrumpendi caeremonias Baptismi solemnis adultorum ad explicandas has caeremonias lingua vernacula. (S. R. C. 21 jun. 1879, n. 3496, ad II).

254. — *Q.* Unctio olei catechumenorum vel Chrismatis est ne praecepta sub gravi?

R. Affirmative, quia istae et aliae similes caeremoniae ob earum specialem et gravem significationem materiam gravem constituunt.

Parochus autem, novo oleo recepto, vetus comburere debet, et graviter peccaret si novum habens veteri utatur.—Quod si, elapso anno, novum adhuc non recepisset, tunc vetus adhibere debet, nec ea de causa baptismus differri debet ad aliud tempus quantumvis breve. (S. R. C. 23 sept. 1837, n. 2773 ad 4).

255. — *Q.* Impositio nominis alicuius sancti est ne de praecepto?

R. Disput. Th.: alii volunt esse tantum de consilio; alii vero con-

[1] S. Alph., L. VI, 151
[2] P. 2, q. 67. a. 8; S. Alph., L. VI, 147.
[3] S. Alph., L. VI, 141.

tendunt esse de praecepto saltem sub levi, secluso contemptu. Ad rem autem monet Rit. Rom.: *Curet Parochus ne obscoena, fabulosa, vel impiorum ethnicorum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum.*

Quod si a parentibus proponatur nomen minus congruens, Parochus humaniter suadeat ut mutetur, et si parentes recusent, illud obstinate non respuat nec baptismum differat, sed aliud nomen alicujus sancti, etiam *submissa voce,* si necesse sit, adjungat et praemittat. C. S.O. jun. 1883 [1].

256. — *Q.* Baptismus quo loco conferri debet?

R. Proprius Baptismi administrandi locus, ait Rit. Rom., *est Ecclesia, in qua sit Fons Baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam;* unde mortale est sine necessitate vel legitima Episcopi dispensatione baptizare extra Ecclesiam; quia violarentur in re gravi Decreta Sacrorum Canonum [2].

In casu vero necessitatis ubique baptizare licet: esset autem casus necessitatis si periculum mortis infanti immineat [3]: — vel si ad Ecclesiam deferri nequeat absque inginti miliariis geographicis ab eis distant, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis obnoxia est, liceat Missionario advocato hos infantes solemniter baptizare in domibus privatis, vel extra mortis periculum Baptismum ministrare sine caeremoniis?

Ad 1um responsum fuit: Non solum licere, sed deberi.

Ad 2um: Ne in hac re a sanctissimis Ecclesiae institutis recedatur, omnem curam adhibere debet Missionarius, ut parentes ab hac sua irrationabili contradictione recedant; quod si suis persuasionibus et monitis, nihil proficiat, tunc sibi persuadere poterit rem esse deductam ad casum necessitatis... proinde licitum erit iis infantibus baptismum conferre extra Ecclesiam, omissis sacris ritibus et caeremoniis, animo tamen eas supplendi in Ecclesia, quamprimum hoc fieri permissum erit. Si vero praevideatur quod parentes infantium neque decursu temporis eos ad Ecclesiam pro supplendis caeremoniis deferri permittant, tunc satius erit ut in ipsis privatis domibus ritus ac caeremoniae per Rit. Rom. praescriptae in actu collationis baptismi adhibeantur. S. C. de P. F. 21 jan. 1789.

Ad 3um: Affirmative, seu Baptismum in casu ministrari posse in privatis domibus servato ritu Ecclesiae consueto. S. R. C. 4 febr. 1871, n. 3234, dub. III. *Bucceroni,* Enchiridion mor., p. 85 86.

[1] Ex Rit. Rom. Parochus tenetur in libro apposito adnotare annum, diem et horam nativitatis baptizati, ejus parentes, et patrinos. — Advertendum: 1° Si parentes matrimonio civili tantum conjuncti sunt, Parochus nequit scribere baptizatum natum esse ex legitimo matrimonio: et imprudenter adnotaret natum esse ex matrimonio illegitimo: sed scribendum est natum esse ex N. et N. *civiliter tantum conjugatis.* 2° Si filius *adulterinus* est, nisi constet de adulterio per sententiam judicis, standum est effato juris: *Ille est pater, quem nuptiae demonstrant.* 3° Si filius *naturalis* est, et a nemine agnitus, inscribatur natus ab ignotis parentibus: si agnoscitur a patre coram testibus, inseratur ejus declaratio ab eo et testibus subscribenda: item de matre si haec per se, aut scripto, aut per idoneos testes infantem agnoscit ut suum. Ita Martinet, *Theol. Moralis,* lib. 3. art. 2

[2] S. Alph., L. VI, 142.—Quaesitum fuit: 1° An in iis locis ubi non est Ecclesia seu Oratorium commune. liceat sacerdoti solemniter, idest adhibitis omnibus caeremoniis et precibus in Rit. Rom. praescriptis, baptizare liberos christianorum in eorum domibus privatis?

2° An liceat solemniter baptizare in domibus privatis, ubi quidem est Ecclesia, sed ita distans, ut ad eas infantes suos deferre nolint parentes, ne quid ipsis ex aeris intemperie accidat mali, quod supra modum reformidant Annamitae?

3° An in locis Missionum, ubi catholici haud raro incolunt procul Ecclesiis vel Oratoriis publicis, v. g. decem vel vi-

[3] Signa praecipua hujus periculi sunt: 1° Si puer oriatur sine vagitu et lacrymis. 2° Si modice respiret. 3° Si appa-

famia parentum ; — vel si ob loci distantiam, temporis rigiditatem, aut ob alias causas periculum adsit alicujus gravis damni, et in hoc casu, juxta plures Th., ex Episcopi licentia, Baptismus privatim domi conferri potest[1].

Itaque, necessitate excepta, in locis privatis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, et in aqua Baptismali de more benedicta[2]. Consuetudo tamen invaluit ut Episcopi, si justa adsit causa, hanc facultatem etiam aliis concedere possint. Sine autem rationabili causa ab Episcopo probanda, non licet Baptismum solemniter conferre in Sacristia. Ita S.R.C.14 mart.1861,n.3104,ad IX.

257. — *Q.* Quomodo se gerere debet sacerdos qui in necessitate extra Ecclesiam baptizat ?

R. Si sacerdos in necessitate extra Ecclesiam baptizet, juxta Rit. Rom., omittere debet omnes caeremonias, quae Baptismum *praecedunt*, etiamsi infans tamdiu victurus videatur ; et incipere ab ipso baptismo. — Collato autem Baptismo, debet infantem in vertice ungere Chrismate si habeat, imponere vestem albam et candelam accensam praebere. — Cum autem convaluerit infans, praesentandus est in Ecclesia, ibique et nunquam extra Ecclesiam supplendae sunt caeremoniae omissae quae Baptismum praecedunt. (S. R. C. 23 sept. 1820, n. 2607).

258. — *Q.* Adest ne obligatio supplendi caeremonias in Baptismo omissas ?

R. Si Baptismus domi collatus sit sine caeremoniis ob periculum mortis, et infans supervivat, et absque gravi incommodo ad Ecclesiam deferri potest, deferri debet, quia caeremoniae omissae sub gravi supplendae sunt.

Sed quoad haereticum *adultum*, ait Rit. Rom., ad Ecclesiam Catholicam venientem, si in ejus Baptismo debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur, *nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur*.

Quod si Baptismus jam solemniter collatus fuit, sed invalide, an in eo casu caeremoniae repetendae sint, Th. alii negant, alii affirmant. Utraque sententia videtur probabilis, sed affirmativa, si absque scandalo vel infamia fieri possit, ut tutior est consulenda (S. Alph., L. VI, 141, 144).

Quando caeremoniae supplendae sunt, tunc, si supplendae sint super adultum catholicum, illae sunt adhibendae quae in Rit. Rom. sunt assignatae pro baptismate infantium. Si vero supplendae sint super adultum ab haereticis baptizatum, servandae sunt assignatae pro Baptismate adultorum. (S. R. C., 27 aug. 1836, n.2743, ad 3 et 4).

reat lividus praesertim in facie aut capite. 4° Si nascatur post multum laborem obstetricis 5° Vel ante septimum mensem. 6° Si cranium habeat valde molle aut suturas apertas aut alias partes disjunctas. *Scavini*, III, 63 (3).

Tunc licet quovis loco, quavis aqua simplici (algida quoque, temetsi infans exinde citius sit moriturus) et sine ulla solemnitate. *D' Annibale*, III, 276.

[1] S. Alph., L. VI, 142 ; *Lehmkuhl*, II, 68; *Del Vecchio*, II, 434.

[2] Igitur non omnes principes, sed solum *magni* principes hoc jus habent. Quare haec adest differentia inter magnos principes et alios, nempe quoad primos Episcopus baptismum in eorum oratoriis permittere tenetur : quoad alios vero potest, sed non tenetur. Sed et isti et illi petitionem facere tenentur.

DE CONFIRMATIONE

Tribus capitibus haec dissertatio constat: 1. *de Confirmationis natura, necessitate et effectibus*; 2. *de materia et forma*; 3. *de ministro, subjecto et patrino.*

CAPUT I.

De Confirmationis natura, necessitate et effectibus

259. — *Q.* Quid est Confirmatio?

R. Confirmatio est *Sacramentum N.L. quo per manuum impositionem et chrismatis in fronte unctionem sub praescripta verborum formula, baptizato additur robur ad firmiter credendum, et ad fidem strenue profitendam.* — Hoc Sacramentum creditur institutum fuisse in nocte Coenae, qua Christus de ipso Apostolos edocuit [1].

260. — *Q.* Confirmatio est ne verum Sacramentum?

R. Confirmationem esse verum et proprium Sacramentum de fide est: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anath. sit* [2].

[1] S. Alph., L. VI, 161.
[2] Trid. Sess. VII, c. I, *de Conf.*

Probatur: — **1.** *Ex S. Scriptura.* In Actibus Apost.[3] legitur: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolimis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ex quibus verbis patet in Confirmatione omnes conditiones reperiri ad constituendum Sacramentum requisitas, adest enim: 1° *signum sensibile*, nempe manuum impositio et unctio chrismatis; 2° *gratiae collatio:* « et accipiebant Sp. S. ». Spiritus Sanctus autem non datur nisi per gratiae sanctificantis infusionem; 3° *divina institutio*, quia Deus solus rebus sensibilibus gratiam adnectere potest: ergo Confirmatio est verum Sacramentum.

2. *Ex Ss. Patribus.* S. Hieronymus in dialogo adversus Lucif. sic habet: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponatur, et ita invocetur Spir. Sanctus? Exi-*

[3] Act. Ap., VIII, 14-17.

gis ubi scriptum sit? In Actis Apostolorum. Etiamsi Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret. Et S. Aug.[1] ait: *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Quid clarius desiderari potest?

3. *Ex praxi universali Ecclesiae* in administrando hoc Sacramento. Testes sunt SS. Pontifices, Concilia, Ss. Patres, Libri Rituales Ecclesiae Occidentalis, Eucologia Ecclesiae Orientalis. Ergo[2].

261. — *Q.* Confirmatio est ne necessaria?

R. Confirmatio certe non est necessaria necessitate medii. An v e r o necessaria sit necessitate *praecepti*, ita ut peccet qui eam negligeret, disput. Th.. Alii negant, quia adsunt alia media generalia, uti Eucharistia, oratio, ex quibus robur animae etiam obtineri potest. — Sed sententia probabilior et verior affirmat, quia quum ex institutione Christi hoc Sacramentum multum conferat ad tentationibus resistendum, qui se hoc Sacramento privaret, causa magni damni sibi esset. Et Rit. Rom., in App. de Sacramento Confirmationis, haec habet: *Etsi hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi.*

Omnes autem Th. conveniunt eum, qui Confirmationem accipere negligeret, per accidens graviter peccare tribus in casibus: 1° si ea omissa certe periculum sibi immineret ammittendi fidem vel charitatem; 2° si omitteret cum scandalo, nempe si ex Confirmationis neglectu exurgeret suspicio de ejus fide, et reputaretur Confirmatio-

[1] Contra Litteras Petiliani Donatistae, L. II. c. 14.

[2] *Ob.* 1. Ex S. Scriptura verba haec: *accipiebant Spiritum Sanctum*, intelligenda sunt de gratia gratis data, ut patet ex his verbis: *Et loquebantur linguis et prophetabant;* ergo ex iis Scripturae locis erui non potest Sacramentum Confirmationis.

R. Disting.: Per manuum impositionem conferebantur gratiae gratis datae, simul et gratiae gratum facientes, concedo; conferebantur solum gratiae gratis datae, nego. Etenim primis Ecclesiae temporibus duplex erat effectus manuum impositionis, *exterior* unus, nempe gratia miraculorum, etc.; et hic prior effectus accessorius est et necessarius tantum illis primis temporibus ad propagationem et confirmationem fidei, unde non fuit perpetuus, sed temporarius. Alter vero effectus principalis et primarius hujus Sacramenti, est *interior*, qui est gratia gratum faciens, seu gratia sanctificans, ut declaravit Christus, dum promisit gratiam confirmatricem roboris ac fortitudinis ad strenue fidem confitendam, dicens: *Donec induamini virtute ex alto.* Unde hic effectus, non accessorius, sed principalis, nempe gratia sanctificans Spiritus Sancti, perpetuus est: ergo, si Confirmatio vere confert Sp. Sanctum, seu gratiam sanctificantem, verum Sacramentum est.

Ob. 2. Dum Petrus Christum annuntiabat Cornelio et ejus domui, *cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum... Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Sp. Sanctum acceperunt sicut et nos?* (Act. Ap. X, 47). Ergo Baptismum quidem administravit, non vero Confirmationem.

R. Deus per illam praecedentem diffusionem Sp. Sancti super Cornelium et omnes qui audiebant verbum, Petrum docuit sine ulteriori haesitatione admittendos esse ad Baptismum eos, quibus visibiliter communicabatur Spiritus Sanctus. Quod autem Petrus illico illos baptizavit, non sequitur quod postea Confirmationem non administraverit. Scriptura de Confirmatione silet; porro argumentum negativum non stat contra argumenta positiva.

—

nem contemnere, aut non credere esse Sacramentum; 3° si omitteret ex contemptu, v. g. si illam suscipere negligit, quia ipsam parvi facit [1].

262. — *Q.* Quinam effectus Confirmationis?

R. Effectus Confirmationis est triplex: 1° Gratia tum *sanctificans,* tum *sacramentalis,* idest robur speciale ad praelianda praelia Domini; 2° character quo christianus adscribitur militiae Christi; 3° ex jure canonico cognatio spiritalis perinde ac in Baptismo.

NOTA: Ad occurrendum matrimonii invaliditati ob dictam spiritualem cognationem, et simul ad tollendam quorumdam anxietatem de susceptione hujus Sacramenti, Parochus in libro parochiali nomina tum patrinorum tum confirmatorum referre tenetur.

CAPUT II.

De materia et forma.

263. — *Q.* Quaenam materia remota Confirmationis?

R. Materia remota est chrisma confectum oleo olivarum (quia hoc proprie oleum dicitur) et balsamo cujuscumque regionis sit. Sufficit autem ea quantitas balsami quae satis sit ut sui odorem dare possit, quin necesse sit ut omnibus olei partibus misceatur [2].

Certum autem est oleum et quidem olivarum esse de necessitate Sacramenti.

Balsamum vero certum est esse de necessitate praecepti. — An vero sit etiam de necessitate Sacramenti, disput. Th.; juxta S. Alph. sententia communior et probabilior affirmat: sed juxta D' Annibale [3] negantium sententia est forsan verior, affirmantium tutior; quae proinde *in praxi* est tenenda, ita ut confirmatus solo oleo sit iterum sub conditione confirmandus. — Sed in articulo mortis, deficiente chrismate, Confirmatio solo oleo consecrato (nempe oleo catechumenorum vel infirmorum) potest sub conditione conferri, ob magnam hujus Sacramenti utilitatem.

Ad substantiam autem Sacramenti perinde est sive chrisma sit novum, sive vetus: sed graviter peccat qui, nulla cogente necessitate, utitur alio quam novo, idest illo anno consecrato [4].

264. — *Q.* Chrisma debet ne esse benedictum ab Episcopo?

R. Si agatur *de necessitate praecepti,* certum est apud omnes quod chrisma debet esse benedictum ab Episcopo.

Si vero agatur *de necessitate Sacramenti,* disput. Th.. Sententia affirmativa est quidem communior, negativa tamen probabilitate non caret, quia, dicunt, sicut Papa facultatem confirmandi Sacerdoti concedere potest, sic etiam potest facultatem concedere chrisma benedicendi [5]. — *In praxi* tamen sen-

[1] S. Alph., L. VI, 181, 182.
[2] S. Alph., L. VI, 162.
[3] *D' Annibale,* III, 279.
[4] S. Alph., L. VI, 162, 163. — Si olea deficere videantur, et alia benedicta haberi nequeant, adjici poterit in minori quantitate aliud oleum non benedictum. *D' Annibale,* III. 266.

[5] Fatendum tamen in retroactis saeculis talis concessionis nullum forte reperiri exemplum authenticum, et constat Summum Pontificem potius dispensasse aliquando a praecepto utendi novo chrismate quum simplex Sacerdos debuit in regione longinqua confirmare.

tentia affirmativa, uti tutior, est omnino tenenda, quia agitur de validitate Sacramenti[1].

265. — *Q.* Quaenam materia proxima Confirmationis?

R. Materia proxima Confirmationis est unctio chrismatis una cum manus impositione. Duplex autem fit manus impositio: una in principio sacrae functionis dum Episcopus invocat Spiritum S. super confirmandos, altera cum singulos linit chrismate, quae proinde ab unctione est indistincta. Olim dubitatum fuit num utraque esset necessaria; sed jam fere extra controversiam est secundam tantum necessariam esse. Unde si prima manuum impositio fuerit omissa, non ideo est Confirmatio, ne sub conditione quidem, repetenda[2].

Haec autem unctio ut valida sit manu fieri debet; unde fieri nequit per aliquod instrumentum, quia tunc deficeret manus impositio[3]. Nec dicas quod Extrema Unctio valide ministratur aliquo instrumento; nam in hoc Sacramento impositio manus non requiritur ad validitatem, sicut in Confirmatione. Ita S. Alph. et Th. communiter[4].

Unctio *ex necessitate praecepti* fieri debet *pollice dexterae manus;* valida tamen esset unctio si alio digito fieret, etiamsi esset digitus manus sinistrae; quia vere fieret per impositionem manus episcopalis. Minister tamen qui sine necessitate recederet a praxi universali Ecclesiae, peccaret graviter juxta plures; sed probabiliter juxta alios tantum vinialiter[5].

Insuper Unctio fieri debet *in fronte*, et hoc probabilius *de necessitate Sacramenti,* ut eruitur tum ex perpetua Ecclesiae praxi, tum ex decreto Eugenii IV ad Armenos: « Ideo *in fronte*, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat ».—Item, fieri debet *in modum crucis*, et hoc signum crucis videtur pariter necessarium *de necessitate Sacramenti*, tum quia illud expostulatur praxi generali Ecclesiae, tum quia alioquin vera non essent verba formae: *Signo te signo crucis*[6].

266. — *Q.* Quaenam forma Confirmationis?

R. Forma in Ecclesia *latina* est: *N., Signo te signo crucis, et Confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Per verba *signo te*, significatur confirmatus adscribi in Christi militia; per verba *confirmo te,* denotatur illum virtutem ad praeliandum recipere; et per verba *in nomine Patris* etc., denotatur a quo hanc accipiat virtutem. — Plerique docent omnia verba formae praedictae esse de essentia[7]; alii ea tantum: *Confirmo te chrismate salutis*, substantialia esse[8]. Peccaret tamen mortaliter qui alia verba omitteret. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo,* vel *sanctificationis* pro *salutis*, esset tantum mutatio accidentalis.

[1] S. Alph., L. VI, 163.
[2] S. C. de prop. Fide, 6 aug. 1840.
[3] Quapropter C. S. O. decrevit confirmatos apud Orientales mediante penicillo aliove instrumento iterum secreto et sub conditione confirmandos esse. — 7 sept. 1880; 21 jan. 1885.
[4] S. Alph., L. VI, 166; *Gury*, II, 264.
[5] S. Alp., L. VI, 165.
[6] *Marc*, 1495. — Ea chrismatis quantitas requiritur et sufficit, ut illa crux in fronte reapse signetur; unde attendendum est ne chrisma in pollice deficiat, ut facile accidere potest.
[7] S. Alph. Hom. Ap., T. XIV, 43.
[8] *D' Annibale*, III, 280.

Forma in Ecclesia *graeca* est: *Signaculum doni Spiritus Sancti* (subintelligendo juxta morem linguae graecae: *Ecce*, vel *tibi datur*), quae etiam est valida, ut declaravit Urbanus VII[1].

CAPUT III.

De ministro, subjecto et patrino.

267. — *Q.* Quisnam minister Confirmationis?

R. Minister *ordinarius* est solus Episcopus, et hoc de fide est: *Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anath. sit*[2].

Minister vero *extraordinarius* est etiam simplex Sacerdos ex delegatione, penes Latinos, solius Romani Pontificis; quae delegatio requiritur non tantum ad licitam, sed juxta sententiam ab omnibus receptam, etiam ad validam administrationem Sacramenti[3].

Episcopus hoc Sacramentum confert ex ordinis, cum primis Episcopalis, Presbyter cum primis ex jurisdictionis potestate; ideoque valide hic si non excedit fines mandati, nec quoad territorium, nec quoad personas, nec quoad modum[4].

Episcopus confirmans in aliena dioecesi, sine Episcopi loci consensu saltem tacito, etiam subditos suos, graviter peccat, propter defectum jurisdictionis, et incurrit suspensionem a pontificalibus ipso jure ex Trid.[5]. Valida tamen est Confirmatio; quia jurisdictio requiritur non necessitate sacramenti, sed praecepti tantum. — Potest autem confirmare alienos subditos in sua propria dioecesi, non quidem per se, cum id ei sit vetitum sub gravi, sed quia praetalis, quatenus per illum confertur potestas inchoata et incompleta ad confirmandum, quae per legitimam delegationem seu dispensationem Ecclesiae perficitur et completur, eo ferme modo quo Episcopus vi suae ordinationis est minister ordinarius Ordinum, et simplex Sacerdos vi suae ordinationis habet quod possit delegari ad aliquos saltem ordines conferendos. Dum autem conceditur Sacerdoti facultas confirmandi, non ei conceditur actus Ordinis Episcopalis quia non instituitur minister ordinarius, sed committitur ei actus sui Ordinis Sacerdotalis, ut sit nempe minister extraordinarius. Paritas maneat respectu Ordinum. *Billuart*, De Conf. a. VII, § 2, Ob. 2.

[1] S. Alph., Hom. Ap., T. XIV, 43.

[2] Trid. Sess. VII, c. 3, *de Confirm.*

[3] Quod spectat ad facultatem simplici sacerdoti concessam administrandi sacramentum Confirmationis, Th. dicunt hanc non esse dispensationem in institutione divina, sed potius ipsam institutionem divinam sic factam esse, ut quilibet sacerdos Confirmationem administrare possit, quando R. P. hoc ipsi committit; quod est conditio quaedam sine qua hujusmodi Sacramentum ministrari non possit. *Ballerini*, I, Tr. 3, n. 294.

Ob. Confirmare non est actus jurisdictionis, alioquin Episcopus electus, sed non consecratus, posset confirmare; sed est actus ordinis. Igitur vel est actus Ordinis Episcopalis, et tunc nemini nisi Episcopo committi potest; vel est actus Ordinis Presbyteralis, et tunc quilibet Sacerdos valide, etsi aliquando illicite, confirmare potest; ergo delegatio requiritur ad licitam et non ad validam administrationem

R. Confirmare jure ordinario est actus Ordinis Episcopalis, jure autem extraordinario est actus Ordinis Sacerdo-

[4] *D'Annibale*. III, 282. — Bened. XIV autem (*De Syn. Dioec.*, L. VII, c. 8, n. 7) haec habet: Quamvis confirmare sit actus ordinis episcopalis, cujus firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum potius ad jurisdictionem quam ad ordinem pertinet.

[5] Sess. VI, cap. V, *de Ref.*

sumitur, nisi aliter constet, tacitus consensus aliorum Episcoporum [1].

268. — *Q.* Episcopus quaenam observare debet in conferendo hoc Sacramento?

R. — 1. Episcopus hoc Sacramentum conferre debet in Ecclesia, sed hoc probabiliter non sub gravi; unde interveniente aliqua rationabili causa, licite ministrare potest in quovis loco decenti. — Ex hodierna vero praxi licite conferri potest quocumque die et hora.

2. Episcopus, ex praescriptione Pontif. Rom., induat amictum super rochetum (vel superpelliceum si sit religiosus), stolam, et pluviale albi coloris; et peccaret graviter Episcopus si confirmaret sine ulla dictarum vestium, secus si aliquam omitteret. Quoad baculum, sufficit ut in aliquo loco exponatur, aut ab aliquo clerico teneatur [2]: mitra vero, si privatim Sacr. confertur, non requiritur. Insuper requiritur cereus, et ut Episcopus alapam post formae prolationem det confirmato; sed harum rerum omissio non excederet veniale [3]. — Quod si alicui Sacerdoti ex indulto Apostolico concessa fuit facultas Sacramentum confirmationis administrandi, nunquam ipsi licet in illius administratione uti vestibus ac ornamentis episcopalibus, uti rocheto, mitra, baculo pastorali, annulo, vel cruce pectorali; haec enim non licent nisi illi qui charactere Episcopali est insignitus, vel cui alias usum Pontificalium ex vero legitimo privilegio competit. (S. C. de Prop. Fide, 23 apr. 1774).

Docent autem Th. Episcopum teneri Confirmationem ministrare suis subditis, et lethaliter peccare, si non legitime impeditus, hujus Sacramenti administrationem nimis protrahat, et praecipua saltem loca suae dioecesis eo fine visitare negligat, ob bona spiritualia quibus subditos suos privat. Sufficit tamen juxta Gousset (n. 143) et alios, ut haec visitatio fiat intra 8 vel 10 annos. — An vero Episcopus teneatur sub gravi Confirmationem ministrare infirmo eam petenti, plures Th. cum S. Alph. negant, quia excusat incommoditas et communis praxis [4].

269. — *Q.* Quisnam subjectum Confirmationis?

R. Subjectum Confirmationis est omnis homo viator et baptizatus; insuper, ex hodierna praxi et disciplina, regulariter requiritur *ad liceitatem* quod is ad septimum annum pervenerit, seu usum rationis adeptus sit [5]. Unde regulariter illicitum est pueros confirmare ante usum rationis, prout declaravit Benedictus XIV; nisi adsit justa causa, v. g. periculum mortis, diuturna Episcopi absentia, legitima consuetudo, etc.—Etiam perpetuo amentes licite confirmantur, praesertim si aliquando usum rationis habuerint, licet per ac-

[1] S. Alph., L. VI, 171, 172.

[2] Vicarius Ap. Coreae petiit: Tuguria Coreanorum sunt parva valde, et tam parum alta ut homo in iis vix stare possit; usque modo saepissime non potui administrare Sacramenta cum mitra et baculo. Hoc licitum sit mihi in posterum absque scrupulo.

S. C. S. O. respondit: *Adstante causa, posse privatim confirmare absque mitra et baculo pastorali, adhibita stola.* Die 12 feb. 1851.

[3] S. Alph. Hom. Ap., T. XIV, 50.

[4] S. Alph., L. VI, 175.

[5] Licet in Confirmatione mutare nomen: imo si quis turpe vel christiano homini non conveniens nomen haberet, aliud assumat. S. C. P. F.

cidens nunquam sint spiritualiter pugnaturi [1].

270. — *Q.* Quaenam dispositiones requiruntur in subjecto ?

R. Dispositiones aliae absolute requiruntur ad licitam susceptionem, aliae ad majorem decentiam.

Ad licitam susceptionem requiritur tantum status gratiae.

Ad *majorem vero decentiam* requíritur *ex parte corporis :* jejunium ubi consuetudo viget et fieri potest, habitus modestus, et frons nitide patens ; *ex parte animae :* oratio, peritia bonae vitae et scientia principalium mysteriorum [2].

271. — *Q.* Quid de patrinis Confirmationis ?

R. Ad Confirmationem patrinus requiritur sub gravi, ut communiter dicunt Th.. Si tamen patrinus haberi nequit, Confirmatio licite conferri potest [3].

Ad *validitatem* requiritur : 1° Ut patrinus sit rationis compos, etsi adhuc impuber ; 2° ut confirmandum physice tangat, nempe, juxta probatam consuetudinem, manum ponat super dexterum humerum confirmandi [4] ; 3° ut sit ipse confirmatus, secus probabilius graviter peccat si alium teneat [5], et ejus actus esset nullus, nec spiritualem cognationem contraheret. (S. C. C. 13 jun. 1654) [6]. — An vero necesse sit ut Patrinus a confirmando, vel a parentibus, vel saltem ab Episcopo designatus sit, alii affirmant, ut de baptismo ; alii negant, quia in Confirmatione nihil a Trid. immutatum videtur [7].

Ad *liceitatem* vero requiritur : 1° Ut sit tantum unus vel una, ex jure canonico ; 2° ut sit diversus a patrino Baptismi, nisi adsit justa causa in contrarium, sed hoc sub levi [8] ; 3° ut sit ejusdem sexus ac confirmandus, nec minor annis 14 (Inst. S. C. U. I. 30 maji 1888) ; 4° ut non sit regularis vel monialis, nisi persona confirmanda sit pariter regularis, ex jure canonico ; 5° ut non sit pater, aut mater, maritus aut uxor confirmandi ; 6° ut rudimenta fidei calleat, nec sit excommunicatus, interdictus aut gravioribus

[1] S. Alph., L. VI, 180.

[2] Vicarius Ap. Tchely meridio-orientalis petiit : Utrum danda sit Confirmatio et Extrema Unctio illis neophytis, qui in articulo mortis baptizati omnino rudes sunt, et vi morbi defatigati instrui nequeunt ?

S. C. S. Off. respondit : « *Non conferendum Sacramentum Confirmationis, nec Extremae Unctionis illis neophytis moribundis, quos Missionarius capaces baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi Confirmationem ad robur animae suae adjiciendum, et recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam* ». Die 10 apr. 1861.

« Simultanea collatio Baptismi et Confirmationis in pueris admittenda non est, nisi forte in mortis periculo, juxta praxim ». S. C. de Prop. F., 21 mart. 1851.

[3] S. Alph., L VI, 185.

[4] S. R. C. 20 sept. 1749, n. 2904, ad 6.

[5] S. Alph., L. VI, 186. — At cum quis confirmandum tenet per procuratorem hunc confirmatum non esse nihil obest (S. C. C. 29 mart. 1582), et jure prorsus, quippe non suo sed mandantis nomine agit. *D'Annibale,* III, 286 (11).

[6] Verum, quia contingere potest ut in locis Missionum nullus adsit qui ante confirmatus fuerit, in hoc casu permittitur, ut aliqui sine Patrino confirmentur, qui postea Patrini ceterorum esse poterunt. S. C. P. F., 4 maji 1774.

[7] *Bucceroni,* II, 453.

[8] Interrogata S. C. C. : Utrum tolerari possit consuetudo quae in aliquibus locis viget adhibendi eumdem patrinum in Baptismo et Confirmatione, respondit : *Posse tolerari ; sed Episcopus curet abusum pedetentim evellere.* 16 febr. 1884.

facinoribus contaminatus. Ita ex Pontificali Rom [1].

272. — *Q.* Quaenam Parochi obligationes circa hoc Sacramentum?

R. Obligationes Parochi circa hoc Sacramentum sequentes sunt. — 1° Debet instruere populum circa naturam et effectus hujus Sacramenti; circa requisitam aetatem, dispositiones, patrinos, etc. — 2° Debet specialem adhibere curam (certiorem faciendo Episcopum) si in paroecia sua multi sine hoc Sacramento jam adolescere inciperent; si aliquis jam adultus neque adhuc confirmatus esset (maxime occasione sacrae visitationis); si puer esset moribundus, et Episcopus soleret ad privatas domos in hunc finem accedere, idque facile obtineri posset. — 3° Debet etiam disponere pueros ad hoc Sacramentum, praesertim occasione illius publicae administrationis. — 4° Debet denique inscribere confirmatos in libro parochiali (si in dioecesi talis sit consuetudo) juxta formulam in Rituali praescriptam [2].

[1] Si Episcopus velit non tantum ministri ,sed etiam patrini officium gerere, gerat officium patrini per procuratorem. S. R. C., 14 jun. 1873, n. 3305, ad III.

[2] *Berardi*, de Parocho, 186.

DE SS. EUCHARISTIA

Cum SS. Eucharistia considerari possit uti Sacramentum et uti Sacrificium, duae erunt hujus tractatus partes, quarum prior de Sacramento, altera de Sacrificio.

PARS I.

DE SS. EUCHARISTIA UTI SACRAMENTO.

Quatuor capitibus haec dissertatio conficitur: 1. *De hujus Sacramenti natura, necessitate et effectibus;* 2. *de materia et forma;* 3. *de ministro;* 4. *de subjecto.*

CAPUT I.

De hujus Sacramenti natura, necessitate et effectibus.

ART. I.

De hujus Sacramenti natura.

Circa hujus Sacramenti naturam disseremus: 1° de ejus definitione, institutione, unitate et essentia; 2° de reali Christi praesentia in Eucharistia; 3° de transubstantiatione panis in Corpus Christi, et vini in Sanguinem; 4° de praesentia Christi sub unaquaque specie, et de ejus permanentia donec permanent incorruptae species consecratae; 5° demum de Eucharistiae conservatione et cultu Ei debito.

§ 1°

De hujus Sacramenti definitione, institutione, unitate et essentia.

273. — *Q.* Quid est Eucharistia?

R. Eucharistia, prout est Sacramentum, definitur: *Sacramentum N. L. a C. D. institutum in quo sub panis et vini speciebus Christi Corpus et Sanguis vere, realiter, et substantialiter continetur ad spiritualem fidelium alimoniam* [1].

[1] Eucharistia, graeca vox, quae latine *bonam gratiam*, vel *gratiarum actionem* significat, variis nominibus donatur. Praecipua haec sunt: A tempore institutionis dicta fuit *Coena Domini*. Ab eo quod continet: *Corpus, Caro, Sanguis Christi*. A materia ex qua conficitur: *Panis Coelestis, Panis Angelorum*. A forma consecrationis: *Eulogia, Benedictio, Consecratio*. Ab effectibus: *Vita, Communio, Viaticum*. A loco demum in quo conficitur: *Sacramentum Altaris, Synaxis*, etc.

Dicitur: 1° *Sacramentum N. L. a C. D. institutum, in quo sub panis et vini speciebus*, quibus verbis designatur illud quod in Eucharistia habet rationem signi sensibilis gratiam significantis et producentis, simulque innuuntur materia et forma Sacramenti; 2° *in quo Christi Corpus et Sanguis vere, realiter, et substantialiter continetur*, ut praesentia realis Christi ostendatur, omnique ex parte praecludatur aditus Protestantium cavillationibus; 3° *ad spiritualem fidelium alimoniam*, quibus verbis indicatur specialis finis et effectus hujus Sacramenti, quod per modum alimoniae spiritualis institutum est.

Eucharistiam esse verum Sacramentum de fide est. Constat ex definitione Trid. (Vide n. 163).

Et sane in Eucharistia omnia adsunt ad constituendum Sacramentum requisita, nempe: 1° *Signum sensibile*, et sunt species externae panis et vini. — 2° *Divina institutio*, nam ipse Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit: *Accipite, et manducate: hoc est Corpus meum; hoc facite in meam commemorationem* [1]. — 3° *Gratiae collatio: Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.*

274. — *Q.* Quandonam Eucharistia instituta fuit?

R. Christus Eucharistiam instituit in ultima coena, quam fecit cum Apostolis suis ad vesperam, quae immediate Passionem suam praecessit, et haec erat dies 14 mensis Nisan, in qua agnus paschalis ex praecepto legis mosaycae erat mactandus. Constat ex S. Evangelio [2]. Hinc Trid. habet: Christus *celebrato veteri Pascha... novum instituit Pascha* [3]. Et Catech. Rom. [4]: Christus, *celebrata cum discipulis agni Paschalis coena, ut figura veritati, umbra corpori cederet, panem accepit, Deoque gratias agens, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et dixit: Accipite et manducate; hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem*, etc.

275. — *Q.* Sacramentum Eucharistiae est ne specifice unum?

R. Affirmative, licet enim duplex sit materia ex qua integre conficitur hoc Sacramentum, panis nempe et vinum, et licet species panis et vini *physice et materialiter* specie differant, *moraliter* tamen et *in ratione Sacramenti* Eucharistia est unum Sacramentum; tum quia est unus et idem Christus sub utraque specie, tum quia unica est res significata, nempe refectio spiritualis, ad quam ordinantur Corpus et Sanguis Christi, sicut ad unicam refectionem materialem ordinantur cibus et potus. Ergo sicut refectio corporalis quae cibo et potu materiali perficitur una est refectio, ita Sacramentum Eucharistiae, quod cibo et potu spirituali perficitur, unum est Sacramentum.

276. — *Q.* Qua ratione hoc Sacramentum numerice multiplicatur?

R. Praemitto: Hoc Sacramentum sub triplici respectu considerari potest, nempe in fieri, in facto esse, et in usu. Hoc posito:

1. Considerato *in fieri*, seu *in ipsa consecratione*, hoc Sacramentum multiplicatur ratione numeri consecrationum distinctarum; nam

[1] I Cor. XI, 24.
[2] Matth. XXVI, et Marc. XIV.
[3] Sess. XXII, cap. I.
[4] Pars II, cap. IV, n. 2.

ad confectionem Sacramenti requiritur et sufficit materia, forma, et minister cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; porro in omni actu consecrationis distincto haec omnia reperiuntur; ergo.

2. Considerato *in facto esse,* seu *in esse permanenti,* nempe post consecrationem, multiplicatur ratione specierum a se invicem divisarum. Quando autem dividuntur species consecratae, tunc singulae partes fiunt tot signa numerice distincta; nec ulla ad id requiritur forma, quia non fit novum Sacramentum, sed idem in plura dividitur, sicut cum aqua dividitur in varias partes, non fit aqua nova, sed aqua jam existens et retinens suas proprietates, dividitur in varias potiones.

3. Considerato *in usu,* seu *in sumptione,* multiplicatur ratione numeri refectionum spiritualium, sicut in refectione materiali unitas vel pluralitas refectionum non desumitur ex unitate vel pluralitate ferculorum, sed ex numero refectionum vel convescentium.

277. — *Q.* In quonam consistit essentia Eucharistiae?

R. Hac de re plures adsunt sententiae, sed duae magis receptae. *Prima* dicit quod essentia sive ratio Sacramenti consistit *in recto,* seu essentialiter, in solis speciebus; Corpus autem Christi pertinet ad Sacramentum tantum *in obliquo,* idest tamquam quid extrinsece connotatum. *Secunda,* quae probabilior videtur, dicit quod essentia hujus Sacramenti consistit *in recto* aeque in speciebus ac in Corpore Christi, quia ex Corpore Christi et speciebus simul sumptis adsunt tres conditiones quae requiruntur ad constituendum Sacramentum. Unde ejus essentia non consistit in solo Corpore Christi, quia quatenus hic continetur non est sensibile; nec consistit in solis speciebus, tum quia Eucharistia est cibus coelestis, tum quia cultu latriae adorari debet, ut docet Trid. [1].

278. — *Q.* Sacramentum Eucharistiae quanam ratione differt ab aliis Sacramentis?

R. Sacramentum Eucharistiae triplici ratione differt ab aliis Sacramentis: 1° Eo quod non materiae *usu,* sed *consecratione* perficitur, et confert non solum gratiam, sed continet etiam ipsum Auctorem gratiae, et proprium sibi habet ut sit simul Sacramentum et Sacrificium. 2° In hoc Sacramento substantia materiae mutatur, dum in aliis permanet. 3° Eucharistia consistit *in re permanenti,* dum e contra alia Sacramenta consistunt *in actu transeunte,* idest tunc solum sunt Sacramenta quum conficiuntur et applicantur. Hinc Corpus Christi post consecrationem existens sub specie panis est vere et proprie Sacramentum sive sumatur, sive in sacrario conservetur. Unde usus, seu sumptio Eucharistiae non est proprie ipsum Sacramentum, sed tantum applicatio, et conditio ut Sacramentum operetur [2].

§ 2°

De reali Christi praesentia in Eucharistia.

279. — *Q.* Christus est ne realiter praesens in Eucharistia?

R. Christus est realiter praesens in Eucharistia; de fide est: *Si quis*

[1] Sess. XIII, c. 5.; S. Alph., L. VI, 190.

[2] S. Alph., ibid.

negaverit, in SS. Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et Divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anath. sit (Trid. Sess. XIII, c. 1). — Dicitur *vere* contra Zuinglium, qui docebat Christum in Eucharistia esse praesentem solum in symbolo et figura : *realiter* contra quosdam Calvinistas, qui volunt Christum esse praesentem tantum per fidem : *substantialiter,* contra alios Novatores qui dicunt Christum esse praesentem tantum in efficacia et virtute [1].

Prob. 1° *Ex verbis promissionis Eucharistiae.* Christus enim Eucharistiam promittens dixit : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum ; et panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita* [2]. Hic Christus affirmat panem, quem daturus erat, Carnem suam esse, quam pro mundi vita erat immolaturus. Atqui Ipse non in figura, non per fidem, aut in virtute tantum, sed vere, sed proprie suam Carnem, idest suum Corpus et suum Sanguinem in ara Crucis pro nobis obtulit ; ergo vere et proprie suum Corpus et Sanguinem se daturum promisit. — Id magis confirmatur ex sequenti tractu : *Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis Carnem suam dare ad manducandum ?* Christus quid ipsis respondit ? Ipse non solum non correxit Judaeos quod ejus verba sensu litterali accepissent, sicut eos corrigere solebat in aliis rebus etsi non tanti momenti, sed insuper, interposito etiam juramento, confirmavit se locutum esse de vero suo Corpore, dicens : *Amen amen dico vobis: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Et cum aliqui etiam ex ejus discipulis tali sermone offensi retro abierint, eos abire permisit. At vero Christus, Pastor bonus, qui e coelo oves errantes quaerere venerat, permisisset ne e suis discipulis multos abire, quum eos facile revocare potuisset, si locutus fuisset de cibo et potu spirituali ? Ergo evidens est quod Christus in cibum verum suum Corpus, et in potum verum suum Sanguinem promisit.

Prob. 2° *Ex verbis institutionis.* — *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur.... Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* [3]. Hic Christus loquitur de eo Corpore quod pro nobis tradendum erat, et de eo Sanguine qui pro omnibus effundendus erat. Atqui Christus in ara Crucis et verum suum Corpus tradidit, et ve-

[1] Saeculo XI Berengarius realem Christi praesentiam in Eucharistia negavit, sed postea, juxta plures, abjurata haeresi, in communione Ecclesiae obdormivit. Saeculo vero XVI haeresim Berengarii adoptarunt Novatores Carlostadius, Zuinglius, Calvinus, etc., qui in Eucharistia nihil aliud agnoverunt quam signum et figuram Corporis Christi. Lutherus autem non negavit quidem realem Christi praesentiam, sed una cum Christo remanere docuit substantiam panis et vini.

[2] Jo. VI, 52.

[3] Matth. XXVI, 26 ; I Cor. XI, 24.

rum suum Sanguinem effudit ; ergo et in Eucharistia vere, realiter, et substantialiter Christus continetur.

Prob. 3° *Ex constanti et universali Ecclesiae Traditione.* Apostoli, et Ecclesia universa, sive Orientalis sive Occidentalis, semper Christi verba sensu litterali accepe-

runt, semperque realem Christi praesentiam in Eucharistia crediderunt, uti clare constat ex historia ; ergo verba Christi sensu litterali accipienda sunt, secus Christus aperte et Apostolos et universam Ecclesiam decepisset, et in turpem idololatriam conjecisset, quod absurdum est ; ergo [1].

[1] *Ob.* 1° Verba Christi intelligenda sunt sensu figurato et metaphorico, nempe de fide, vel de spirituali et non reali manducatione. Ipse enim Christus in citato capite aperte demonstrat se loqui de fide et de spirituali manducatione : *Ego sum panis vitae : qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam ;* et confirmat per haec verba : *Spiritus est qui vivificat : Caro non prodest quidquam.* Ergo de fide et de spirituali manducatione tantum loquitur Christus.

R. Joannes, cap. VI, non loquitur tantum de una eademque re ; sed de tribus rebus ; a vers. 1° usque ad 26ᵘᵐ refert miraculum multiplicationis quinque panum, ut figuram Eucharistiae ; a v. 26° sermonem profert, quo Christus promittit cibum Eucharisticum, et requisitas dispositiones ex parte Judaeorum explicat ad cibum hunc suscipiendum, nempe fidem in se hunc cibum promittentem ; demum a v. 48° usque ad finem loquitur de reali Carnis Christi manducatione. Ergo illa verba : *Ego sum panis vitae*, intelligenda quidem sunt sensu figurato ; nempe Christus se panem vitae appellavit comparate ad mannam Hebraeorum de quo sermo erat : et alia verba : *Qui credit in me non sitiet unquam*, intelligenda quidem sunt de fide, quia de fide in se ipsum Christus loquitur ; at posteriora verba quibus Christus Eucharistiam promisit nonnisi litteraliter intelligi possunt et debent, ut dictum fuit. — Quod si Christus dixit : *Caro non prodest quidquam*, etc., haec verba Christus protulit non ad excludendam veritatem Carnis suae quam daturus erat, sed ad excludendam materialem intelligentiam Capharnaitarum, qui intellexerunt Carnem Christi manducandam esse modo cruento et materiali. « O Domine, colloquitur S. Aug. ad haec verba : O Domine, Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, *nisi quis manducaverit Carnem meam*, etc. Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt... quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur ». Proinde sic dictum est : caro non prodest quidquam, quomodo dictum est : scientia inflat... sola sine caritate ; scientiae ergo adde caritatem, et scientia utilis est non per se, sed per caritatem ; sic etiam nunc, caro non prodest quidquam, sed sola caro : accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit caritas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodest, Verbum caro non fieret nec habitaret in nobis !

Ob. 2° Christus, ostendendo panem, dixit : *Hoc est Corpus meum ;* pronomen *hoc* significat id quod Christus praemanibus habebat, nempe panem ; panis autem non poterat esse Corpus Christi, sed tantum ejus figura. Ergo.

R. 1. Si panis quem Christus praemanibus habebat, convertendus non fuisset in ejus Corpus, certe nec ejus figura esse poterat : non ex verbis Christi, ut patet ; non ex natura rerum, cum panis nullatenus ex se corpus humanum exprimere valeat ; demum non ex usu, nusquam enim gentium panis significat humanum corpus. — 2. Propositio Christi : *Hoc est Corpus meum*, non est propositio mere *speculativa*, quae aliquid tantum indicat, sed est propositio *practica*, quae nempe efficit quod significat ; unde propositio Christi reddit hunc sensum : Hoc quod manibus teneo, quod initio propositionis est panis, absoluta propositione, vi verborum meorum, est Corpus meum.

Ob. 3° Christus (Matth. XXVI, 29) post consecrationem subjunxit : *Dico autem vobis : non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Ergo non Sanguis Christi, sed vinum adhuc erat in calice consecrato : ergo tantum figurate dicitur Sanguis Christi.

§ 3°

De transubstantiatione seu conversione substantiae panis in Corpus Christi et vini in Sanguinem.

280. — *Q.* In Sacramento Eucharistiae substantia panis convertitur ne in Corpus Christi, et substantia vini in ejus Sanguinem ?

R. Praemitto: Lutherani admittunt quidem realem Christi in Eucharistia praesentiam, sed negant conversionem substantiae panis et vini, et asserunt una cum Corpore et Sanguine Domini manere in Eucharistia substantiam panis et vini. At non consentiunt inter se in explicanda Corporis et Sanguinis Christi conjunctione cum pane et vino. Alii, ut Osiander, docent *impanationem,* quae esset unio hypostatica Verbi cum pane et vino, eo modo quo Verbum humanam naturam hypostatice sibi conjunxit. Alii vero cum ipso Luthero admittunt *consubstantiationem,* nempe Corpus et Sanguinem Domini existere simul cum pane et vino. Hoc praemisso :

Ecclesia Catholica docet quod in Eucharistia tota substantia panis convertitur in Corpus Christi, et tota substantia vini in Sanguinem; quae conversio convenienter et proprie a Sancta Catholica Ecclesia *transubstantiatio* est appellata.

Hinc Trid. de fide definivit. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine D. N. J. C.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini ; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat ; anath. sit.* (Sess. XIII, c. 2).

Prob. 1° *Ex S. Scriptura.* Et sane: ut verba Christi: *Hoc est Corpus meum,* vera sint, necesse est ut praedicatum (*Corpus meum*) cum profertur, apprime conveniat cum subjecto (*hoc*). At vero, si

R. 1. S. Matthaeus non agit de calice consecrato, sed de distributione calicis non consecrati, quae locum habuit ante Eucharistiae institutionem, ut clarius patet apud Lucam, cap. XXII. — 2. Etsi ageretur de calice consecrato, tamen absonum non est Sanguinem Christi vinum adhuc appellari, sive quia in Scriptura saepe res designatur per ea quae apparent, sic Deus quia sub forma ignis apparuerat, *ignis consumens* vocatur, sive quia pluries in Scriptura res in aliam conversa primum nomen retinet: hinc de virga Aaron in draconem conversa legitur: *devoravit virga* Aaron virgas eorum. Exod. VII, 12.

Ob. 4° Realis Christi praesentia rectae rationi repugnat; accidentia enim remanerent sine subjecto cui adhaereant, et idem corpus esset simul in coelo et in terra, esset unum et multiplex, parvum et magnum, etc. Ergo admitti nequit.

R. 1. Illud rectae rationi repugnare nequit quod a Deo revelatum est. Atqui realis Christi praesentia a Deo revelata est: ergo. — 2. Praeterea quis mortalium cognoscere potest sive Omnipotentiam Dei, sive proprietates Corporis Christi gloriosi et sacramentalis ? Ergo demonstrari nequit rectae rationi repugnare. Accidentia vero, ait Catech. Rom., pars. II, c. IV, n. 44, quum Christi Corpori et Sanguini inhaerere non possint, relinquitur ut supra omnem naturae ordinem, ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent. Ceterum observari oportet quod Corpus Christi in Eucharistia non est per modum dimensionis, sed per modum substantiae, unde solum species seu signum sensibile esset unum et multiplex, parvum et magnum, etc., sed Corpus Christi semper idem ubique est in se ipso.

panis substantia remaneret cum praedicatum profertur, verba Christi falsa essent, non enim convenit pani esse Corpus Christi. Ergo, cum praedicatum profertur substantia panis jam non adest, atque ita tam impanationis quam consubstantiationis error explodi-tur. Quod argumentum paucis confecerat S. Th.[1] hisce verbis Novatorum errorem antevertens: « Haec positio contrariatur formae hujus Sacramenti, in qua dicitur: *Hoc est Corpus meum;* quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret: nunquam enim substantia panis est Corpus Christi, sed potius esset dicendum: *Hic* est Corpus meum ».

Praeterea, verba Christi, ut sint vera, debent in praesenti facti specie esse *efficacia,* idest efficere ut desinat substantia panis, et sub ejus specie, eodem temporis puncto, incipiat suum Corpus esse in locum seu vicem deficientis substantiae (quod idem est ac convertere unam substantiam in alteram); ergo Christi verba transubstantiationem exigunt. — Insuper Christus dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*... Numquid pro hominum salute etiam panem tradidit? Minime sane. Ergo — Idem argumentum confici potest ex illis Christi verbis: *Hic est Sanguis meus*, etc.

Prob. 2° *Ex Traditione* Catholicae Ecclesiae, ut videre est in dictis Ss. Patrum, in Liturgiis Ecclesiae tum Orientalis tum Occidentalis; ut fatetur ipsemet Leibnitius[2]. — Ceterum hic modus quo tota substantia panis convertitur in Corpus Christi, et substantia vini in ejus Sanguinem intelligi nequit, est enim Mysterium Mysteriorum; unde ajebat Magister sententiarum: *Si quaeris modum quo id fieri possit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest.*

281. — *Q.* Quonam modo Christus in Eucharistia praesens est?

R. Praemitto: Multiplici modo res aliqua esse potest in loco, nempe: 1° Praesentia *circumscriptiva*, quae est propria *corporum,* et in eo consistit quod ita corpus commensuretur loco, et ab eo circumscribatur, ut totum sit in toto loco, et singulae ejus partes in singulis partibus loci; 2° Praesentia *definitiva,* quae est propria *spirituum,* et in eo consistit quod spiritus non commensuretur loco, sed totus sit in toto loco, et totus in singulis partibus loci sed non alibi, sic anima tota est in una qua-

[1] P. 3, q. 75, a. 2.

[2] Theologi ab ipsis scholasticae exordiis, ut doctrinam transubstantiationis explanarent, in duas diversas sententias abierunt. *Scotistae* docuerunt substantiam panis et vini in nihilum evadere, seu desinere per *annihilationem* quam vocant, atque in ejus locum adduci Corpus et Sanguinem Christi; propterea transubstantiationem fieri per *adductionem.* At haec sententia communius rejicitur; nam praeterquam quod et Theologia et Philosophia demonstrant nullum divinorum operum ad nihilum redigi, in sententia Scotistarum jam non haberetur vera transubstantiatio, sed potius *substitutio* alterius substantiae in locum substantiae desinentis; quod enim in nihilum cadit, dici nequit in alium converti. — *Thomistae* vero, quorum sententia communissima evasit, docent substantiam panis et vini ad nihilum non redigi, sed transire seu converti in Corpus et Sanguinem Christi, propterea transubstantiationem fieri per *productionem*, quatenus per eam verus novusque essendi modus in Christi Corpus producitur, nimirum modus sacramentalis. Cf. S. Th., p. 3, q. 75, a. 3.

—

que parte corporis; 3° Praesentia *interminata*, quae est propria *Dei*, ratione suae immensitatis, et in eo consistit quod Deus totus sit in omnibus locis quin tamen loco contineatur aut circumscribatur; 4° Tandem praesentia *sacramentali*, quae propria est Christi in Eucharistia, qua Christus totus est in tota hostia, et totus in singulis ejus partibus, sed non ita continetur in una hostia ut non possit esse in aliis. Hoc posito:

Christus in Eucharistia praesens est per modum *substantiae*, et non per modum dimensionis; nam, peracta consecratione, substantia panis, vi verborum Sacramenti, convertitur in substantiam Corporis Christi, et substantia vini in substantiam Sanguinis; sed dimensiones panis et vini non convertuntur in dimensiones Corporis Christi. Unde patet:

1. Quod praesentia sacramentalis Christi, si in parte convenit cum praesentia *circumscriptiva*, quia determinatur visibiliter in loco per species sub quibus latet, differt tamen ab ea quia non commensuratur loco, nec ab eo circumscribitur; nam, ut diximus, Corpus sacramentale Christi non est praesens in loco sub propria dimensione, sed sub dimensione aliena, nempe panis et vini: unde Corpus Christi non potest videri in se, nec tangi, neque pati potest, quia licet species mutentur, vel corrumpantur, Corpus tamen Christi est impassibile et incorruptibile [1].

2. Quod praesentia sacramentalis Christi, si in parte convenit etiam cum praesentia *definitiva*, quia Corpus Christi, ut anima in corpore, totum est in tota hostia et totum sub singulis speciei partibus, differt tamen ab ea, quia non limitatur ad unum locum, sed extenditur ad omnia loca, in quibus debita materia consecratur; unde S. Bonav. [2] ait: *Quia conversionis loca non possunt esse omnia, nec unum solum, imo plura, quantum ad hoc, Corpus Christi nec immense est sicut Deus, nec omnino definitive sicut aliquod individuum, sed medio modo, sicut Deus secundum modum essendi per gratiam non in omnibus, sed in pluribus* [3].

3. Quod, licet Christus in Eucharistia sit per modum substan-

[1] Christus in Eucharistia directe et *per se* nullatenus localiter moveri potest, quia motus localis importat praesentiam circumscriptivam in loco; attamen movetur *per accidens* ad motum specierum, sicut anima movetur ad motum corporis. Nec ullum corpus potest naturali virtute agere in Corpus Christi, quod proinde a causis corporeis nihil patitur, nec ab eis alteratur, frangitur, comprimitur, etc., quia haec omnia contactum supponunt, contactus vero exigit extensionem localem.

[2] L. VI Sen., Dist. 10, p. 1, q. 3.

[3] Pluries contigit Christum in hostiis consecratis miraculose apparuisse, v. g., sub forma pueri. Porro in explicandis hujusmodi apparitionibus non concordant Th. Alii, duce S. Th. (p. 3, q. 76, a. 3), negant fieri posse, etiam supernaturaliter, idem Corpus in pluribus locis cum extensione locali existere, ac proinde interpretantur apparitiones visibiles Christi in Eucharistia necnon bilocationes quorumdam sanctorum, v. g. S. Alph. de Lig., sive per immutationem subjectivam oculorum videntium, nulla exterius facta mutatione, sive per ministerium Angelorum talem formam assumentium, vel per translationem instantaneam corporis, sive per novi corporis miraculosam productionem. Alii vero, autumantes non repugnare idem corpus simul in pluribus locis circumscriptive existere, admittunt Christum ipsum visibiliter apparere, quam opinionem propugnat Suarez.

tiae, et licet, *vi verborum sacramentalium,* sub specie panis adsit solum ejus Corpus, et sub specie vini ejus Sanguis, attamen, quia Christus *resurgens ex mortuis jam non moritur,* nec nunc a se ipso dividitur, *vi naturalis connexionis et concomitantiae,* in Eucharistia cetera etiam adsunt. Hinc est quod substantia Corporis, quae sub specie panis vi verborum praesens fit, vi concomitantiae trahit etiam substantiam Sanguinis, et Animam, et Divinitatem. Cum Persona autem Filii praesens etiam est Persona Patris et Spir. Sancti, mirabili prorsus modo, nempe per *circuminsessionem,* ut ajunt Th., quia tres Personae divinae ab invicem separari nequeunt.

Et insuper quum in hoc Sacramento sub speciebus panis et vini sit totus et integer Christus, ut docet Trid., consequitur Illum habere etiam quantitatem Corporis dimensivam non localem, sed absolutam seu in ordine ad partes in se spectatas, cum aptitudine ad extensionem, figuram et situm localem, et ejus qualitates naturales, ita ut non separentur in Sacramento quae sunt unita inseparabiliter in gloria.

§ 4°

De praesentia Christi sub utraque specie et de ejus permanentia donec perdurant species consecratae.

282.—*Q.* Quonam modo Christus in Eucharistia continetur?

R. Catholica fides hac de re duo docet; nimirum: 1° totum Christum in utraque Eucharistiae specie contineri; 2° totum Christum in qualibet utriusque speciei parte, separatione facta, contineri. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anath. sit* [1].

Et revera, B. Paulus ait: *Quicumque manducaverit panem hunc,* VEL *biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis* ET *Sanguinis Domini* [2].—Particula *vel* in primo membro propositionis ac particula *et* in altero ostendit reum esse Corporis et Sanguinis Domini sive qui solum manducaverit panem, sive qui solum biberit calicem indigne. Ergo juxta Apostolum sub utraque specie totus Christus continetur: imo et sub singulis cujusque speciei partibus, cum neminem lateat et in ipsa Coena Domini et postea de eodem consecrato calice eodemque uno pane omnes participasse.

Praeterea Corpus Christi in Eucharistia est in statu glorioso ut est in coelo, sed gloriosum Christi Corpus est inseparabile a Sanguine, Anima et Divinitate; ergo.

Dixi *separatione facta,* quia olim disputatum fuit an Christus totus contineretur in singulis cujusque speciei partibus simul conjunctis; et ideo Trid. illa verba inseruit ne contrariam sententiam damnaret. At hodie omnino tenenda est sententia S. Th., qui ait: Corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiae; natura autem substantiae tota est sub qualibet dimensionum parte sub quibus continetur [3]. Et sane, facta separatione, totus Christus est sub qualibet speciei parte, er-

[1] Trid. Sess. XIII, c. III.
[2] I Cor. XI, 27.
[3] P. 3ª, q. 76, a. 3.

go etiam *ante separationem ;* nam fractio efficere nequit, ut Christus totus sit ubi antea totus non erat.

283. — *Q.* Quamdiu Christus in Eucharistia praesens permanet?

R. Novatores docuerunt Christi Corpus in Eucharistia praesens esse solum dum usu sumitur, et Christi fidelibus Communio administratur, vel solum durante tota actione Coenae.

Sed contra, Catholica Ecclesia docet fide tenendum esse Christum in Eucharistia praesentem realiter permanere quousque species ipsae incorruptae perdurant, ideoque Christum remanere sub speciebus consecratis quae post Communionem servantur. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus et Sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis, quae post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anat. sit* [1].

Haec fidei veritas patet *ex Scriptura* et *ex Traditione,* nempe sive ex auctoritate Ss. Patrum, sive ex praxi universali Ecclesiae tum SS. Eucharistiam in Ecclesiis servandi, tum ipsam ad aegrotos et absentes deferendi.

Patet etiam *ex Ratione theol.* Et sane : verba consecrationis efficiunt quod significant ; atqui pronuntiantur a sacerdote ante usum, et significant praesens esse Corpus Christi ; ergo Corpus Christi praesens efficiunt ante usum ; ergo Christi praesentia in Eucharistia, cum sit independens ab usu, tamdiu durare debet, quamdiu durant species.

Christus igitur in Eucharistia manet quamdiu incorruptae manent species panis et vini : desinit vero sub eis inesse, si tanta fiat immutatio vel corruptio specierum panis et vini, ut juxta communem hominum aestimationem non amplius videatur panis et vinum [2].

284. — *Q.* Species sacramentales quamdiu remanent in suscipientibus?

R. Non conveniunt Th.. Alii censent species sacramentales in laico corrumpi intra 5 *Pater et Ave,* et in Sacerdote postquam vestibus est exutus [3]. Hoc generatim loquendo, quia res pendet etiam a qualitate stomachi magis vel minus calidi et validi. Ceterum illud satis constat non tam brevi tempore quam multi vulgo opinantur sacras species in stomaco corrumpi [4].

—

[1] Trid. Sess. XIII, c. IV.

[2] Si qua gutta vini consecrati misceatur cum vino non consecrato, prout fit in purificatione calicis, disput. Th. utrum ibi maneat Sanguis Christi. Alii affirmant, quia per illam commixtionem species consecratae non desinunt esse eaedem numero, licet in plures particulas divisae. Alii negant, quia ejusmodi admixtione species sacramentales non manent separatae, sed individuantur a vino copiosiori : ita S. Thomas cum aliis, et sic etiam censent Physici quos consului. *Aertnys,* L. VI, 79, q. 2.

[3] S. Alph., L. VI, 225.

[4] *Génicot,* II, 179, IV. — De hac re, observat Cl. Ballerini, nequaquam videtur regula quaepiam generalis tradi posse. Brevior quippe aut longior mora potissimum a diversa diversorum hominum virtute digestiva est repetenda. Neque solum exploratum est, faciliorem alios, alios difficiliorem habere digestionem ; sed eumdem quoque hominem pro diversis circumstantiis tum internis, habitu scilicet corporis et praesertim stomachi, tum externis, v. g. pro coeli temperie, modo citius modo tardius cibos

§ 5°

De Eucharistiae conservatione et de cultu Ei debito.

285. — *Q.* Licet ne Eucharistiam in Ecclesiis conservare?

R. Affirmative, est de fide. Trid. enim sic definivit: *Si quis dixerit, non licere SS. Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere ut illa ad infirmos deferatur; anath. sit*[1].

286. — *Q.* Eucharistia ubinam et quomodo conservanda est?

R.—**1.** Eucharistia ex jure communi conservari licet, in uno tamen altari tantum, in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Parochialibus, vel quasi Parochialibus, in Ecclesiis Regularium utriusque sexus si vota solemnia habent. At quoad Moniales prohibitum est Eam asservari in earum choro, vel inter septa earum monasterii[3]. — Pro aliis autem Ecclesiis requiritur Indultum Pontificium. Sed pro Hospitalibus, cum agatur de infirmis, quidam censent Episcopum hoc indultum concedere posse, dummodo Ecclesia hospitalis suum habeat Sacerdotem, et salvis juribus parochialibus[3].

2. Eucharistia conservanda est in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, super corporali aut palla benedictis in tabernaculo reposita.

3. Tabernaculum, quod Trid. *sacrarium* vocat, et in quo Eucharistia asservatur, debet esse in medio altaris positum, mundum, intus serico panno ornatum, nisi intus deauratum sit[4], et vacuum ab omni alia re etiam sacra (uti reliquia, chrisma), et clave obseratum, quae clavis a Parocho aliove Sacerdote, et quoad Religiosos a Sacrista, et apud Moniales a Capellano custodiri debet[5].

concoquere; nec raro contigisse scimus, ut concitato vomitu post longius spatium, semihorae, v. g., aut etiam horae sacramentales species, tantum non integrae, redditae fuerint. — *Ballerini ad Gury*, II, 273 (*a*).

[1] Sess. XIII, c. 7. — Probatur 1° *Ex praxi Ecclesiae* Catholicae. Ecclesia enim tum Latina, tum Graeca, semper SS. Eucharistiam in sacrario seu tabernaculo servavit, ut constat ex operibus eruditorum. Ergo.

2° *Ratione theol.* Et sane Christus Eucharistiam instituit non solum ut esset nobis cibus spiritualis, sed etiam ut Ipse semper nobiscum permaneret: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* ut Eucharistia esset religionis centrum, ad quod homines undique confluerent, ut Deum praesentiorem invenirent; perpetuum omnis gratiae mediatorem, cui res nostras committeremus; cultorem et exemplar ac largitorem omnium virtutum, quibus in virum perfectum crescere possimus; denique amicum, socium, ducemque viae nostrae. Porro his omnibus finibus assequendis, omnino convenit SS. Eucharistiae reservatio, qua vere efficitur ut nobis semper obvius sit Salvator noster, vereque omnibus dicta sint haec ejus verba: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ergo.

[2] Trid. Sess. XXV, c. X, *de Regul.*

[3] Decr. S. R. C. 13 sept. 1670, n. 1409 ad 2.

[4] Tabernaculum, quod et Ciborium vel Sacrarium vocant, debet insuper foris cooperiri conopaeo ex panno contexto sive gossypio, sive lana, sive cannabe, coloris albi, vel etiam coloris diei, nunquam tamen nigri coloris, sed si id tempus requirat, sit violacei. Ita ex S. R. C. 21 jun. 1855, n. 3055 ad 10; 28 apr. 1866, n. 3150; 1 dec. 1882, n. 3562.

[5] *Q.* Quomodo Sacerdos celebraturus ad altare ubi asservatur SS. Sacramen-

4. Lampades coram Ea plures, vel saltem una diu noctuque colluceat. Porro S. R. C. (9 jul. 1864, n. 3121), declaravit adhibendum esse *oleum olivarum;* ubi vero haberi nequeat, remittendum esse prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus. Quod si ob graviter culpabilem negligentiam Parochi, vel ejus cui ista cura commissa est, integro die, vel aliquot integris noctibus lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, est peccatum mortale, ut docent communiter Th.[1]; veniale vero si per aliquas tantum horas[2].

287. — *Q.* Quandonam species Eucharistiae renovari debent?

R. — 1. Quum species consecratae in pyxide ac tabernaculo clausae majori obnoxiae sint corruptioni, Bened. XIV jussit ut particulae octavo, aut, ad summum, hyemali tempore, quintodecimo quoque die renoventur.

2. Quoad hostias consecrandas Rit. Rom. ait: *Hostiae seu particulae consecrandae sint recentes.* Unde Th. communiter volunt ut non sint plus quam a 15 diebus, vel ad summum a mense confectae, et incuria Parochorum vel aliorum hac in re, ait Gury, grave peccatum constituere potest[3].

Ubi autem Sacerdos particulas recentes consecraverit, *veteres primo distribuat vel sumat*, ait Rit. Rom. Proinde particulae recenter consecratae cum veteribus admisceri non debent. Item si reno-

tum sese gerere debet quoad clavem Tabernaculi? Licet ne illam relinquere super altare, Missa finita?

Resp. « Clavis tabernaculi numquam in ostiolo relinquatur, sed peracta S. Communione, vel Benedictione, caute et in loco tuto semper custodiatur. *Si vero is, ad quem spectat custodia, eam incaute reliquerit, tribus mensibus Officio suspendatur, et si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.* Ita mandavit Innocentius III, in Conc. Gen. 1216, Lib. 3, Decr. tit. 44. *De custodia* Eucharistiae, cap. *Statuimus* ».

Ex hisce verbis S. C. Ep. et Reg., ad quaesitum respondentes dicimus: Sacerdoti, qui celebrat ad altare ubi asservatur SS. Sacramentum, non licet relinquere clavem tabernaculi in ostiolo clauso, nec illam generatim relinquere super altare, Missa finita. Experientia enim constat, hodie ne altaria quidem esse loca tuta. Excipe forte, si agatur de tempore, quo ad Altare, ubi SS. Sacramentum asservatur, jugiter Missae celebrari solent; quo in casu, etiam finita Missa, clavis in bursa super altari relinqui posse videtur; ita tamen, ut ipsa clavis non relinquatur in altari post absolutam ultimam Missam.

[1] S. Alph., L. VI, 248.

[2] Parochus invigilare debet ut lampas coram SS. Sacramento perenniter colluceat. Sataget igitur ut, hjemalibus praesertim prolixis noctibus, nunquam extinguatur; a culpa enim non excusaretur, etiamsi aedis curatores (vulgo *fabbriceri*) impurum oleum subministrassent, siquidem hisce in casibus purum impuro oleo substituere teneretur, potius quam sinere lampadem extingui: provideat ergo ut adhibeatur oleum defaecatum et vetus, quo multo tutius et diutius fovetur lumen accensum! Caveat insuper ne tam parvo ellychnio eam ornet, ut lucem noctilucae emittere videatur, proindeque facillime noctu extinguatur. Et hanc indignam avaritiam in iis quoque impedire nitatur, quibus cura haec commissa esset. Conscius sum quod quadam in ecclesia statutum fuit ut lampadis ellychnium ex tribus tantum gossypii stamanibus constaret; quae quidem parsimonia, ne dicam avaritia, res est prorsus indigna apud Deum, et scandalum hominibus affert. *Frassinetti.* Manuale del Parroco novello.

[3] *Gury*, II, 315. — Consuetudo consecrandi hostias a 3 vel 6 mensibus confectas est ingens abusus omnino tollendus. Quod si hujusmodi abusum tolerare videatur Parochus, ejus Vicarius aliique Sacerdotes istis hostiis uti nequeunt. — S. R. C. 16 dec. 1821, n. 2650.

vanda sit hostia major pro expositione SS. Sacramenti, ipse Sacerdos veterem hostiam sumere debet, nec licet eam frangere, et fidelibus distribuere [1].

288. — *Q.* Quo cultu Christus in Eucharistia est adorandus?

R. Christus in Eucharistia cultu latriae, etiam externo, adorandus est, cum Deus sit. Hoc de fide est: *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae Sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anath. sit.* Trid. Sess. XIII, c. VI [2].

Usus tamen qui aliquando vigebat deferendi Eucharistiam ad sedandas tempestates, vel ad extinguenda incendia, reprobandus est, cum aliquam contineat Dei tentationem, et periculum adsit profanationis. E contra commendanda pia et laudabilis consuetudo tum illam deferendi ad infirmos pro Communione, etiam sola devotionis causa, tum ipsam exponendi pnblicae venerationi et deferendi in processionibus.

289. — *Q.* Quid de expositione SS. Eucharistiae?

R. Duplex distinguitur expositio, privata et publica. Est *privata* quando pyxis, suo veló cooperta, relinquitur in tabernaculo aperto. Est *publica* quando SS. Eucharistia extrahitur e tabernaculo et publicae venerationi exponitur in Ostensorio.

Expositio *privata* permittitur ob

[1] Caveat Parochus ne tot particulas consecret, quae intra hebdomadam consumi nequeant; nam juxta coeremoniale Episcoporum et plura decreta S. R. C. particulae et hostia magna pro Benedictione impertienda octavo quoque die renovandae sunt.

Parochus qui in renovandis tempore praescripto sacris speciebus negligens esset, clare ostenderet debita pietate et fide carere; hic enim non agitur tantum de tabernaculo, de casula, de calice, aut de pyxide, sed de ipso SS. Sacramento, de ipso scilicet Christo vivo et vero: et quisque facile intelligit hac in re minimas incurias tolerandas non esse.

Quando vero particulae domo parochiali conficiuntur, Parochus attente invigilet ut ipsae integrae et mundae conficiantur; nam saepius consecrantur particulae aut non integrae, aut non mundae, aut nimis parvae, quae propterea sordidam avaritiam aut incuriam in parocho ostendunt.

In purificatione autem pyxidis conveniens est ut omnia fragmenta colligantur quin vinum in pyxide infundatur; secus enim fragmenta madefiunt, et pyxidis parietibus ita adhaerent ut ab illis difficilius divelli possint, etsi vinum iterum iterumque exagitetur, unde, quum pyxis abstergitur, sacra fragmenta nempe SS. Sacramentum, in purificatorio remanent. Oportet igitur pyxidem eamdem qua patenam diligentia purificare. Cf. *Frassinetti*, Manuale del Parroco novello.

[2] Christus solus in Eucharistia est *objectum formale* adorationis nostrae. Species sacramentales, cum sint aliquid Christi quatenus in Sacramento existit, et apprehendantur ut unum quid cum eo, pertinent quidem ad *objectum materiale* quod adoratur; at quum in se nequeant adorari, in illis non sistit adoratio nostra, sed ad Christum Deum dirigitur et terminatur. Imo, quia specierum unio cum Christo est tantum accidentalis et transiens, non alia ratione honorantur a fidelibus quam purpura regis in rege, vel panni Christi infantis, dum magi eum adorabant. Unde Tridentini Patres quando asserunt cultum latriae, qui vero Deo debetur, huic SS. Sacramento exhiberi, non intendunt nudum signum sacramentale, sed rem significatam, scilicet Christum ipsum, ut ex toto contextu patet.

causam privatam[1], nec requiritur licentia Ordinarii. Haec fieri debet a Sacerdote stola et superpelliceo induto (at vetitus non est usus pluvialis), et cum sex saltem luminibus cereis[2]. — Alias non parum disputatum est an liceret post expositionem privatam dari benedictio cum venerabili Sacramento in pyxide recondito, et pluries responsum fuit id permitti posse *ubi vigeat vetus consuetudo*. Novissime tamen exposito dubio S. R. C. absolute respondit: *Affirmative*[3]. Quando autem populus benedicitur pyxis cooperienda est velo humerali, et consuetudo contraria tolerari nequit[4].

Expositio *publica* permittitur ob causam publicam[5], et semper requiritur licentia Ordinarii, cujus est judicare de causa an justa sit; quae licentia semper supponitur quoadusque non adsit positiva prohibitio. Expositio autem fieri debet cum ornatu ac pompa, et requiritur omnino incensatio. Eucharistia exponi debet in throno elevato in baldachini formam extructo, cum duodecim saltem cereis in altari accensis. In fine vero antequam reponatur semper danda est benedictio[6].

In altari, durante expositione, nec reliquiae nec imagines Sanctorum, nec tabellae secretarum relinqui debent, praeter imagines Angelorum in actu adorationis. Crux vero relinqui, vel removeri potest pro locorum consuetudine[7]. Missa ad illud altare celebrari non debet, nisi necessitas urgeat, vel habeatur indultum, aut adsit immemorabilis consuetudo; bene vero cantari potest Missa pro Eucharistia reponenda. Nunquam vero ibi distribui potest Communio, sive intra sive extra Missam[8].

[1] S. R. C. 31 maii 1642, n. 800. — Ob *causam privatam*, at nunquam fieri licet expositio *privatim*, si nempe nullus esset in Ecclesia populus. Ita respondit S. R. C. cuidam Sacerdoti petenti posse pro sua privata devotione tabernaculum aperire, fusisque ad libitum precibus, illud claudere.

[2] S. R. C. 7 dec. 1888, n. 3697 ad XII: 15 mart. 1698, n. 1992.

[3] S. R. C. 30 nov. 1895, n. 3875 ad III. — Imo et pluries in die posse, sine ulla Episcopi licentia, data opportunitate et cum debita moderatione, Sacramentum in pyxide exponere et cum ea benedicere populo, docent optimae *Ephemerides liturgicae* Romae editae.

[4] S. R. C. 23 febr. 1834, n. 2786 ad 1; 21 febr. 1896, n. 3888 ad III.

[5] Hodie tamen praxis generalis in Urbe permittit ob causam privatam, uti ad sanitatem obtinendam, devotionem triduanam cum expositione SS. Sacramenti instituere. *Marc*, 1584 (*a*).

[6] S. R. C. 12 jul. 1889, n. 3713. — Quaesitum autem fuit: An concio capite tecto licet quando SS. Sacramentum est quidem expositum, sed velo serico obductum? — S. R. C. respondit: *Negative*. 23 sept. 1837, n. 2769 ad II.

[7] S. R. C. 2 sept. 1741, n. 2365 ad I.

[8] S. R. C. 11 maj. 1878, n. 3448 ad I.

[9] Trid. Sess. XXI, c. IV.

ART. II.

De Eucharistiae necessitate et effectibus.

290. — *Q.* Quaenam necessitas Eucharistiae?

R. — I. Eucharistia non est necessaria necessitate medii neque in re, neque in voto saltem vero et proprio, ut patet ex praxi universali Ecclesiae, quae Communionem non praebet parvulis nec adultis aliqua infirmitate impeditis. Imo de fide est quoad parvulos: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem; anath. sit*[9].

Dixi: *neque in voto saltem vero et proprio;* quia in voto saltem *improprio et implicito,* nempe in voluntate generali implendi omnia quae a Christo praescripta sunt, probabilius est necessaria necessitate medii, sive adultis sive parvulis. Parvuli autem hoc votum habent ex voluntate implicita Ecclesiae, quae pueris applicatur, sicut applicatur voluntas suscipiendi Baptismum[1].

2. Eucharistia certe est necessaria necessitate praecepti, sive divini sive ecclesiastici. Praeceptum divinum habetur ex verbis Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis..... non habebitis vitam in vobis*[2]. — Praeceptum vero ecclesiasticum habetur ex Conc. Lateranensi IV. Quandonam vero obliget hoc praeceptum divinum et ecclesiasticum, dicetur inferius, cap. IV, ubi *de subjecto.*

291. — *Q.* Quinam effectus Sacramenti Eucharistiae?

R. Praemitto: Lutherus et Calvinus affirmarunt praecipuum Eucharistiae effectum esse remissionem peccatorum, eo principioducti, quod Sacramenta instituta sint ad fidem excitandam, per quam peccator justificatur. Sed contra Trid. definivit: *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum Sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anath. sit.* Sess. XIII, c. V.

Verum quidem est, juxta communiorem Th. sententiam, Eucharistiam aliquando conferre etiam gratiam primam, seu remissionem mortalium, sed hoc non per se, sed per accidens, nempe cum quis, inscius peccati mortalis, aut putans se habere contritionem, ad Communionem cum sola attritione accedit, ut dictum fuit n. 172, 2°. Hoc praemisso:

Eucharistia, sicut a Christo instituta fuit ut esset cibus animarum, sic illos effectus quoad vitam spiritualem producit, quos cibus materialis quoad vitam corporalem. Hinc Eucharistiae effectus sunt:

1. *Nutritio et confortatio animae in vita spirituali, et augmentum gratiae sanctificantis,* juxta ver-

[1] Cl. Billuart sententias apparenter contrarias sic conciliat: Duplici modo Sacramentum Eucharistiae considerari potest: *Primo modo* ut est Sacramentum *particulare* ab aliis distinctum, et producens specialem effectum per modum causae efficientis, nimirum augmentum gratiae; et hoc modo hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medii ad salutem nec in re, nec in voto. *Secundo modo* potest considerari sub ratione *communi* omnibus Sacramentis, quae est unio cum Christo et corpore ejus mystico virtute illius Passionis, hanc enim unionem important omnia Sacramenta, cum hoc discrimine quod Eucharistia illam importat per se essentialiter, quia continet substantialiter ipsum Christum, et ejus passionem mystice exhibitam; alia vero Sacramenta hanc unionem important participative tantum. Porro Eucharistia considerata sub ratione hujus unionis substantialis cum Christo Redemptore est consummatio et perfectio aliorum Sacramentorum, et consequenter eorum finis, qui est praedicta unio cum Christo. Ergo alia Sacramenta sunt media ad istum finem. Atqui intentio hujus finis includitur in volitione mediorum, seu Sacramentorum ex quibus quaedam necessaria sunt necessitate medii (quae intentio ab aliis dicitur votum, quod quidam vocant votum tacitum, quidam interpretativum, quidam late dictum, quod nobis perinde est); ergo et intentio seu votum finis, idest Eucharistiae consideratae sub ratione praedictae unionis cum Christo, necessaria est necessitate medii. Diss. VI, art. 1.

[2] Jo. VI, 54.

ba Christi : *Caro mea vere est cibus* [1], et hic effectus est primus et principalis.

2. *Praeservatio a mortalibus,* ob auxilium quod Sacramentum praebet ad compescendam concupiscentiam, ad resistendum tentationibus, ad incedendum per semitas Domini.

3. *Remissio venialium,* tum immediate, seu directe et ex opere operato, ut plures docent, quatenus est cibus animae qui restaurat vires spirituales, sicut cibus corporis restaurat vires naturales ; tum mediate, ut omnes conveniunt, per actus caritatis, quam hoc Sacramentum excitat. Hinc Trid. Eucharistiam appellat : *Antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur* [2].

4. *Remissio poenae temporalis,* non directe, sed indirecte per caritatis actus, quos excitat, ait S. Th., secundum modum devotionis et fervoris.

5. *Unio cum Christo* et membris ejus, juxta verba Christi : *Qui manducat meam carnem..... in me manet et ego in illo* (Jo. VI, 57). Et Paulus : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus* (I Cor. X, 17). Hinc S. Jo. Chrysostomus : Sicut panis ex multis granis constans unitus est, sic nos et mutuo et cum Christo conjungimur.

6. *Acquisitio gloriae,* juxta illa verba : *Qui manducat meam carnem .... habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* [3].

Nota : Ad hos effectus consequendos non sufficit detentio specierum in ore, sed requiritur ipsarum trajectio, ut dici possit manducatio et vera communio. Imo, quia hoc Sacramentum institutum fuit ad instar cibi et potus praecepto communionis non satisfacit qui species consecratas non deglutit, sed in ore consumit [4]. — Valde autem probabile est quod, sicut cibus corporis nutrit usquedum in stomaco persistit, sic quamdiu species sacramentales in stomacho perdurant ex praesentia Christi augeatur gratia *ex opere operato*, modo quis ex defectu dispositionum obicem non ponat [5].

An vero communio sub duplici specie majorem gratiam conferat, sententia communissima negat ; nam major illa gratia conferri nequit, nec *ratione specierum*, cum species ex se vim causandi gratiam non habeant ; nec *ratione significationis*, cum quaelibet species concomitanter significet totum Christum a quo gratia producitur ; nec *ratione rei contentae,* siquidem Christus totus est sub utraque specie. Sed quidquid sit, major gratia, si qua sit, ex opere operantis, seu a majori suscipientis devotione redimi potest.

292. — *Q.* Eucharistia prodest ne solis sumentibus ?

R. Eucharistia, si consideratur *ut Sacramentum,* aliis prodesse potest non ex opere operato, sed ex opere operantis ; nam quisque pro

[1] Jo. VI, 56.
[2] Sess. XIII, c. 2.
[3] Joan. VI, 55.
[4] *D'Annibale,* III, 399.
[5] S. Alph., L. VI, 269 ; Hom. Ap., T. XV, 5. — Caveant Sacerdotes, unionem Christi cum homine explicantes, ne dicant, ut non semel audivi, eum qui communicat in se transmutare carnem Christi sicut materialem cibum in carnem propriam ; non enim Christum in se mutat, sed ipse homo in Christo mutatur fitque ejus corpus, ut loquitur S. Augustinus.

aliis orare potest, et propositio contraria damnata est.

Si vero consideratur ut *Sacrificium*, tunc aliis prodesse potest ex opere operato, quod de fide est: *Si quis dixerit, Missae Sacrificium.... soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, offerri debere; anath. sit* [1].

CAPUT II.

De materia et forma Eucharistiae, ac de conditionibus requisitis ut materia formae subjici queat.

ART. I.

De materia.

293. — *Q.* Quaenam materia remota Sacramenti Eucharistiae?

R. Materia *remota*[2] Sacramenti Eucharistiae est panis triticeus et vinum de vite; et hoc de fide est, ut constat tum ex S. Scriptura, ex institutione Christi, tum ex definitionibus generalium Conciliorum Lateranensis IV, Florentini ac Tridentini, tum ex unanimi Patrum traditione, ac constanti Ecclesiae praxi; unde quidquid ex usu vel ex communi hominum aestimatione specie differt a pane triticeo et a vino de vite, est materia invalida.

294. — *Q.* Qualis esse debet panis pro consecratione?

R. — 1. Pro *validitate* consecrationis panis debet esse *triticeus, confectus aqua naturali, et coctus igne puro.*

Debet ergo esse: — 1° *Triticeus*, seu *ex farina triticea non corrupta*, sive azymus sit panis sive fermentatus, quia uterque est panis usualis et proprie dictus; unde farina ex tritico corrupto, aut ex amylo, avena, milio, et similibus granis, est invalida. quia ex communi aestimatione specie differt a triticea; et probabilius et communius, etiam invalida est farina ex spelta et ex siligine. — 2° *Confectus aqua naturali*; unde panis alio liquore, ut lacte, vel ovis, butyro, etc., confectus, est materia invalida, vel saltem dubia, quia non esset panis usualis et communis [3]. Admixtio tamen farinae non triticeae vel aquae non naturalis si est modica invalidam non reddit materiam: nam, ut ait S. Th. [4], *id quod est modicum quodammodo absumitur a plurimo;* attamen haec mixtio materiam reddit graviter illicitam. — 3° *Igne puro coctus*, seu assus et quidem per modum panis; unde invalida esset massa triticea calore solis indurata aut frixa ad modum placentae [5].

2. Pro *liceitate* vero consecrationis in Ecclesia Graeca panis debet esse *fermentatus;* at in Ecclesia Latina Hostia debet esse: — 1° Ex pane *azymo* [6], et hoc sub praecepto gravi et culpa mortali, a qua

[1] Trid. Sess. XXII, c. III.

[2] NOTA: Sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima et remota, ita etiam in hoc, sed ordine inverso: nam in aliis materia remota est res permanens, proxima vero ejus usus, qui transit; in Sacramento autem Eucharistiae considerato *in facto esse*, materia remota transit, et proxima manet, scilicet species panis et vini, ut continent Corpus et Sanguinem Christi — S. Alph., L. VI, 194.

[3] An panis confectus aqua marina sit materia valida, disput. Th.; sed verius cum S. Alph. (L. VI, 199) affirmant. Imo hodie moraliter certum est, quia aqua maris est vera et naturalis aqua.

[4] P. 3, q. 74, a. 3 ad 3.

[5] S. Alph., L. VI, 199, 200.

[6] Latini azymo utuntur, tum ut Chri-

certe non excusat necessitas audiendi Missam in die festo ; an vero excuset necessitas Viaticum infirmo praebendi, disput. Th.. Quidam affirmant, quia praeceptum divinum Viaticum suscipiendi praevalere debet praecepto humano celebrandi in azymo ; sed sententia communis et probabilior negat, quia praeferenda est reverentia tanto Sacramento debita, utilitati proximi, nisi hoc Sacramentum sit infirmo absolute necessarium [1]. Ceterum duobus in casibus pane azymo vel fermentato uti licet : *primo,* si agatur de sacrificio Eucharistico, quod, consecrato calice, aliter compleri nequeat; *secundo,* si Latinus per Graeciam transeat, vel Graecus per loca Latinorum ; quo in casu si adsit Ecclesia proprii ritus sub gravi ipsam adire tenetur, ea deficiente potest pro suo arbitrio in azymo vel fermentato celebrare [2]. — 2° *Integra* et *munda,* unde consecrare hostiam cum fractura vel macula enormi, esset mortale. Si autem fractura vel macula esset levis, secluso scandalo et contemptu, esset solum leve, imo nec leve si sacerdos eam advertit post offertorium. — 3° *Subtilis, forma orbiculari* [3], *major* pro celebrante, *minor* pro fidelibus. Si latior desit, Sacerdos potest hostiam minorem adhibere si dandum esset Viaticum infirmo, vel si populus ex praecepto teneretur Missam audire ; imo juxta nonnullos in hisce casibus non solum potest, sed tenetur, modo absit scandalum populi, quod facile praecaveri potest ipsum monendo de defectu hostiae majoris. — An vero *sola devotionis causa* adhiberi possit hostia minor in defectu majoris, plures probabiliter affirmant, modo semper absit scandalum [4].

Circa *quantitatem* panis consecrandi nihil aliud a Christo determinatum fuit, nisi quod sensibus percipi possit, quo posito quantacumque vel quantulacumque sit panis et vini consecrandi quantitas valide consecratur, ut docet D. Thomas (P. 3, 74, 2). Quaenam vero quantitas, in particulis laicis distribuendis, consecrari possit dicetur infra, n. 302.

stum imitentur, qui sic consecravit, tum ut sic edoceamur quod participantes de Corpore Christi, qui sine corruptione conceptus est, epulari debemus *non in fermento malitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I Cor. V, 8). — Graeci vero fermentato utuntur tum ne Judaeos imitentur, tum ut ostendant Dei Filium carne indutum esse, sicut fermentum miscetur farinae.

[1] S. Alph., L. VI, 203.

[2] Fideles ritus latini *regulariter* in azymo, fideles vero ritus graeci in fermentato communicare debent. Attamen ex decr. S. C. de P. F. (18 aug. 1893): « Omnibus fidelibus cujuscumque ritus sive latini sive orientalis degentibus in locis in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum conceditur a S. Sede S. Communionem non solum in articulo mortis, et pro praecepto paschali adimplendo, sed etiam quovis tempore, devotionis gratia, juxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis dummodo catholica sit, recipiendi ». Hanc facultatem Leo P.XIII extendit ad casum quo fideles propter longinquitatem ecclesiae suae, non eam adire possunt nisi cum gravi incommodo, de quo judicium ad Ordinarium spectat.

[3] Graeci in hostia majori formam quadratam adhibent, et in particulis triangularem. Juxta autem decretum S. R. C. (26 aprilis 1834, n. 2714) impressio Crucis, vel Crucifixi, vel alius symboli potest secundum consuetudinem locorum servari : non tamen impressio SS. Cordis absque figura Christi.

[4] S. Alph., L. VI, 205 ; *D'Annibale,* III, 384 (24).

—

295. — *Q.* Quale debet esse vinum pro consecratione?

R.— 1. Pro *validitate* consecrationis vinum debet esse de vite seu ex uvis maturis et potabile; unde non est materia valida vinum *ex fructibus* deductum uti cervisia, hydromeli etc., licet vulgo pro vino bibatur; nec est materia valida quae est solum in via ad vinum uti *agresta,* seu succus ex uvis *immaturis* , nec materia quae naturam vini amisit uti *vappa,* vel *acetum*, vel *sapa,* nempe vinum ad dimidiam vel tertiam partem decoctum; nec *spiritus vini,* quia non est proprie vinum. — Cum autem hisce temporibus nimis facile vinum adulteretur, Parochus et Sacerdos de ejus integritate omni studio certiores se reddere debent [1].

Vinum *congelatum* probabilius est materia valida, dum dicitur in Rubrica: *Si in hyeme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis* etc., *donec liquefiat.* Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini, alias desineret esse ibi Sanguis Christi. Peccat tamen graviter qui vinum congelatum consecrat, unde si in hyeme congelatum fuerit vinum, prius calore manuum, vel halitu, vel alio modo solvendum est.

2. Pro *liceitate* vero vinum debet esse purum, nec alio liquore etsi modico mixtum. — *Mustum* de uvis recenter expressum est quidem materia valida, quia vinum de vite et absolute loquendo potabile, sed est materia graviter illicita, saltem extra necessitatem, ut dicitur in Rubrica.

296. — *Q.* Vinum acescens est ne materia licita?

R. Vinum *acescens* , si est ita proximum aceto ut dubitetur an amiserit naturam vini, materia erit dubia ideoque illicita. Quare Rubrica missalis ait: *Si vinum coeperit acescere, vel fuerit aliquantum acre... conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* Rubrica igitur damnat de mortali non solum qui adhibet vinum aceto proximum, sed etiam vinum quod *coeperit acescere, vel fuerit aliquantum acre.* Attamen, ait S. Alph., Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos qui proximius incipiunt constituere vinum acescens. Unde dicunt probabiliter plures Th. quod, deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens [2].

Quid vero agendum sit casu quo Sacerdos in Missae celebratione aliquem defectum adverterit in pane, vel in vino, dicetur inferius ubi *de Sacrificii defectibus.*

—

[1] Quaesitum fuit: 1. An liquor ex uvis passis, ope cujusdam fermentationis expressus in Ethiopia, ubi aliud vinum deficit, usitatus sit materia valida et licita? — S. C. P. F., 23 jul. 1706, respondit: *Licere*, dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum.

2. An liceat aliquid sacchari admisceri vino ad illud corroborandum?—*R.* Potius addendus spiritus *alcool* dummodo ex genimine vitis extractus, et cujus quantitas una cum ea quam vinum naturaliter continet haud excedat proportionem duodecim pro centum si debile, septendecim circiter si generosum et dulce, quae admixtio fiat cum fermentatio tumultuosa, ut ajunt, defervescere incoeperit. S. C. S. O. 5 aug. 1896.

[2] S. Alph., L. VI, 207; Hom. Ap., append. III, 98.

ART. II.

De forma.

297. — *Q.* Quaenam forma Eucharistiae?

R. Forma Eucharistiae sunt verba quae proferuntur a Sacerdote in consecratione panis et vini.

1. Forma pro consecratione *panis* haec est: *Hoc est enim Corpus meum.* Vox *enim* ponitur secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae a B. Petro derivatam; inseritur autem, ut forma cum praecedentibus verbis cohaereat.

Omnia illa verba sunt de essentia praeter vocem *enim* cujus omissio juxta quosdam est venialis, sed juxta alios cum S. Alph. est mortalis, nam quaecumque mutatio, etiam levis, deliberate apposita in re tam gravi non videtur materia levis.

An vero verba praecedentia: *Qui pridie quam pateretur, etc.*, vel in consecratione calicis verba: *Simili modo,* etc., pertineant ad essentiam consecrationis, sententia communis et moraliter certa negat [1], nam a S. Alexandro P. I. addita fuere. Nihilominus gravi sacrilegio omitti non possunt.

2. Forma pro consecratione *vini* praescripta haec est: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissiouem peccatorum.* Quae omnia verba desumpta sunt vel ex diversis S. Scripturae locis, vel ex Apostolica Traditione, ut docet S. Thomas [2].

Verba essentialia probabilius sunt haec sola: *Hic est calix Sanguinis mei;* vel: *Hic est Sanguis meus.*

An verba: *novi et aeterni testamenti, etc.* sint de essentia, disput. Th. Utraque sententia est probabilis, sed *in praxi,* ait S. Alph., si Sacerdos tantum dixisset: *Hic est calix Sanguinis mei,* et alia omisisset, deberet utique sub conditione integram repetere formam [3].

298. — *Q.* Forma Eucharistiae quomodo proferri debet?

R. Forma Eucharistiae proferri debet *in persona Christi, formaliter et significative seu assertive* [4];

[1] S. Alph.; L. VI, 220, 222.
[2] P. 3, q. 78, a. 3 ad 9.
[3] S. Alph., L. VI, 223.
[4] Verba formae proferri debent *assertive* simul et *significative*, significando nempe transubstantiationem materiae praesentis panis et vini in corpus et sanguinem Christi, et non tantum *recitative* sive *historice*, licet ea quae in canone praecedunt tantum recitative sive historice dicantur. — Ceterum *in praxi*, nulla difficultas occurrere potest, sufficit enim ut sacerdos intentionem habeat faciendi quod Christus fecit et instituit, nam eo ipso vult Christi personam gerere et verba sacramentaliter proferre. Audiatur cl. *Frassinetti:*

Ego non exhortarer sacerdotes ut attendant ad verba formae proferenda modo *recitativo, et significativo*, sed potius ut verba proferant pura intentione consecrandi, uti generaliter faciunt Sacerdotes; illa enim duplex intentio nonnisi ad anxietates et scrupula gignenda deserviret. Jam plurimi sunt sacerdotes qui verba consecrationis optimo modo proferre volentes, eadem immutant, contorquent, et interdum indebite repetunt. Quid, quaeso, erit si insuper praedictam attentionem proferendi verba *recitative et significative* habere deberent? Quo magis actio quam obire debemus sancta est et recollectione digna, eo magis in illa peragenda subtilitates et anxietates evitare debemus. Quare sacerdotes scrupulum habere non debent quod verba consecrationis sensu debito non proferant. Propterea attendant ut illa verba modo pacato, simplici et naturali proferant, sicque omne periculum vitabunt illa male proferendi. *Frassinetti*, Tr. XV, 338 (107).

nempe significare debent - *rei praesentis - transubstantiationem - in instanti* [1]. Unde, ex defectu formae, invalidam reddunt consecrationem omnes mutationes quae illius sensum tollunt, seu quae efficiunt ne Sacerdos personam Christi gerat, vel ne panis et vini transubstantiatio et quidem in instanti significetur. Hinc:

1. Invalida est consecratio si dicatur: *Hoc est Corpus Christi,* quia forma *non profertur in persona Christi.*

2. Item, juxta communiorem sententiam, invalida est consecratio si dicatur: *Illud est corpus meum; ille est sanguis meus,* quia pronomen *illud, ille,* non significat *rem praesentem.*

3. Item si dicatur: *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum,* vel *sanguis meus,* quia talis forma *transubstantiationem* non significat.

4. Item invalida est consecratio si dicatur: *Ecce corpus meum; ecce sanguis meus;* vel *hic panis est corpus meum;* vel: hoc *fiat,* vel *sit* corpus meum, quia non significatur transubstantiatio *in instanti.*

Si vero quis dixerit: *Hoc corpus est meum,* validitas formae pendet a mente proferentis, aliud enim est dicere: *Hoc corpus, est meum,* aliud *Hoc, corpus est meum.* — Forma: *Haec est caro mea,* ad minimum dubia est. — Si dicatur: *Hoc enim corpus meum; hic calix sanguinis mei,* quidam hanc formam validam tenent, quia etsi subintelligatur verbum *est,* propositionis tamen idem est sensus, usitatum enim est apud Latinos, Hebraeos, et Syros copulam in enuntiatione subintelligere; at communissime illam formam invalidam habent, quia licet verbum *est* in oratione continua ex adjunctis saepe subaudiatur, res tamen aliter se habet in propositione absoluta, praesertim practica, quae nempe efficit quod significat, tunc enim verbum substantivum subaudiri nequit. At vero propositio: *Hoc corpus meum,* assertoria potius quam consecratoria seu efficax videtur, quae proinde trasubstantiationem praesupponit nedum producat.

Si quis tamen propter balbutiem diceret: *Hoc est colpus meum,* vel *copus meum,* vel *corpus meus,* vel *hic est corpus meum;* vel *calis,* vel *sanguis,* valide consecraret, ut docent communiter Th., quia voces ita sunt constitutae ut, si aliquando cum vitio proferantur, idem tamen ex contextu significent, modo alium sensum non ingerant [2].

299. — *Q.* Quid agendum a Sacerdote qui formam consecrationis, vel partem ejusdem omisit?

[1] *In instanti,* idest non *in fieri,* quod est aliquid successivum, sed *in facto esse;* scilicet forma *hoc est, hic est,* non quod *fit,* sed quod *factum est* significat (S. Th., p. 3, q. 75, a. 7: q. 78, a. 2).

[2] Curet sacerdos ut verba consecrationis voce distincta, reverenti, continua et naturali proferat ut fit in sermone communi et gravi. Hac de re merito reprehenduntur ii ministri, aliunde aestimatione digni, qui singula verba ita lente tantaque interposita mora pronunciant, ut verborum sensus nexusque obtruncari videatur. Alii vero singula verba tam magnis conatibus proferunt, ut nervorum contractionibus exagitati credantur, caput movent, et tota persona contremiscunt. Hinc ne in ullo deficiant, omnia pervertunt; verbum *hoc* in *hoocche* mutant, *meum* in *meumme,* et sic de aliis verbis. De hoc uno eos rogamus: sibimetipsis quaerant utrum Christus dnm Eucharistiam instituit sic locutus fuerit. Minime sane. Ceterum talis modus verba consecrationis pronunciandi fideles pios excruciat, simplices stupore replet, et malos ad risum movet. *Collet,* Tract. de Missa.

R. — 1. Si celebranti *certe* constet se omisisse formam consecrationis, vel partem ejusdem, Rubrica praecipit ut ipsa forma resumatur incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie etc.*, si agatur de hostia; vel ab illis *Simili modo etc.*, si agatur de calice, sed absolute, exclusa quoque conditione mente concepta.

2. Si vero celebrans solum *dubitat* se formam consecrationis vel partem ejusdem omisisse, et dubium non est prudens, nec valde probabile, tunc illud contemnat.

Si autem dubium est vere prudens, et valde probabile, formidine vel scrupulo rejectis, tunc Rubrica praecipit ut iteretur forma super materiam dubie consecratam, sed *tacita conditione*, scilicet si *materia non sit consecrata*. Tali dubitatione aestuant qui facile vagantur; sed vix credi potest pium Sacerdotem ad primum actum Sacrificii attentiorem non esse; ideo in his rerum angustiis satis erit ut a ministro poscat an Hostiam Calicemque elevaverit; nam a responso deducere poterit utrum consecraverit necne.

Art. III.

De conditionibus requisitis ut Eucharistiae materia formae subjici queat.

300. — *Q.* Quid requiritur ut debita materia *valide* consecretur?

R. Ut debita materia valide consecretur requiritur ut sit: *sensibilis*, saltem *moraliter praesens*, *certa* et a Sacerdotis intentione *in individuo determinata*. — Requiritur igitur:

1. Ut sit *sensibilis*, seu aliquo sensu percipi possit; nam ad Sacramentum requiritur, signum sensibile. — Hinc invalide consecratur materia si ita parva sit ut nullo sensu percipi possit. Non est tamen necesse ut materia in se videatur, vel tangatur a Sacerdote, sed sufficit ut sit in eo loco in quo Sacerdos possit aliquo sensu eam percipere vel in se, vel in alio uti in suo toto, puta in cumulo, vel in vase materiam continente.

2. Ut sit *physice* aut saltem *moraliter praesens*, secus falsa esset forma; nam si materia non est praesens, non *hoc*, vel *hic*, sed *illud* dicendum esset. Ad hanc vero moralem praesentiam in communi sententia haec requiruntur: *a*) ut Sacerdos *sciat* materiam ibi esse; *b*) ut sit *coram* Sacerdote, alioquin non posset demonstrari per pronomen *hoc* stricte sumptum, per quod significatur rem esse praesentem independenter a circumstantiis et ab omni alio nutu aut signo; *c)* ut sit Sacerdoti *propinqua*, alioquin non esset praesens modo humano. Sed quum definiri nequeat quaenam propinquitas absolute requiratur, in re tam incerta servari debet praxis Ecclesiae, quae non consecrat nisi rem valde propinquam [1]. — Hinc invalide consecratur materia valde remota, aut vicina quidem sed posita post tergum celebrantis vel post parietem, vel clausa in tabernaculo, vel a Sacerdote sepa-

[1] Si materia extet ultra 50 circiter passus, consecratio invalida erit; si non ultra 20, valida; inter hos, dubia. *Circiter*, nam et quantitas materiae inspicienda est. *D'Annibale*, III, 388, (39). — Communiter tamen improbatur praxis eorum qui os ita proxime admovent ut halitum in calicem et panem inspirent.

rata ab aliqua re quae communiter consideratur ut corpus *dividens* rem a Sacerdote, quia in hisce casibus ex communi aestimatione non dicitur praesens. E contra est consecrata si materia sit a Sacerdote separata ab aliqua re quae consideratur ut corpus rem Sacerdoti tantum *tegens,* uti hostia clausa in theca, vel particulae in pyxide clausa, quia ad moralem alicujus rei praesentiam sufficit ut sit praesens vas ad illam rem continendam *destinatum.* — Probabilius valet consecratio hostiae quae sud corporali vel mappa lateat, quia esset tantum tecta quoad celebrantem, non prorsus divisa. Practice tamen talis hostia habenda esset ut *dubie* consecrata.

3. Ut sit *certa et a Sacerdotis intentione in individuo determinata;* tum quia sic requirunt pronomina *hoc* et *hic,* tum quia non adest vera consecrandi voluntas, nisi versetur circa materiam determinatam. Non requiritur tamen ut materia explicite et in individuo determinetur, dicendo v. g.: *Volo consecrare hanc hostiam quam prae manibus teneo,* sed sufficit ut implicite et acervatim determinetur, v. g.: *volo consecrare hunc hostiarum cumulum.* — Hinc valida est consecratio si Sacerdos putat unam vel duas tantum esse particulas consecrandas, et plures sunt, sive illae a se sive ab alio positae sint, quia talis error speculativus et privatus non obstat intentioni positivae et absolutae consecrandi omnes particulas praesentes. Unde ait missale: *Si Sacerdos advertat post consecrationem esse duas hostias simul junctas, utramque ut consecratam sumat.* Si vero id advertat ante consecrationem postquam obtulit, alteram seponat, et post missam ipse vel alius sumat tamquam panem benedictum.

Invalide consecraret qui vellet tantum mediam hostiae partem consecrare, non determinando qualem; vel ex multis particulis praesentibus aliquas tantum, v. g. decem, consecrare vellet, non determinans quas decem; quia non est ratio cur una magis quam altera consecretur; unde Rubrica Missalis Rom. ait: *Si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat.*

Nec consecratur hostia posita quidem super corporale, sed inscio consecrante, quia intentio seu voluntas non fertur in incognitum.

Non censentur consecratae guttae vini, si exterius calici adhaerent, quia non praesumitur intentio illas consecrandi, cum sit res graviter illicita. Si vero sunt intus in calice, sed separatae a majori parte, et Sacerdos nihil circa eas intenderit, an sint consecratae res valde dubia est. Pro *praxi* expedit, ait S. Alph., ut Sacerdos intendat consecrare guttas proximas, non vero remotas [1], et ad omnem sollicitudinem praecavendam, bene faciet Sacerdos si semel pro semper intentionem determinet [2].

[1] At, quaeso, quaenam guttae viciniores, quae remotae ac proinde censendae consecratae aut minus? Potius dixerim: Sacerdos intendat consecrare quidquid licite consecrari potest, quo pacto scrupulis aditum praecluditur et consecratur quod consecrandum est. *Frassinetti,* 337 (106).

[2] Sic etiam Sacerdos debet consecrare micas adhaerentes hostiis, non autem separatas in patena, vel corporali: nec obstat quod eas sumendo laederetur je-

301.— *Q.* Sunt ne consecratae particulae in pyxide ex oblivione extra corporale relicta ?

R.—1. Si celebrans, non advertens pyxidem positam in altari pro consecratione esse extra corporale, illam *actuali intentione* consecrare intendit, certe est consecrata; est enim moraliter praesens, et adest intentio illam consecrandi etsi cognito defectu id non fieret.

2. Si vero celebrans determinaverat quidem illas consecrare, sed dum consecrat non animadvertit pixidem extra corporale esse positam, neque *actualiter* de ea cogitat, an tunc particulae sint consecratae, disput. Th.. Quidam affirmant, quia ad validam consecrationem nihil deest ; nam voluntas consecrandi jam adfuit, et non fuit retractata : at sententia communis et probabilior juxta S. Alph.[1] negat, quia cum sit graviter illicitum consecrare extra corporale, praesumitur deesse intentio consecrandi. D' Annibale vero ait : Ego, si Sacerdos sibi aliquando proposuit non consecrare quae sine peccato consecrari non possunt, his: secus illis assentior [2].

Quum autem dubium adsit an particulae sint consecratae, *in praxi* non licet eas fidelibus dare, nec etiam moribundo alias sine Viatico morituro; nec probabilius licet eas in alia Missa sub conditione consecrare absque justa causa (puta si essent in nimia quantitate), quia ad conficiendum Sacramentum sub conditione justa causa requiritur ; sed sumi debent s Sacerdote post Sanguinem. S. Alph. vero habet : « Et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem, quia reliquiae Sanguinis sunt certe Sacramentum, sed hostiae illae in ciborio sunt dubie [3] ». Sed haec ratio non videtur sufficiens, nam illae reliquiae seu species, juxta S. Th. [4], per novam vini infusionem in calice evanescunt.

Demum advertendum quod si aliquo casu particulis consecratis non consecratae misceantur, nec discerni et separari possint, totus cumulus consecrandus est sub conditione non quidem consecrandi dumtaxat non consecratas, sed potius *si non sint consecratae*, ne deficiat determinatio materiae [5].

302. — *Q.* Quid requiritur ut particulae *licite* consecrentur ?

R. Duo requiruntur : 1° ut non consecretur major quantitas quam tempore opportuno possit absumi, quia periculum esset, ne species computrescant; 2° ut Sacerdos ab usu Ecclesiae, praesertim in Mis-

junium, nam magis videtur tunc praecavenda irreverentia Sacramenti quam laesio jejunii. Si vero micae sunt in pyxide eas intendat etian consecrare, cum absit periculum eas perdendi. S. Alph., L. VI, 215.

[1] S. Alph., L. VI, 217.

[2] *D' Annibale*, III, 388 (39).—Ad praecavenda igitur hujusmodi dubia, expedit ut sacerdos formaliter intendat non consecrare materiam quae extra corporale existit; et haec intentio semel pro semper elicita sufficit.

[3] S. Alph., L. VI, 217.

[4] « Si fiat tanta permixtio liquoris cujuscumque, quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguinis Christi; si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub alia ». — P. 3a, q. 77, a. 8.

[5] S. Alph., L VI, 216 ; *D' Annibale*, III, 388 (34).

sali praescripto, non recedat, nempe; *a*) ut materia reponatur super corporali, quod praescriptum est sub gravi, imo et in petra sacra juxta Ben. XIV; *b)* ut pyxis aperiatur ad primam oblationem, et ad consecrationem. Attamen consecrare in pyxide clausa non videtur gravis irreverentia [1].

303.—*Q.* Quid si particulae afferantur post oblationem ?

R. Si particulae ad altare afferantur paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta.—Si vero afferantur post canonem incoeptum, tunc si urget justa causa consecrandi, v. g. plures sunt communicandi, aut Viaticum est infirmo dandum, ipsas consecrare licet; secus, plures negant : unde si una tantum persona sit communicanda, Bened. XIV suadet potius dare illi partem hostiae celebrantis [2].

304. — *Q.* Est ne valida et licita consecratio unius speciei tantum ?

R. — 1. Quoad *validitatem*, si consecratio unius speciei ex casu accidit, nemo dubitat quin valida sit. — Si vero sacerdot positivam habuit intentionem consecrandi unam tantum speciem sine altera, disp. Th., sed communiter affirmant consecrationem esse validam, alioquin enim quando per errorem apposita fuit aqua loco vini, non fuisset consecrata hostia, quod nemo dicit, et etiam quia in omni Sacramento semper ac minister formam profert super materiam cum debita intentione perficit Sacramentum [3].

2. Quoad *liceitatem* vero, consecratio unius speciei tantum nunquam licita est, ne ad Viaticum quidem administrandum: Unde Eucharistia semper sub utraque specie consecrari debet. **Can. 817.**

An autem hoc sit de necessitate praecepti ecclesiastici tantum, vel etiam divini, disput. Th. Sed S. Alph. dicit omnimo tenendum esse de praecepto divino [4].

305.— *Q.* Aqua debet ne necessario misceri vino in calice consecrando ?

R. Affirmative, Trid. enim definivit : *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice*

[1] *Gury*, II, 283, 2°; *Marc*, 1526.

[2] S. Alph., L. VI, 217.

[3] Plures auctores asserunt Lugo contrariam sententiam tueri, at perperam; audiantur verba illius Theologorum principis :

Alii dixerunt consecrationem ipsam unius speciei fore invalidam, quam sententiam omnes rejiciunt, quia absque ullo fundamento contra veritatem verborum (consecrationis) id asserit, cum enim consecratio cujuslibet speciei sit absoluta, statim habet suum effectum, ante consecrationem alterius speciei

Tamen sententia haec si debito modo explicetur non est absurda sed vera : nam, ut communiter docent Th., Christus ita instituit hoc sacramentum ut simul sit sacrificium, nec voluit fieri sacramentum sine sacrificio, nec sacrificium sine sacramento, sicut dici solet de homine baptizato qui vellet matrimonium contrahere, non tamen recipere sacramentum. Hinc si sacerdos vellet consecrare hostiam solam et non offerre sacrificium, sed excludendo oblationem sacrificii, nihil faceret, quia non habet potestatem consecrandi nisi per modum sacrificii De facto tamen omnes Sacerdotes consecrantes, sive per errorem sive ex industria, unam speciem sine alia, valide consecrant, vix enim accidere potest ut quis excludat omnino efficaciter intentionem sacrificandi. D. XIX, Sect. VIII, 102-4.

Ipse tamen Lugo (ib. 105) cum communi sententia negat licite posse, etiam ex dispensatione Pontificis, unam speciem absque altera consecrari.

[4] S. Alph., L. VI, 196.

offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anath.sit [1]. Haec mixtio fit ad denotandam aquam quae ex latere Christi simul cum sanguine exivit, et ad significandam unionem fidelium cum Christo. Attamen non est de necessitate Sacramenti, et probabiliter nec praecepti divini; sed ex gravi praecepto Ecclesiae.

Mixtio sub gravi fieri debet in ipso calice, et intra Missam ante oblationem calicis. — Si aqua desit a celebratione Missae abstinendum erit, etsi Viaticum dandum sit morituro. Quod si missa jam coepta fuerit, ante consecrationem, etiam facta oblatione calicis, acqua miscenda est si habeatur, secus a consecratione abstinendum erit, dummodo id sine scandalo fieri possit [2]. Post consecrationem vero aqua non est addenda, et sacrificium est ita absolvendum.

Aqua miscenda debet esse naturalis, et hoc sub gravi, et misceri debet in modica quantitate, sufficiunt nempe duae vel tres guttae, et etiam una sit sensibilis et certo constet eam fuisse vino immixtam, nunquam vero excedere debet tertiam partem vini; et si vinum sit parum generosum, haec quantitas a multis jam ut nimia habetur.

Quod vero talis aqua in consecratione convertatur in Sanguinem Christi, licet non sit de fide, est tamen pro certo tenendum; nam Trid. docet post consecrationem solas species panis et vini remanere. — Dissentiunt vero Th. de modo conversionis: alii volunt aquam immediate converti in sanguinem; alii vero primum immediate in vinum, et postea in sanguinem [3].

CAPUT III.

De ministro Eucharistiae et de servandis in Eucharistiae dispensatione.

ART. I.

De ministro Eucharistiae.

306.—*Q.* Quisnam minister Eucharistiae?

R. In Sacramento Eucharistiae distinguitur minister *consecrationis* et minister *disponsationis*. De ministro consecrationis dicetur ubi de Sacrificio missae; nunc tantum de ministro dispensationis.

307.—*Q.* Quisnam est minister dispensationis Eucharistiae?

R. — 1. Minister *ordinarius* dispensationis Eucharistiae est solus Sacerdos. **Can. 845.** § I.

Dixi: est *solus Sacerdos;* ratio, quie Eucharistia uti Sacramentum conficitur ut fidelibus distribuatur, ergo jure ordinario ab eo distribui debet cujus est illam conficere: atqui, uti de Sacrificio Missae dicetur, solus Sacerdos potestatem habet conficiendi Eucharistiam: ergo. Unde Trid. [4] ait: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a Sacerdotibus Communionem acciperent.*

Quilibet sacerdos infra Missam et, si privatim celebrat, etiam proxime ante et statim post, sacram communionem ministrare potest, salvo praescripto Can. 869. **Can. 846.**

Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta

[1] Sess. XXII, c. IX.
[2] *D'Annibale*, III, 386.
[3] S. Alph., L. VI, 218, 219.
[4] Sess. XIII, cap. 8.

rectoris ecclesiae, si sit extraneus. **Can. 846.**

Ius et officium sacram communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium.

Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii. **Can. 848.**

Cummunionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacordotis, cui custodia SS. Sacramenti commissa est: **Can. 489.**

Extraordinarius est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. **Can. 845. § 2.**

2. Minister *extraordinarius*, est Diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. **Can. 845 §. 2.**

Diaconus igitur, vi suae ordinationis, Eucharistiam ministrare potest non solum in necessitate extrema, sed, ut communiter docent Th. [1], etiam in gravi seu notabili, nempe quando nullus adest Sacerdos qui commode illam ministrare possit, ut si parochus esset occupatus in die magnae festivitatis, aut numerus communicantium esset magnus [2]. Imo in necessitate extrema, v. g. si Viaticum infirmo sit deferendum, et tempus urgeat, desitque alius Sacerdos, Diaconus non solum potest, sed *tenetur* Viaticum ministrare, etiam sine commissione.

308.—*Q.* Licet ne aliis clericis et etiam laicis in necessitate ministrare Viaticum moribundo?

R. In neeessitate *extrema*, nempe si, deficiente idoneo ministro, moribundus nullum aliud sacramentum suscipere potuisset, Th. affirmant. — Secluso hoc casu, disputant. Alii negant, quia esset contra reverentiam Eucharistiae debitam, et contra hodiernam disciplinam Ecclesiae; sed alii affirmant, urgente praecepto divino, dummodo nulli irreverentiae aut alii periculo tantum Sacramentum exponatur [3].

Nec obstat contraria consuetudo; cum enim casus rarissime accidat, contraria consuetudo minime probari potest. Quoad scandalum, aut potius admirationem exurgentem, de facili tolli potest, circumstantes admonendo quod in tali necessitate id permissum est. Imo occurrente necessitate, puta tempore pestis, bene poterit judicio Episcopi etiam laicis permitti Eucharistiam ministrare [4].

Cui autem licet aliis dare, et

[1] S. Alph., L. VI, 237.

[2] *Marc*, 1535. — In ipsa vero distributione Diaconus nullum ritum mutare debet, sed omnia perficienda sunt sicut a Sacerdote, omissa sola benedictione populi post datam Communionem, et mutato modo deferendae stolae; si autem cum SS. Sacramento danda est benedictio (post Communionem infirmo delatam), hanc Diaconus impertiatur oportet. *Lehmkuhl*, II, 140. — Vid. Decr. S. R. C. 14 aug. 1858, n. 3074 ad I; et 20 novemb. 1906.

[3] *Ballerini*, IV, Tr. X, sect. IV, 90. — An permitti possit persecutionis tempore ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati, et quibus in carcere defertur SS. Eucharistia occulte, possint illam suis manibus recipere et se more ordinario communicare ne sacerdos apprehendatur. S. C. de Prop. Fide die 20 jul. 1841 respondit: *Affirmative*, dummodo nulli irreverentiae aut alii periculo Eucharistia exponatur.

[4] S. Alph., L. VI, 237.

sibi dare licet in eadem conditione rerum constituto [6].

309. — *Q.* Sacerdos potest ne extra Missam se ipsum communicare?

R. Si adsit sacerdos qui possit et velit Communionem dare, sacerdos neqnit se ipsum extra missam communicare; secus disput. Th. Sed multi cum S. Alph. sat probabiliter dicunt quod, secluso scandalo, sacerdos ex gravi causa, v. g. si in longo morbo diu non communicasset, imo etiam sola devotionis causa, semper potest se ipsum communicare, et ideo potest hostiam sumere e sacrario, vèl allatam a Diacono sibi ipsi dare; ratio, quia hoc nullibi est vetitum, nec ulla adest irreverentia. — Imo nonnulli hoc permittunt etiam Diacono, quia ex Conc. Nicaeno id conceditur. Ceterum, disciplina hodierna in hoc spectanda est [2].

310. — *Q.* Minister potest ne dare Communionem sub utraque specie?

R. Sanctissima Eucharistia sub sola specie panis praebeatur. **Can. 852.**

Minister propterea nequit ullo in casu dare Communionem sub utraque specie, quia graviter prohibitum ab Ecclesia. Imo numquam licet eam ministrare sub specie vini, ne morituris quidem qui alias communicare nequirent, et est grave.

De fide autem est quod Ecclesia merito laicis usum interdixti communicandi sub utraque specie, ob magna obventura incommoda; sicut de fide est quod Communio sub utraque specie non est necessaria ad salutem. *Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere; anath. sit* [3].—*Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret aut in eo errasse; anath. sit* [4].

Quandonam vero minister Eucharistiam ministrare teneatur, jam diximus n. 206.

ART. II.

De servandis in Eucharistiae dispensatione.

311. — *Q.* Minister quid servare debet in dispensatione Eucharistiae?

R. Ut Minister in dispensatione Eucharistiae non peccet (praeterquamquod gaudere debet statu gratiae, jurisdictione, et immunitate ab omni excommunicatione, interdicto, et suspensione a sacris) ea omnia servare debet quae sunt ab Ecclesia statuta tum quoad

[1] *D'Annibale*, III, 395.
[2] S. Alph., L. VI, 238.
[3] Trid. Sess. XXI, c. 1.
[4] Ibid., c. II. — Interdictioni usus calicis a Concilio Costantiensi latae locum dedere: 1° Periculum effusionis et irreverentiae; 2° difficultas tum asservandi speciem vini quod facile acescit, tum illam ad aegrotos convenienter deferendi; 3° repugnantiam multorum ad gustum vini, praesertim ad libandum in eodem calice post plures alios; 4° vini raritas in pluribus regionibus; 5° confutatio haereticorum necessitatem sumendi utramque speciem asserentium; 6° demum uniformitas apud fideles obtinenda.

Nec objiciatur illud: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Qui enim illa dixit, dixit et ista: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Ceterum jam probavimus SS. Eucharistia sub specie panis et carnem et sanguinem Christi contineri.

tempus, tum quoad *locum*, tum quoad *modum*.

§ 1. Quoad *tempus* omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere. **Can. 867 § 1.**

§ 2. Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre.

§ 3. In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis.

§ 4. Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat. [1].

§ 5. Sacrum tamen Viaticum quacumque dici aut noctis hora ministrari potest. **Can. 867.**

1. Igitur Sabbato Sancto non licet ministrare Eucharistiam neque ante Missam, neque durante Missa, sed solum intra Missam ipsam celebrantis, quo tempore celebrans se communicat, et tunc Eucharistiam dare potest sive a se solo sive adiuto ab aliis. — Licet etiam Communio dari post Missam finitam sed continuo et statim ita ut distributio Eucharistiae sit veluti moralis continuatio Missae. [2].

2. Quoad *locum*. Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit. **Can. 869** [3].

3. Quoad *modum*, servare debet ritus Ecclesiae consuetos in ipsa administratione. — Hinc fere omnes Th. damnant de mortali Eucharistiam administrare sine superpelliceo et stola [4]. Omissio solius stolae, juxta S. Alph., videtur tantum veniale. Item veniale tantum esset omittere *Confiteor*, vel Orationem post Communionem [5]. Item communiter si quis communicat sine lumine. In casu *necessitatis* vero, v. g. si esset Viaticum deferendum, ut communius et sat probabiliter docent Th., haec omnia sine peccato omitti possunt [6].

3. Sic. v. g. ratione itineris communio potest dispensari sive antea sive post tempus quo Missam sive ex privilegio, sive ex iure communi celebrare licet. Ferreres. 2. 394.

[1] Hinc non licet communionem ministrari sub vesperas, idest in extrema diei parte, tum propter hodiernam Ecclesiae consuetudinem, tum propter scandalum, vel potius admirationem vitandam, nisi accedat aliqua rationabilis causa.

[2] Attamen in Communitatibus ubi SS. Eucharistia in sacello domestico asservatur, etiam noctis tempore ministrari potest justa adstante causa, v. g. si quis infirmus jejunium protrahere nequeat. *Marc*, 1540.

[3] S. R. C. die VIII Maji 1907.

[4] Deferre Eucharistiam de uno ad aliud altare sine vestibus sacris communiter dicunt non excedere peccatum veniale.

[5] Quum tempore Paschali administrandum sit SS. Eucharistiae Sacramentum ante vel post Missam *de Requie*, debent ne dici Oratio et Versiculi de tempore atque *Alleluja*? — S. R. C. respondit: *Affirmative quoad Orationem et Versiculos.—Negative quoad Alleluja.* Die 26 nov. 1878, n. 3465.

[6] S. Alph., L VI, 241. — In casu quo Sacerdos, propter instantem necessitatem, defert Eucharistiam sine superpelliceo et sine stola, consultius videtur ut procedat etiam sine lumine et tintinnabulo, ne populi admirationem provocet. *Gury*, Cas. Consc., n. 269.

Stola debet esse coloris Officio illius dici convenientis, juxta Rit. Rom., sed potest etiam uti stola semper coloris albi [1]; ad deferendum vero Viaticum requiritur stola albi coloris. Quod si diaconus Eucharistiam administrat, stolam transversim gerere debet.

Debet in ejus administratione adhibere *pollicem* et *indicem* dexterae manus, et casu impotentiae aliis digitis uti licet ex causa *gravi*, v. g. Viaticum ministrandi [2].m An vero liceat ex causa *leviori*, alii affirmant, quia li et soli primi digiti Sacerdotis inungantur. tamen tota manus consecratur; sed communius negdnt, quia licet tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati [3]. Si vero sine *ulla* causa fiat, erit culpa venialis [4].

Debet *unam particulam* tantum tradere communicantibus, nisi aliter fieri commode non possit [5]; nec potest partem dare propriae hostiae, nisi adsit justa causa. Quod si particulae non sunt in numero sufficienti, ex decreto S. R. C. (16 mart. 1833, n. 2604 ad 1), servanda est consuetudo illas dividendi; sed in duas tantum vel ad summum tres partes minores, quia secus, ait Lacroix n. 508, sacra Communio vix dari posset cum debita reverentia. — Et si missae inserviens Communionem accipit, tunc ratione ministerii est praeferendua ceteris, quamvis dignioribus [6].

Communio consultius fit intra missam; sed Parochus praecipere non potest ut nonnisi intra missam distribuatur. Imo si in festo de praecepto plures sunt communicandi, praestat ut distribuatur absoluta missa, ne fideles ob longam moram, taedio afficiantur [7].

Quoad modum Viaticum deferendi dicetur inferius n. 323.

312. — *Q.* Quid agendum si particula decidat 1° in terram, vel 2° intra pectus mulieris, vel 3° inter monialium claustra?

R. Ad 1um: Tegendus est locus panno lineo mundo, et postea abluendus. Si autem in mappam decidat, locus signandus est et postea abluendus, ut praecipiunt Rubricae, quae tamen non obligant sub mortali. Unde dicunt plures Th. quod ordinarie potest imo convenit omitti ablutio vestis aut barbae ad evitendam admirationem, turbationem aut offensionem populi. Si vero incidunt *species vini*, tunc locus sub gravi semper debet ablui, cum ipsae imbiban-

[1] S. R. C. 12 mart. 1836, n. 2740, ad 12.

[2] Communiter dicunt Th. quod si quis haberet pollicem ita infirmum ut non posset cum eo hostiam frangere, non posset quidem celebrare. S. Alph., L. VI, 244.

[3] Morituris Communio dari potest medio instrumento, v. g. cochleari, si aliter fieri nequit, ut probabiliter putat S. Alph., L. VI, 490.

[4] *Ballerini*, IV, Tr. X, sect. IV, 104.

[5] Plures particulas vel grandiorem tradere sine causa ut satisfiat devotioni accipientis leve est.

[6] S. R. C. 13 jul. 1658, n. 1074.

[7] Si necessitas id postulet, Communio dari potest a Sacerdote induto vestibus ad missam celebrandam, quando in alio altari missam celebravit aut est celebraturus. S. R. Cong. 12 mart. 1836, n. 2740 ad 11.

Patenae suppositio per Sacerdotem cotta indutum in generali Communione licita est. (S. R. C. 3 sept. 1661, n. 1210). Item per Diaconum inservientem, nunquam vero ab ipsomet Sacerdote hoc fieri potest.

tur, etsi opus non sit eas comburere [1].

Ad 2um : Si intra pectus mulieris particula decidat, decet ut non Sacerdos, sed ipsa mulier particulam quaerat, secedendo etiam, si facile ea invenire nequeat, in cellam Ecclesiae proximam, et suis ipsa manibus eam ore sumat. Sacerdos vero mulierem de hoc monebit, addens etiam ne se turbet, et post susceptam hostiam digitos abluat, et aquam in ignem vel sacrarium dimittat. Quod si mulier ob perturbationem nollet amplius se communicare particulam in corporali vel ciborio reponat, et digistos postea abluat [2].

Ad 3um : Si adest monialis nondum communicata debet particulam lingua sumere, secus monialis palla vel patena particulam de terra accipiat, et Sacerdoti tradat, et locus abluatur.

313. — *Q.* Quid agendum de particulis eorumve fragmentis post ablutiones in altari aut extra altare repertis ?

R. — 1. Si Sacerdos inveniat particulam certe consecratam aut fragmenta hostiae pertinentia ad suum praesens sacrificium, ea sumere debet etiam post ablutiones, sive parva sive magna sint. Imo hoc tenendum etiam si sacerdos jam sit redux ad sacristiam. indutus tamen adhuc vestibus sacris.

2. Si vestibus sacris jam exutus sit, vel particula aut fragmenta pertineant ad aliam missam, reponi debent in tabernaculo, vel in loco decenti si tabernaculum deficiat; et non sumenda nisi quando in loco decenti reponi nequeant.

3. Si laicus ea inveniat, monant primum sacerdotem, si quis prope sit, vel eum accersat si fieri potest. Sacerdos autem aget ut modo secundo loco dictum fuit. Deficiente sacerdote, laicus fragmenta revereuter accepta reponat in corporali vel in linteolo mundo, aut in vase decenti donec sacerdos advenerit [3].

4. Tandem si particulae aut fragmenta inveniantur dubie consecrata sumenda sunt a sacerdote in missa ante purificationem et ablutionem. Quod si nimiam nauseam ipsi provocent, reponenda sunt in tabernaculo seorsim, donec corrumpantur.

[1] S. Alph., L. VI. 250.
[2] Ibid., loc. cit.
[3] S. Alph., L. VI, 251 ; *Gury*, II, 312

CAPUT IV.

De Encharistiae subjecto, ejusque Eucharistiam suscipiendi obligatione, et de dispositionibus ad illam requisitis.

ART. I.

De Eucharistiae subjecto, ejusque Eucharistiam suscipiendi obligatione.

314. — *Q.* Quisnam subjectum capax Eucharistiam suscipiendi ?

R. Subjectum capax Eucharistiam suscipiendi est omnis et solus homo viator et baptizatus.

Communio autem quatuor modis accipi potest : 1° *materialiter*, si accipiatur a non baptizato; 2° *sacramentaliter tantum*, si accipiatur a fideli in peccato gravi, qui accipit quidem Sacramentum, sed non gratiam ; 3° *spiritualiter*, si accipiatur tantum in voto seu desiderio ; 4° *sacramentaliter simul et spiritualiter*, si realiter accipiatur ab iis qui sunt in gratia.

315. — *Q.* Licet ne Eucharistiam dare parvulis, amentibus, semifatuis, mutis, surdis, energumenis et infirmis usu rationis destitutis ?

R. Ad singula: Quoad *pueros*, pueris, qui propter aetatis imbecillitatem mondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur.—In mortis periculo ut ipsa pueris ministrari possit et debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare. **Can.854.**

Quoad *amentes*, si tales sunt in perpetuum, parvulis aequiparantur. Si tales ad tempus, tunc ipsis Eucharistiam dare licet tempore lucidi intervalli, et etiam in articulo mortis, si antea pie vixerint, et nullum adsit profanationis periculum. — *Furiosis* vero ob tale periculum non datur.

Quoad *semifatuos*, Communio ipsis dari potest, si sufficientem habeaut instructionem, ut coelestem hunc panem a terreno distinguant : raro tamen, scilicet in Paschate et in periculo mortis. Ita Th. communiter [1]. At non desunt probati auctores qui unam vel alteram communionem ex devotione infra annum illis concedunt.

Quoad *surdo mutos* a nativitate, si sufficienter sint instructi, ipsis Communio concedi potest non solum in Paschate et in periculo mortis, sed quoties Confessarius expediens judicabit.

Quoad *energumenos*, ipsis Communio deneganda est dum vexantur. — *Infirmis usu rationis destitutis* in articulo mortis deneganda non est Eucharistia, si antea pie vixerint et nulla timeatur profanatio [2].

316.—*Q.* Praeceptum Communionis quotuplex est, et quandonam obligat ?

R. Praeceptum Communionis, ut diximus n. 290, aliud est divinum, aliud ecclesiasticum.

Praeceptum *divinum* obligat *per se :* 1° pluries in vita, quod, ex declaratione Ecclesiae, est semel saltem in anno; 2° in probabili periculo mortis. — Obligat vero *per accidens* quoties Communio necessaria esset ad superandam aliquam gravem tentationem, quod in praxi raro eveniet, quum ordinario sufficere possint alia media, v. g. orationes, poenitentiae, etc.

Praeceptum *ecclesiasticum* obli-

[1] Semifatius non tantum in periculo mortis danda est SS. Communio, sed etiam saltem semel in anno, dummodo absit periculum profanationis. Parochus igitur vel alius confessarius vices ejus gerens semifatuo actus virtutum theologicarum suggerere debet modo eorum captui accomodatissimo; v. g.: *Credisne in Deum unum, et trinum in personis ? Credisne quod Deus est justus remunerator: nempe bonis praemium, et malis poenam retribuit ?* Et singulis interrogationibus curet ut respondeat: *credo ;* similiter interroget ; *Diligisne Deum super omnia ? Dolesne de tuis peccatis ?* etc., et curet ut affirmative respondeat. Ipsum postea interroget de suis peccatis. dein sub conditione *si es capax* absolvat, et ad Communionem admittat. Haec est praxis cujusvis parochi docti et zelum salutis animarum habentis, communi theologorum sententia suffulta. Plurimi heu ! adsunt parochi qui semifatuos Sacramentorum incapaces existimantes, toto suae vitae tempore ab iisdem arcent, autumantes se omnino functos esse officio quum ipsis in articulo mortis absolutionem sub conditione impertiantur et Extremam Unctionem administrent ! — *Frassinetti*, Manuale del Parroco novello, n. 338.

[2] S. Alph., L. VI, 302, 303.

gat *per se* tantum semel in anno tempore paschali. — Obligat *per accidens* quum quis sacros Ordines suscipit [1].

ObligatioCommunionis oriri potest etiàm ex praecepto particulari, puta si quis nomen det alicui religioni cujus regula frequentiorem Communionem sub poena peccati praecipiat.

NOTA: 1° Praecepto Communionis satisfieri non potest per Communionem sacrilegam **Can. 861**, et propositio contraria ab Innoc. XI damnata est; ideoque qui in periculo mortis sacrilege se communicaverit, tenetur, manente periculo, iterum se communicare, si citra scandalum et infamiam id fieri possit. Idem dic de eo qui sacrilege in Paschate se communicaverit. — 2° Omissio Communionis per accidens suscipiendae non est contra praeceptum divinum Eucharistiae, sed contra virtutem adversus quam urgeat tentatio, aut ad quam refertur praeceptum Ecclesiae vel regulae.

§ 1°

De praecepto Ecclesiae communicandi in Paschate

317.— *Q.* Quid de praecepto communicandi tempore paschali?

R. Hoc praeceptum indictum fuit a Conc. Lateran. IV, sub Innoc. III, anno 1215, his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis* idest ad usum rationis pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis (l. c. *confessarii*) ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. **Can. 859.** § 1.

Trid. autem sic definivit: *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis in Paschate ad communicandum, justa praeceptum S. Matris Ecclesiae; anath. sit* [2].

Hoc praeceptum duo importat:

1. Communicare *semel in anno;* unde si quis tempore paschali non potuit communicare, juxta communiorem et veriorem sententiam, adhuc tenetur; quia urget praeceptum divinum, et tempus assignatum fuit non ad finiendam, sed ad sollicitandam satisfactionem. An vero tunc quis teneatur communicare quam primum, plures affirmant; alii absolute et verius negant et dicunt teneri tantum antequam annus expiret. Annus autem verius initur a paschate ad pascha.

2. Communicare *tempore paschali*, quod tempus extenditur a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis. Sed locorum Ordinariis fas est, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam

[1] Haec praescriptio non obligat sub gravi nisi solos neo-sacerdotes. Initiandi ad Ordines minores ne sub levi quidem tenentur, ut communiter docent Th.— S. Alph., L. VI, 801.

[2] Sess. XIII, c. IX. — Anni discretionis accipiendi sunt respective ad dignitatem Sacramenti; unde sicut Communio majorem exposcit reverentiam, ita majorem expostulat discretionem: haec autem discretio in eo sita est, ut puer panem hunc coelestem a materiali discernere eumque reverenter accipere valeat.

diem dominicam quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum SS.ma Trinitatis. **Can. 859.** § 2.

An autem qui praevidet non posse communiaare in Pnschate teteatur Communionem anticipare, Th. communiter negant, quia obligatio communicandi juxta communem sententiam non incipit nisi inoepto tempore paschali; unde ante illud tempus nondum contracta est obligatio, et si quis praevenit absque Episcopi licentia non satisfacit praecepto [1]. Ideoque qui tempus antevertit praevidens impedimentum quod postea cessavit, iterum communicare tenetur.

Nec quisquam Communionem ultra tempus paschale differre potest, nisi ex gravi causa et ex confessarii licentia. Et qui sine justa causa Communionem differret, etiam ad unum vel duos dies post clausum tempus paschale, juxta communiorem sententiam graviter peccaret, quia ratio temporis est notabiliter diversa; per accidens tamen excusatur si sit in bona fide, vel si adsit aliqua causa.

318.—*Q.* Communio paschalis est ne facienda in propria paroecia?

R. Suadendum est fidelibus ut praecepto paschali satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere. **Can. 859.** § 3.—Ergo communio paschalis in propria paroecia nunc est solum de consilio, non amplius de praecepto; et haec communio paschalis fieri potest in alia ecclesia, vel in oratorio publico v. g. religiosorum. Et licot can. 859 § 3. dicat: in sua paroecia vel in aliena paroecia haec postrema verba uon sunt intelligenda stricto sensu, quod aliena ecclesia sit ecclesia parochialis, nam sicut non adsit obligatio, sed tantum consilium communicandi in *propria* paroecia, a fortiori non erit obligato ut fiat praecise in aliqua ecclesia parocciali [2].

Item curare proprium parochum certiorem facere de praecepto adimpleto vel est solum de consilio, vel ad summum obligatio sub levi.

319.—*Q.* Quanam aetate incipit haec obligatio?

R. Licet Th. conveniant obligationem communicandi esse certam et gravem, non conveniunt tamen quanam aetate incipiat haec obligatio. Plerique Doctores, ait Bened. XIV [3], non improbabiliter docent omnes pueros statim ac sunt doli capaces, sicuti adstringuntur sacramentalis confessionis praecepto, ita obligari ad communicandum in Paschate, nisi forte, ut decernitur a Conc. Later. IV cap. *omnis utriusque sexus*, de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujsmodi perceptione duxerit abstinendum. Communiter tamen Th. docent quod pueri statim post adeptum usum rationis, licet non prohibeantur communicare semper ac sciant discernere hunc coelestem cibum a profano, tamen non tenentur; - ratio, quia communis usus Ecclesiae sic obligationem hu-

[1] S. Alph., L. VI, 297; Hom. Ap. T. XII, 40.

[2] Ferreres. I. 590.

[3] *De Synodo Dioec* L. VII, c. XII, n. 2.

jus praecepti interpretatur [1]. Unde Th. communiter dicunt pueros, regulariter loquendo, non obligari ad Communionem ante 9um vel 10um annum, nec differendam eis esse Communionem ultra 12um vel ad summum 14um annum. Dictum est *regulariter loquendo*, nam, ut advertunt auctores, citius possunt obligari pueri qui ante talem aetatem perspicaciores conspiciuntur. Hinc S. Alph. ait: Recte Ron-

caglia reprehendit Parochum qui indiscriminatim non admittit ad Communionem nisi pueros in certa aetate constitutos. S. Carolus vero in IX Synodo dioecesana praescripsit, ut Parochi illos qui *decennium attigerint* (nota: non compleverint) accersant, instruant ad cognitionem Eucharistiae, doceantque ut quam reverenter ad eam accedant [2].

Ex dictis consequitur quod pue-

[1] In regionibus ubi christiana puerorum instructio a parentibus negligitur, aliquando expedit differre ad tempus primam communionem, ut pueri veritates fidei perfectius ediscant et in pietate confirmentur; unde si Episcopus aetatem praefinivit pro prima Communione, ejus mandato standum est. Et si in Dioecesi adest tale statutum, Parochus potest puerum ante praefinitam aetatem ad primam communionem admittere solum quando *certo* constat puerum ad aetatem discretionis pervenisse, et in hoc casu potest eum admittere solum *privatim*, et non solemniter. Ita S. C. Conc. in causa Anneciensi, 21 jul. 1888.

[2] S. Alph., L. VI, 301.

[3] *De prima puerorum communione.* Cum ex primo ad sacram Communionem accessu saepe pendeat totius vitae ratio, ipsaque ideo aeterna salus, quam maxima diligentia ut debent rectores animarum in pueris ad illam suscipiendam recte disponendis. Porro tres sunt praecipuae curae quas boni Parochi adhibent circa primam Communionem pueris tribuendam.

1° In primis satagunt ut ad eam accedant statim ac, juxta strictum praecepti sensum, Communionis capaces sunt. Nequit enim Parochus pro suo lubitu primam Communionem pueris impertiri, sed tantum judicare debet de eorum dispositionibus, an admitti possint nec ne, et solum, si noverit eos debita discretione et instructione carere, potest et tenetur ipsis Communionem differre, non autem si secus.

Parochus autem sedulo animadvertat quod discretio et instructio quae requiritur in pueris est juxta ipsorum aetatem et intelligentiae capacitatem, non vero juxta aetatem et intelligentiam adultorum, et virorum in theologicis disciplinis versatorum. Quod si aliquando inveniuntur pueri praeclarae intelligentiae, maturi judicii, et amplae instructionis, haec est exceptio, quae exigi nequit uti regula generalis pro ceteris pueris.

Dominus noster Jesus Christus non solum pueros a se non abigebat sed potius cum ipsis familiariter et confidenter versabatur, non attendens ad eorum defectus potius ab aetate quam a malitia procedentes; ideoque etiam nunc ipsos libenter excipiet, et mensae suae divinae certe libenter participes efficiet, nihil aliud ab ipsis requirens nisi ut ipsum in SS. Sacramento agnoscant, et instructi sint et praediti dispositionibus ad hoc Sacramentum rite accipiendum requisitis.

2° Altera cura quam boni Parochi adhibent quoad pueros qui ad primam Communionem accedunt haec est: Solliciti sunt ut his pueris pro eorum capacitate impertiatur recta et perfecta instructio de mysteriis et veritatibus Christianae religionis. Haec autem excellens instructio res est maximi momenti, non solum ut actualiter digne ad primam Communionem accedant, sed etiam hisce de causis: Si pueri in primaeva aetate recte solideque eruduntur, veritates fidei tam alte in eorum mentibus imprimuntur, et tam efficaciter eorum animam permovent, ut difficillime in posterum obliviscantur, et salutarem influxum ad eorum vitam sic efformandam semper exerceant. Quod si, dum ad primam Communionem accedunt, hac recta perfectaque instructione carent, magno in periculo versantur ne unquam in posterum ipsam acquirant. Lacrymabili enim experientia constat plures pueros postquam ad pri-

ri qui annos 14 attigerint, licet careant scientia sufficienti, tamen remittendi non sunt ad alterum annum, sed tantum ad breve tempus; unde diligentius a Parocho edocendi sunt et colendi, ut quo citius fas sit ad Communionem suscipiendam idonei fiant, non enim sine magno discrimine prima Communio ultra 14um annum pueris differtur. Quare Parochus tenetur peculiarem curam iis impendere, et solertem dare operam, ut Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum et actum contritionis ediscant. Quando vero haec sufficienter sciant, et panem coelestem a terreno

mam communionem accesserint, ob parentum negligentiam, vel ob propriam acediam instructioni catechisticae non amplius intervenire, sicque totam vitam degere in ignorantia veritatum catholicae religionis.

Quapropter Parochus diligenter attendat ne cuilibet Sacerdoti, et eo minus Clerico, hanc instructionem pro pueris ad primam Communionem admittendis committat; sed potius hoc praeclarissimum sui pastoralis officii munus sibi ipsi reservet. Casu autem quo aliis remittere necesse sit, curet saltem ut hoc officium illis tantum committat quos sibi constat revera ad ipsum idoneos esse.

Puellas praesertim nunquam Clerico instruendas committat, imo nec Sacerdoti qui debita prudentia et gravitate careat. Plures enim puellae ad primam Communionem admittendae jam grandiusculae sunt et venustae, quae juniori et incauto praeceptori magno periculo esse possunt, praesertim quum talis instructio est diuturna et quotidiana, quae propterea facillimam ac periculosissimam ex passionibus accendere potest.

3° Boni denique Parochi conantur ut dies primae Communionis evadat veluti quaedam insignis solemnitas tum religiosa, tum domestica; illa enim dies memoranda esse debet toto vitae tempore, ideoque speciali solemnitate oportet ejus recordationem in eorum animo imprimere: solemnitas autem non clamorosa, sed pia et devota esse debet. Imprimis Parochus ipse suggerat actus pietatis: ante et post Communionem; neque illos dimittat sine efficaci exhortatione ad perseverandum.

Ut autem pueri et puellae diei primae Communionis jucunde et pie recordentur opportunum erit ut Parochi aliquod pulcrum et religiosum donum ipsis distribuant, v. g. Crucifixum, imaginem vel numisma B. M. V., pium libellum, aut aliud quid simile. Attamen

ipsa functione peracta, non vero in ipso Communionis instanti; pueri nimium distrahi solent vel imaginem considerando vel librum volutando, et forsan etiam furtim bis communicarent ut bis donum accipiant.

Quamvis Parochus, generatim loquendo in domesticas festivitates parum influere possit, poterit tamen manifestare se eas uti optimas adprobare, sicque saltem indirecte promovere.

Ad hunc autem duplicem finem obtinendum, curet Parochus ut pueri ad primam Communionem non privatim accedant, sed una simul cum aliis ad eamdem sacram mensam prima vice admissis; excepto peculiari casu quo parentes pueri in ejus commodum peculiarem solemnitatem in parochia, vel in religiosa familia curent. Nonnulli putant primam Communionem evadere utiliorem si pueri illam sine pompa et solemnitate exteriori accipiant, sed in praxi hoc falsum est. Concedo quidem fideles vera solidaque pietate praeditos posse sacras functiones in silentio et quiete peragere cum majori devotione et fructu; sed ceteri ad pietatem excitandam et fovendam indigent exteriori solemnitate quae sensus afficiat; inter quos certe adnumerandi sunt pueri, qui, utpote natura sua leves magnaque sensibilitate et phantasia praediti, sine tali solemnitate facillime in plurimas et noxias devagationes prolaberentur cum magna jactura profectus spiritualis.— Cfr. *Frassinetti*, Manuale del Parroco novello.

Puer insuper non tantum prima vice, sed iterum atque iterum ad Communionem adjuvandus est, donec sibi sufficere possit. Item praestat ut identidem in anno, puta in solemnioribus festis, ad Communionem iterum accedat, ideo non bene se gerunt qui pueros de uno ad aliud Pascha expectare faciunt.

distinguere valeant, ad primam Communionem admittendi erunt, ne frustra ad alterum annum demandati, neque instructiores, neque paratiores redeant [1]. Ceterum non est aequum, quod a pueris incultis atque obtusis dem exigatur ac a perspicacibus, acrique ingenio praeditis; dummodo tamen et illi docilitate bonoque animo commendabiles sint [1].

320. — *Q.* Cuinam competit jus iudicandi de sufficienti puerorum dispositione.

R. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt. **Can. 854**, § 4.

Parocho autem est officium advigilandi etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur. **Can. 854.** § 5.

Ergo admittere pueros ad primam communionem non est ius strictum parochi; et contrariae dispositiones etiam Conciliorum provincialium, aut peculiares consuetudines manent abrogatae.

Imo pueri qui in collegiis religiosorum vel aliorum educantur, possunt illic primam communionem etiam solemniter peragere. S. C. R. 14. Mart. 1908.

Parochi tamen curare debent indicere et habere *semel* aut *pluries* in anno communionem generalem puerorum, ed ad eam *admittere* non modo eos qui nondum communicaverint, sed etiam eos qui, parentum vel confessarii consensu iam primam peregerunt communionem; et pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemitti debent. Mens haec erat Pii Papae X.

Parentes, tutores, confessarii, institutores, parochi curent ut pueri post primam communionem ad sacram mensam frequenter accedant et etiam quoties ea animi devotione quam talis aetas fert [2].

§ 2°

De praecepto Viaticum sumendi, et de jure ac modo illud deferendi.

321. — *Q.* Quid de praecepto Viaticum sumendi?

R. Fideles adulti in periculo mortis constituti, ex praecepto divino, *Viaticum* suscipere tenentur, ut in tanto periculo contra hostes spirituales muniantur, et ad tran-

[1] *Gousset*, de Euchar., n. 243.

[2] Adsunt aliquando pueri ita rudes et tam exiguae intelligentiae, ut, licet ad 15 vel 16 annos pervenerint, capaces non sunt memoriae mandare et retinere veritates christianae religionis. Parochus paterna caritate ipsos instruat, solum perpaucas veritates maxime necessarias ipsos docendo modo claro et simplici. Quod si tardius ipsos ad primam Communionem admittere velit, cum nempe ampliorem instructionem calleant, nunquam admittet, quia hac ampliori instructione prorsus incapaces sunt, et irremediabili ignorantia tabescerent. Hae autem paucae veritates maxime necessariae sunt: Scire existere Deum, et esse justum remuneratorem; scire mysteria Unitatis Dei et SS. Trinitatis, Incarnationis, et Passionis D. N. J. C.; scire obligationem confitendi peccata mortalia ad eorum veniam virtute clavium obtinendam; distinguere panem coelestem a pane naturali, et nosse dispositiones ad S. Communionem necessarias; et sufficit ut has veritates meliori quo possunt modo pro ipsorum capacitate cognoscant. *Frassinetti*, Manuale, n. 337.

[3] Ferreres. II. 424.

situm ad aeternitatem rite perficiendum se disponant; unde Parochi ad Viaticum recipiendum hortari debent omnes qui quomodocumque vita periclitantur [1].

Mortis periculum non est necesse ut sit actuale et imminens; sed statim ac morbus periculosus creditur, vix commode possit, Sacramenta aegrotis sunt administranda, et graviter peccaret Parochus si Viaticum ministraro negligeret, vel ex sua negligentia ad extrema momenta differret, cum probabili periculo ut infirmus sine ipso decedat [2].

Infirmus si est *puer*, licet nondum ad primam Communionem sit promotus, tamen si doli capax est et coelestem hunc panem a materiali secernere valet, Viaticum suscipere tenetur, quia urget praeceptum divinum, ideoque Parochus tenetur brevi illum instruere et disponere. Nec dicatur : Ex hodierna praxi Ecclesiae Communio differri solet aliquot annis post adeptum rationis usum. Utique, sed ut melius in posterum ab illis Communio suscipiatur; at in casu nostro cum ex una parte jam rationis usum habeant proindeque communicare teneantur, ex altera vero impossibilis sit ulterior dilatio, non est cur Communio differatur [3].

Si vero infirmus sit *usu rationis destitutus*, licet amplius *non teneatur* hoc praecepto, cum in eo statu incapax sit ad omnem legem adimplendam, ideoque parochus non teneatur saltem sub gravi Viaticum ei ministrari, tamen si constet ipsum esse in statu gratiae, nec ullum periculum adesse irreverentia, Parochus potest ei Viaticum administrare, quia in hoc casu sufficit in suscipiente intentio habitualis, vel interpretativa, et ex alia parte Sacramenta, non ponentibus obicem, gratiam conferunt ex opere operato [4].

Viaticum deferri non debet ad meretricem poenitentem si in domo meretricia adhuc commoratur, propter reverentiam Eucharistiae

[1] Sufficit infirmo huic praecepto semel satisfecisse, etsi postea in mortale inciderit. *D'Annibale*, III, 298; S. Alph., VI, 293, 4.

[2] Meminerit Parochus quod ad ministrandum Viaticum nullomodo indiget expressa medici licentia. Statim ac certo constet aut medicus declaret morbum esse gravem, ideoque periculum mortis continere, semper Viaticum deferri potest, licet medicus asseveret infirmum probabilissime sanitatem recuperaturum fore, vel perseverante morbo, semper adesse tempus sacramenta infirmo commode administrandi. Omnes enim Th. una voce cum S. Thoma docent Viaticum deferri posse semper ac morbus putative contineat periculum mortis, quod periculum semper adest quoties morbus est gravis. Quare in hoc casu Parochus, etsi medicus positive obstaret, semper potest infirmo Viaticum deferre ; imo si is Viaticum desiderat et rationabiliter petit, Parochus non solum potest, sed tenetur ei illud deferre. Erraret igitur et dedecus sibi afferret Parochus qui diceret *Viaticum non esse deferendum*, vel, quod pejus est, *Viaticum non posse deferri sine medici licentia*. Licentia, seu melius obligatio Viaticum deferendi fideli graviter infirmo non a medico, sed ab ipsa infirmitate dummodo gravi provenit. Saepe saepius et ipsi medici agnoscunt, et palam profitentur morbum periculosissimum esse, et nihilominus prorsus silent de obligatione Sacramenta recipiendi : numquid Parochus, et praesertim ipse infirmus in re tam magni momenti, et a qua saepenumero pendet aeternitas, ab incuria et aliquando ab impietate medici incredüli dependere debent ?

[3] Vid. Aertnys, L. VI. 91.

[4] Parochus potest celebrare in oratorio privato etiam absente indultario, quoties nisi id faciat difficillime S. Viaticum deferre potest infirmo morti proximo. S. C. R. 27 aug. 1836, n. 2745, ad 7.

debitam. Sed prius exire debet e domo illa infanda, et tunc, reparato scandalo, poenitens Communionem suscipere potest.

322. — *Q.* Qui paucis ante diebus vel mane communicaverit, si in morbum letale incidat tenetur ne Viaticum sumere?

R. Qui paucis ante diebus communicaverit Viaticum sumere tenetur, ut probabilius docent Th., quia praecepto divino nondum satisfecit. At sententia contraria communior est et satis probabilis, saltem si periculum mortis naturaliter accidat [1].

Qui vero mane tantum communicaverit, et in die repentino morbo correptus sit, an adhuc teneatur, duo adsunt sententiae: *Prima* affirmat, ad adimplendum praeceptum divinum. *Secunda* dicit non teneri, sed posse communicare.

At S. Alph. cum Lugo distinguit inter grave morbum violentum *extrinsecum*, v. g. vulnus, et morbum violentum *intrinsecum*, v. g. apoplexiam: et in primo casu teneri affirmat, quia quando mane communicavit nondum aderat periculum mortis, unde praecepto divino satisfacere nequivit; e contra non teneri in secundo casu, quia periculum jam aderat licet occultum. Nunc vero quaestio finita, est, Codex enim I. C. sic habet: Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denue communicent. **Can. 864.** § 2.

323. — *Q.* Infirmus qui Viaticum recepit, potest ne aliis vicibus Communionem recipere non jejunus?

R. Affirmative. Quodnam vero temporis spatium, durante eadem infirmitate, praecise elabi debeat inter ipsas Communiones, non conveniunt Th., communius censent octo circiter dies. Sed aliqui probabiliter dicunt quod infirmas omnibus diebus Viaticum suscipere potest [2], saltem, ut dici Laymann, si prius assuetus erat saepius communicare. Ceterum Codex I. C. sic habet: Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confesrarii confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari licet et decet. **Can. 864.** § 3 [3].

324. — *Q.* Quid agendum a Sacerdote, si, Eucharistiam infirmo deferens ejusque confessionem excipiens, ipsum indispositum invenerit?

R. Sacerdos omni diligentia curet ut poenitentem disponat. Quod si ipsum disponere nequit, v. g. si poenitens nolit occasionem proximam peccati abrumpere, vel si restitutionem gravem et certe debitam non promittat, tunc illum absolvere nequit. Quoad Communionem vero, curet ut ipse poenitens publice declaret se Eucharistiam adhuc recipere nolle. Quod si hanc declarationem emittere nolit, et tamen se communicare velit, Communionem illi, licet indisposito, dare tenetur ad servandum confessionis sigillum.

325. — *Q.* Viaticum a quonam est deferendum?

[1] S. Alph., L. VI, 285.

[2] Multorum sententia est quam non improbat S. Alph, nec ullus negat alicujus nominis Theologus. *D' Annibale*, III, 411 (39).

[3] *Frassinetti*, n. 357; *Lehmkuhl*, II, 161; S. Alph., L. VI, 285; *D'Annibale*, III, 411 (39).

R. Sacram communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam Can. 848, salvo praescripto can. 397 n. 3. et can. 514. **Can. 850.**

Ius et officium sacram communionem publice ad infirmos etiam non parochianos extra ecclesiam deferendi pertinet ad parochum intra suum territorium. **Can. 848.** §. 1.

Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii. **Can. 848.** § 2.

Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat. **Can. 847.**

Comunionem privatam ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia SS.i Sacramenti commissa est. **Can. 849.**

Quando privatim sacra communio infirmis ministratur, reverentiae ac decentiae tanto sacramento debitae sedulo consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis. **Can. 849.**

In omni religione clericali ius et officium est Superioris Viaticum et extremam Unctionem ministrandi. **Can. 514.**

325.—*Q.* Viaticum quomodo est deferendum?

R. Viaticum maxima qua fieri potest decentia deferri debet, ut praescribit Rit. Rom., de Communione infirmorum: quae Rubricae non solum sunt directivae, sed praeceptivae, unde seclusa urgenti necessitate, sine culpa omitti nequeunt. Trid. autem anath. dixit in eos qui hoc licere negant: *Si quis dixerit... non licere ut Eucharistia ad infirmos honorifice deferatur; anath. sit.*

Parochus igitur: — 1. Fideles signo campanae ad ecclesiam convocet ut Viaticum devote comitentur. Ipse vero veste talari indutus et superpelliceo et stola albi coloris, capite detecto, et sub umbella incedens, Viaticum velo coopertum deferat ante pectus, praecedentibus fidelibus cum luminibus, et psalmum *Miserere* alternatim recitantibus [1].

2. Viaticum deferendo non debet nimis festinanter incedere, nisi adsit periculum quo infirmus sine Viatico decedat, quo in casu probabiliter non solum festinare, sed etiam currere aliquantulum potest; secluso tamen scandalo.

3. Si absque notabili incommodo nequeat iter agere nudo capite, ex Indulto Apostolico, caput parvo vel majore bireto cooperire licet, quod Indultum facile conceditur tempestatis vel infirmitatis causa; quare, urgente necessitate, illud etiam praesumi potest. Et potest etiam Episcopus dispensare in particularibus casibus ut Parochus Viaticum deferat cum pileolo in capite (non tamen intra civitatem vel oppidum), si longum iter per villas et pagos esset faciendum, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente.

4. Potest etiam Viaticum, ob viarum asperitatem vel ob locorum distantiam, de arbitrio et prudenti licet, adeo ut, communione peracta, infirmoque manu benedicto, Sacerdos omnino private redeat.

[1] Si noctu deferenda sit communio, aut longum et difficilius esset obeundum iter, unam tantum particulam deferre

dentia Episcopi, deferre equitando vel in curru, modo omne periculum praecaveatur alicujus irreverentiae in Sacramentum [1].

5. Viaticum deferre non debet nocturno tempore, nisi necessitas urgeat. Nec occulte et sine caeremoniis, nisi gravis et rationabilis causa aliter suadet, uti v. g. si Viaticum deferendum esset in locis infidelium vel haereticorum a quibus prudenter violentia aut aliud grave malum timeretur, vel si deferendum esset fideli in magno periculo mortis, et impii parentes administrationi Viatici absolute se opponant; in hisce enim circumstantiis Parochus potest ipsum occulte deferre. Expedit tamen, ut prius, si tempus ferat, licentiam ab Episcopo petat. In hisce tamen casibus Sacerdos semper stolam habeat coopertam vestibus, pyxidem recondat in bursa, quam funiculis collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uni saltem fideli in defectu clerici associetur. Sic Bened. XIV in Constit *Inter omnigenas*, quod confirmavit Pius IX, 25 febr. 1853.

6. Casu autem quo infirmus magna animi tristitia Viaticum sit suscepturus, Sacerdos probabiliter omittere potest verba: *Accipe Viaticum*, etc., et substituere formulam communem: *Corpus N. D.* etc., nam praeceptum proferendi illa verba levem tantum obligationem inducit, a qua bene excusare potest quaelibet justa causa, qualis esset nimia infirmi perturbatio [2].

7. Demum si infirmus post susceptam hostiam ipsam deglutire nequeat, vel statim ac sumpserit evomat, tunc Sacerdos eam colligat, et in vase decenti repositam ad ecclesiam deferat, ibique in loco satis clauso et tuto reservet, donec corrumpatur, et tunc in sacrarium seu piscinam deponat. Quod si sacrae species discerni nequeunt inter ea quae aegrotus vomitu emisit, Sacerdos haec colligat stupis, quas postea comburat, et cineres in sacrarium projiciat, si fieri potest, secus saltem in ignem [3].

ART. II.

De dispositionibus ad Eucharistiam suscipiendam requisitis.

§ 1°

De Dispositionibus animae.

326. — *Q.* Quaenam dispositiones *ex parte animae* requiruntur in subjecto ad Eucharistiam digne suscipiendam?

R. Ex parte animae duae requiruntur: 1° Status gratiae seu immunitas ab omni mortali; 2° immunitas ab omni censura quae Sacramenti susceptionem impediat [4]. (Recole dicta v. I, n. 298).

[1] S. R. C. 23 maj. 1846, n. 2908.
[2] S. Alph., Hom. Ap. T. XV, 50.
[3] *Gousset*, II, 132. Vid. Rubr. Miss, *de defect.*, tit. X, n. 14.
Quaesitum fuit an possit SS. Eucharistia *notorie* censuris innodatis ministrari, quia prius fuerint, ut par est, cum Ecclesia reconciliati? — S. Poenit. respondit: *Negative*, 10 dec. 1860.

Quod si quis censuris innodatus sit sed non notorie, nec confessarius facile adiri possit, tunc si non celebrando, vel non communicando, adsit periculum scandali vel infamiae, bene celebrare vel communicare potest, quia lex humana cessat quoties gravior lex urget. S. Alph., L. VI, 265, q. 3; *D' Annibale*, III, 275.

327. — *Q.* Qui conscius est mortalis tenetur ne confiteri ante Communionem ?

R. Qui conscius est peccati mortalis certe tenetur confiteri ante Communionem, et quidem communius et probabilius ex praecepto divino ; dicit enim Paulus : *Probet se ipsum homo* [1] ; certe vero ex praecepto ecclesiastico. Trid. enim statuit ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat, modo non desit copia confessarii ; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur. *Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat* [2].

Hoc Trid. decretum duo includit :

1. *Praeceptum confessionis* sacramentalis. Ut autem quis sine sacramentali confessione celebrare vel communicare possit, duae conditiones simul requiruntur : 1° ut adsit *gravis causa* celebrandi vel communicandi, v. g. si ex officio celebrare debeat ut populus missam audiat die festo. Item causa integrandi sacrificium, vel causa vitandi grave scandalum, vel grave damnum in vita aut in fama, vel etiam, ut aliqui volunt, causa Viaticum infirmo deferendi ; 2° ut desit *copia confessarii*. Censetur vero deesse copia confessarii si iste haberi nequit nisi cum gravi incommodo quod ex variis circumstantiis personae, loci, et temporis metiendum est. *Item* censetur deesse si adsit quidem, sed confessionem audire nolit, vel non possit quia surdus, suspensus. *Item* si ex peccati confessione grave damnum immineat confessario vel poenitenti ; quo in casu si poenitens hoc solum peccatum mortale habeat, confiteri non tenetur ; si vero aliis gravetur peccatis, haec confiteri debet, omisso solo peccato ex quo grave veretur damnum. Unde excusat grave incommodum confessioni extrinsecum, non vero intrinsecum, uti deficientia confessarii soliti, vel gravis erubescentia confessioni peccati adnexa. — Si igitur adsint duae praedictae conditiones, nempe gravis causa celebrandi vel communicandi, et deficientia confessarii, tunc potest et sacerdos celebrare et laicus communicare, praemisso tamen actu perfectae contritionis ad se constituendum in statu gratiae, de quo si probabiliter dubitent abstinere debent [3].

2. *Onus*, quoad Sacerdotem qui urgente necessitate confessionem omisit, *confitendi quamprimum.*

Th. tamen communiter asserunt illud *quamprimum* esse moraliter intelligendum, ac proinde includere aliquod temporis spatium, quod tamen, communius et probabilius non est extendendum ultra spatium trium dierum. Quare sacerdos, qui in casu necessitatis, et deficiente quolibet confessario, sine praemissa sacramentali confessione celebravit, si secundo vel tertio die non amplius celebrat, potest ad tertium diem, sed non ultra, confessionem differre. Quod si postero die eadem necessitas celebrandi urgeret, et illa die sacer.

[1] Idest purget se ipsum confessione sacramentali. *D'Annibale*, III, 275 (1).

[2] Sess. XIII, cap. VII, can. XI.

[3] Cf. Gènicot, II, 193.

dos copiam confessarii haberet, tunc certe ad confitendum teneretur ante novam celebrationem. Propos. vero quae asserit quod onus confitendi *quamprimum* est solum *consilium* et non praeceptum; vel quod illa particula *quamprimum* intelligitur quando sacerdos suo tempore confitebitur, damnata fuit ab Alex. VII, sub. n. 39.

Ad hoc autem praeceptum confitendi quamprimum non tenetur: 1° Qui dubitat an peccaverit vel an graviter, quia hoc praeceptum obligat tantum eos qui certo conscii sunt peccati mortalis; 2° nec probabilius tenetur qui, praemissa confessione inculpabiliter oblitus sit alicujus peccati gravis quia iste jam adimplevit praeceptum Ecclesiae confitendi, et peccatum oblitum jam est remissum, licet indirecte, unde sufficit ut postea illud clavibus submittat; 3° nec, communius, tenetur qui sacrilege celebrat vel quia non habet necessitatem celebrandi, vel si in necessitate, habet copiam confessarii; - ratio, quia hoc Trid. praeceptum ordinatum est ad metum incutiendum iis qui praetextu necessitatis differunt confessionem, non autem sacrilege celebrantibus, quibus praeceptum hoc valde raro esset profuturum; illi enim qui, contempto praecepto divino, audent in peccato scienter celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent praeceptum. Qui vero urgente necessitate et deficiente copia Confessarii sacrilege celebrat defectu contritionis, utique tenetur quamprimum confiteri [1].

328. — *Q.* Qui ad Communionem accedit cum peccato veniali peccat ne?

R. Disting. Si peccatum veniale afficit ipsam Communionem, ut si quis accedit ob vanam gloriam vel ob alium finem venialiter malum, aut cum voluntaria distractione, vel proferendo verba otiosa, et similia, tunc Th. communius dicunt quod peccat venialiter; esset enim positiva Sacramento injuria.

Si vero peccatum veniale non afficit Communionem, sed ipsam solum concomitatur, ut si quis accedat cum veniali habituali, vel accedat cum affectu virtuali aut etiam actuali ad aliquod leve peccatum, v. g. ad leve mendacium, an iste, sic accedendo, peccet venialiter, disputant Th.; multi negant, quia haec culpa venialis est potius defectus perfectae reverentiae quam positiva irreverentia. — Ceterum Th. communiter docent quod peccatum veniale etiam actuale non impedit fructum principalem Eucharistiae, nempe augmentum gratiae sanctificantis, quia veniale non est obex infusioni gratiae [2]. Impedit tamen aliquos fructus, puta fervorem caritatis et majorem profectum in virtutibus: hinc est cur plures sint qui fere quotidie communicant et tamen non proficiunt.

329. — *Q.* Quaenam dispositiones requiruntur ad frequenter vel quotidie suscipiendam S. Communionem?

R. Super hoc valde disputatum est a Th., qui hucusque pro sua quisque sententia certas regulas pro majori vel minori frequentia assignabant. Nunc vero controversia authentice resoluta est a S. C. Concilii, quae generali decreto *Sacra Tridentina Synodus*, sub die

[1] S. Alph., L. VI, 266, quaer. 5.

[2] S. Alph., L. VI, 270.

20 Decembris 1905, a SS. D. N. Pio Pp. X confirmato, sequentia praesertim declaravit ac statuit:

1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2. Recta autem mens in eo est, ut qui ad S. Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, Ei arctius coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus eorumque affectu sensim se expediant.

4. Ut frequens et quotidiana Communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, opertet ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

5. Denique, ad ulteriores controversias vitandas, E.mi Patres praecipiunt ut, post promulgatum hoc Decretum, omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant.

§ 2°

De dispositionibus corporis.

330. — *Q.* Quaenam dispositiones requiruntur *ex parte corporis?*

R. Dispositiones ex parte corporis ad quatuor reducuntur: immunitas a quibusdam defectibus; puritas carnis; exterior devotio; et jejunium.

1. *Immunitas ab iis defectibus qui aliquod inconveniens gignere possunt*, uti esset, v. g., vomitus, tussis adeo assidua ut particula in stomachum descendere nequeat [1], etc., et existente hac corporis indispositione, etiam urgente mortis periculo, Eucharistia non erit administranda; conveniens vero est ut a vomitu liber sit saltem a sex horis [2]. — *In praxi* autem conveniens est experientiam sumere, dando ei particulam non con-

[1] *Adeo assidua*, etc., nam alias dari potest quamvis tussiendo phlegmata egerat, quippe non ex aesophago (quae est via cibi et potus) sed ex aspera arteria (quae via respirationis est) ejiciuntur. *D'Annibale*, III, 396 (12).

[2] S. Alph., L. VI, 292; *Gury*, II, 320. Utique conveniens est ut quis a vomitu liber sit a sex horis; at exciperem casum quo periculum mortis imminens sit, et aliunde adsit vera probabilitas quod infirmus viaticum accipere possit sine periculo irreverentiae ratione vomitus. Quidam doctus aeque ac expertus Parochus mihi testatus est quod saeviente in Paroecia sua morbo asiatico, vulgo *cholèra*, parochianos suos graviter infirmos moraliter omnes, hora opportuna investigata, SS. Viatico munivit, et si sex horas a cessatione vomitus expectare debuisset, ne uni quidem ex illis Viaticum deferre potuisset.

secratam, quam si retinet, particula consecrata ei dari potest. Et idem faciendum in casu delirii, ad securitatem an infirmus possit cum decentia suscipere Sacramentum [1].

2. *Puritas carnis.* Porro nullum corporis inquinamentum *per se* impedit Communionem; potest tamen aliquando *per accidens* propter effectus ex illo resultantes Communionem impedire, sive de consilio sive de praecepto. Hinc:

Quoad *pollutionem*, si haec involuntaria fuit, communius et rectius Th. dicunt a Communione non arcere, quia externa corporis macula per se ad moralem honestatem non pertinet. Quod si pollutio involuntaria animi pertubationem relinquat, vel si pollutio voluntaria fuit, etsi per confessionem expiata sit, tunc aliqui dicunt esse veniale post ipsam pollutionem communicare, excepto quod communicans conetur quantum in se est eam repellere ut devote accedat, vel quod aliqua justa causa necessitatis aut devotionis, v. g. magnae solemnitatis vel indulgentiae plenariae, aliter expostulet [2].

Quoad *actum conjugalem*, Th. dicunt quod communicare post actum conjugalem causa honesta habitum, v. g. causa vitandae incontinentiae, vel generandae prolis, nullum est peccatum; veniale vero esset communicare post talem actum sola causa voluptatis habitum, nisi aliqua justa causa, ut nuper diximus, aliud postulet. — Mulier vero, quae marito obedit et debitum reddit, potest sine ullo peccato eo ipso die communicare; - ratio, quia, cum redditio debiti sit actus virtutis, non est cur quemvis a Communione impe-

[1] Circa vomitum haec notanda sunt: 1° Ut communio ministrari possit, oportet ut absit nedum certitudo, sed etiam periculum, ne vomitus intra unam vel alteram horam post Communionem sequatur. Dixi *intra unam vel alteram horam*, nam non raro contigit (ut notat Ballerini n. 273) quod post semihoram aut etiam horam sacrae species in frustulis redditae fuerint. 2° Si infirmus vomitui subjiciatur, eo quoque cessante, cautissime procedendum erit antequam Viaticum ei ministretur; et regula suprema erit ut medicus interrogetur an praedictum periculum adsit, necne. 3° Theologi dant regulam observandi an infirmus sex horis sine vomitu remanserit, et probandi an particulam non consecratam retineat. At vero interdum hoc non sufficit, interdum e contra tamdiu expectare non oportet. Casus, in quibus tamdiu expectare non oportet, sunt: Si agatur de vomitu qui *matutinus* appellatur, quo nempe interdum laborant foeminae gravidae in primis tribus vel quatuor mensibus, et qui chronico stomachi catarrho (ut plurimum propter diuturnum liquorum abusum) afficiuntur. Hujusmodi vomitus enim, postquam mane acciderit, non iteratur. Si vomitus erat frequentissimus (prout in cholèra), et postea (etsi infirmus pluries cibum et potum sumpserit) totaliter cessaverit. Casus e contra, in quibus periculum vomitus perdurat etsi infirmus jam inde a sex horis non evomuerit, sunt quando ad intervalla inaequalia et non brevia redire soleat; prout accidit, v. g., in hernia incarcerata, in inflammationibus ventris, in morbis renum, et in violationibus cerebri. Tunc ad minus duodecim horis expectandum est. 4° Si autem, sive ex consilio medici, sive ex sufficienti probatione, de Viatico administrando deliberatum fuerit, ad majorem securitatem deservire poterint cautelae sequentes: Non solum particula non consecrata sed etiam aliquantulum aquae vel cibi infirmo praebeatur, observando utrum aliqua ad evomendum dispositio in eo appareat; Communione sumpta, paullulum glaciei vel haustus aquae *frigidae* infirmo praebeatur, et postea aliquo tempore sine aliis cibis vel potionibus quietissimus relinquatur. *Berardi*, de Parocho, 251.

[2] S. Alph., L. VI, 272. — Vid. etiam *Gènicot*, II, 203.

diat. Quod si ex debiti redditione mulier patitur mentis evagationem, si ipsa non conetur eam repellere, veniale erit. — Die autem qua conjux jam communicavit, nullum est peccatum debitum reddere; petere vero, nulla existente causa, juxta plures esset veniale, sed juxta alios nec veniale, quia abstinentia a petendo est tantum consilii, non obligationis [1].

Communissima autem sententia est quod menstrua, fluxus sanguinis, fistula, etc., Communionem non impediant. — Quod si Sacerdos lepra foedatus est, vel alio morbo laborat qui horrorem afferat, tunc non in publico, sed in secreto celebrare potest [2].

3. *Devotio exterior* sita in modestia ac pia totius corporis compositione: quo fit ut praetereunda esset mulier quae manifeste indecenter ornata ad Eucharistiam accederet [3].

Sacerdotes more laicorum communicantes vult Rituale ut cotta sint induti et stola, quae, ex S. R. C., potest esse coloris albi, vel ejusdem coloris ac stola Sacerdotis qui ministrat, haec tamen omittere communiter est veniale tantum; imo juxta plures ne veniale quidem, si non est Communio solemnis, v. g. in Coena D.. Alii clerici cum cotta communicent; si tamen sint diaconi super cottam stolam transversam habeant [4]. Clerus in Presbyterio communicat: extra populus [5].

4. *Jejunium* naturale ab Ecclesia multiplici de causa indictum et tam rigorose, ut neque ex parte cibi et potus, neque ex parte

[1] S. Alph., L. VI, 274. — Vid. etiam Génicot, II, 204.

[2] S. Alph., L. VI, 275.

[3] Circa devotionem exteriorem, Parochi et Confessarii non desint mulieres opportune exhortari ut habitu modesto et capite velato ad S. Communionem accedant. Praeceptum S. Pauli de hac re omnibus notum est.

Attamen hoc quod in paroeciis ruralibus facile obtineri potest, aliquando difficillime obtineri potest in paroeciis magnarum urbium. In hisce civitatibus interdum accidit quod quaedam piae mulieres maritum irreligiosum habent, et quaedam puellae patrem aut fratres impios et incredulos. Hi, si scirent aut suspicarentur uxorem, aut filiam, aut sororem Ecclesiam petere ad Sacramenta recipienda, in blasphemias et contemptus contra res sacras prorumperent, et forsitan etiam in saevitias contra piam mulierem, aut filiam, aut sororem. Quid igitur piae illae mulieres faciunt? Ad haec omnia gravissima incommoda vitanda, sub praetextu vel amicam visitandi, vel aliud negotium agendi, e domo exeunt, habitu quidem modesto ornatae, sed absque velo, aut alio signo exteriori religioso, sicque hac industria, aliis nescientibus, nihilque suspicantibus, ad Sacramenta accedere possunt. At vero si quis ab hisce piis feminis velum aut quid simile exigeret ut ad sacramenta accedere possint, quis non videt hunc rigorosum exactorem inhumanum esse erga illas, imo injustum?

Ceterum, Sacramenta iis qui publice petunt denegari non possunt nisi publice indigni sint, uti, v. g., mulier quae ad sacram mensam habitu evidenter immodesto accederet.

Casu autem quo accedat mulier habitu dubie immodesto privatim et suaviter, ante Communionem si fieri potest, secus saltem postea, admonenda est ut sive in signum devotionis erga SS. Sacramentum, sive ad scandalum vitandum, habitu modestiori in posterum ad Sacramenta accedat. Quod si prudentia postulet ut Parochus hanc monitionem personaliter non faciat, curet ut fiat ab alia persona pia et prudenti. Et si neque hoc fieri potest, Parochus contentus erit publice ex pulpito mulieres et puellas exhortari ut semper habitu modesto ad Sacramenta accedant.

[4] S. R. C., 4 jul. 1879, n. 3499.

[5] Congruit ut milites, depositis armis, ad sacram mensam accedant; nulla tamen lege ad hoc obligantur. *Aertnys*, L. VI, 100.

temporis materiae parvitatem admittat [1].

Praeceptum jejunii initium sumit a media nocte, ita ut qui post primum ictum cibum deglutiret, in plurimorum sententia, amplius communicare non posset, cum hora in primo ictu compleatur. Cuique autem liberum est in hoc sequi vel tempus *verum*, quod indicat horologium solare, vel tempus *medium*, quod signant horologia tempori medio accomodata. (S. Poenit. 29 nov. 1882).

Quod si horologia sint inter se dissonantia, ultimum sequi potest, modo ex illis non sit quae ut plurimum errant. — In dubio vero an aliquid deglutierit a media nocte, vel an media nox transacta fuerit cum quis cibum deglutivit, tenetur juxta multos se a Communione abstinere; sed alii non pauci Communionem concedunt huic innixi principio, quod lex a Communione solum arcet non jejunos, quod in nostro casu non constat [2].

331. — *Q.* Quaenam requiruntur ad jejunium frangendum?

R. Haec tria requiruntur:

1. Ut quod sumitur sit *digestibile*. Hinc, ait S. Alph. cum communiori sententia, capilli, metallum, crystallum, nucleos fructuum, ungues, fila serica vel lanea jejunium non frangunt, quia non habent rationem cibi.

2. Ut sumatur *ab extrinseco*. Hinc jejunium non frangeret qui etiam advertenter deglutiret sanguinem intus defluentem ex capite, vel ex gingivis, ; secus si ex digito vel si lacrymas ex oculis decidentes deglutiret ; nec qui reliquias cibi pridie sumpti remanentes in ore inadvertenter deglutiret, imo probabiliter juxta plures etiamsi deglutiret advertenter, quia juxta ipsos haec trajectio non haberet rationem cibi.

3. Ut sumatur *per modum cibi vel potus*. Ut autem quis per modum salivae, et non per modum cibi, vel potus, deglutisse aliquid videatur, necesse est ut hoc sit *aliquid minimum*, nec *sciens et volens* trajecerit ; ut esset si coquus degustaverit aliquid jusculi, quamvis data opera degustaverit, modo non trajecerit ; sic nec jejunium violaret qui, v. g., pluviam per transpirationem in pectus attraheret ; nec si aquae guttula inter lavandum in os deciderit ; nec qui folium nicosiani (tabachum) dentibus terit, etiamsi modicum succi, salivae inseparabiliter admixti, deglutiret praeter intentionem [3]. Omnes tamen conveniunt hanc rem esse indecentem ante Communionem, unde S. Alph. vult eam non excusari a culpa veniali, nisi aliqua causa subsit [4]. — Ceterum, quamquam nulla nimia reverentia in susceptione tanti Sacramenti, o m n e s tamen conveniunt cum S. Alph. non esse in hisce scrupulose agendum.

332. — *Q.* Quaenam causae a jejunio excusant?

[1] Sale a Cathecumenis in susceptione Baptismi praegustato, etsi jejunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est quin illi ad Sacram Communionem, suscepto Baptismate, admitti possint, imo et debeant. Ita omnino Ecclesia, in cujus potestate est a generali lege jejunii Eucharistici, ab ipsamet iis inducta qui extra mortis periculum sacram Communionem recipere cupiunt, in particularibus casibus dispensare, in Rit. Rom. praescribente, ubi ritum tradit quo Baptismus adultis conferendus est. S. C. de P. F., 13 feb. 1806.

[2] S Alph., Hom. Ap. T. XV. 35.

[3] *Gury*, II, 330; *D'Annibale*, III, 410 (32).

[4] S. Alph., L. VI, 280.

R. Causae a jejunio excusantes sunt, ex parte *Sacramenti :* 1° necessitas perficiendi seu consummandi sacrificium ; v. g. si sacerdos post consecrationem deficiat, neque inveniatur alius jejunus ; 2° periculum ne Eucharistia pereat, v. g. incendio, inundatione, aut male tractetur.

Ex parte *communicantis:* 1° necessitas sumendi Viaticum: 2° periculum gravis scandali, infamiae, mortis, aut alius damni orituri ex omissione celebrandi vel communicandi; in hisce enim casibus praeceptum naturale aut divinum praevalet praecepto ecclesiastico.

Praeter has causas quae *per se* a lege jejunii excusant, potest aliquis dispensari per indultum S. Pontificis, quod hodie facilius conceditur, aliquid sumendi per modum potus [1].

333. — *Q.* Potestne Sacerdos non jejunus celebrare ad Viaticum ministrandum ?

R Disput. Th.. Quidam affirmant, quia lex divina Viatici potior est. Plures negant, quia haec lex solum morientem, cum ipse potest, obligat. S. Alph. primam sententiam probabilem putat, secundam p r o b a b i l i o r e m. At Cl. D'Annibale ait: si lateat Sacerdotem non esse jejunum, priorem sententiam tuto sequi posse reor; secus, propter scandalum, alteram omnino sequendam puto [2].

334. — *Q.* Licet ne Eucharistiam dare infirmo non jejuno, nec in periculo mortis constituto ?

R. — 1. Si morbus non est diuturnus certe non licet.

2. Si vero morbus est diuturnus, et infirmus jejunus manere non potest, olim varie disputabant Th.. Nunc vero ad fovendam pietatem erga SS. Eucharistiam Pius X « benigne concessit, ut infirmi, qui jam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de Confessarii consilio SS. Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS. Eucharistia asservatur aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico ; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint »[3]. — Nomine vero infirmorum qui *a mense decumbunt* intelligi debent etiam illi qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici judicio naturale jejunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt. Ita declaravit eadem S. C. Concilii diei 6 Martii 1907.

3. Quando vero agitur de satisfaciendo praecepto Paschali, plures Th. valde probabiliter docent licere infirmo, qui jejunium non potest servare, Eucharistiam suscipere sive in lecto decumbat sive non, vel etiam si potest ad Ecclesiam se conferre [4] ; ratio quia hoc praeceptum communicandi saltem semel in anno est ex jure divino, unde praevalet praecepto ec-

[1] Cf. Decr. S. C. S. Off. 4 jun. 1893, et 7 sept. 1897. *Génicot*, II, 202.

[2] *D' Annibale*, III, 411.

[3] S. C. Conc. die 7 decemb. 1906 — Verba autem *per modum potus* ita sunt intelligenda ut liceat sumere quidquid liquidum, uti lac, cafaeum, jusculum etc., etiamsi alia substantia admixta sit, e. g. farina (*semolino*), panis rasus (*pan grattato*) ovum dilutum (*torlo d' uovo disciolto*) etc.; dummodo mixtio non auferat naturam cibi liquidi. (Cf. Monitore ecclesiastico, V. 18, p. 493).

[4] Vide *Monitore Eccl.*, V. 19, p. 224.

clesiastico de jejunio servando [1]. Et haec opinio suum fundamentum habere videtur in Rit. Rom. quod *de Communione infirmorum* haec habet : « Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum » ; quanam vero alia ratione apposuit verba illa *ob devotionem,* nisi ut excipiantur illi qui ad satisfaciendum praecepto paschali communicari debent ?

4. An vero praeter casum satisfaciendi praecepto paschali, liceat ex sola devotione interdum intra annum huic infirmo non jejuno dare Communionem, en quomodo loquitur Cl. Berardi qui hac in re suam primam mutavit sententiam [2]. Ego (re ista nunc maturius perpensa) dicerem respondendum esse : *Negative*, quia 1° Theologi omnes tam antiqui, quam recentiores (uno excepto Elbel [3]) sunt *in contrarium;* 2° si homo suis pedibus ad ecclesiam se conferre posset, admiratio et scandalum suscitaretur si resciretur eum non jejunum communicare, et ille ipse de re ista quietus esse nequiret, nimis enim communi sensui repugnat ; 3° admissa hujusmodi liceitate, fractiones jejunii ante Communionem in praxim deduci inciperent, et sic contra legem istam adeo rigorose hucusque servatam abusibus janua aperiretur : 4° si autem talis infirmus in lecto decumbat provideri poterit juxta recentem concessionem, ut superius dictum est.

Igitur in hoc casu, concludit Ballerini [4], talis infirmus facultatem a S. Sede petat communicandi non jejunus, quae facultas, justis existentibus causis aut meritis, non aegre conceditur cum quibusdam limitationibus, v. g. bis vel ter in mense, aut etiam in hebdomada.

Scholion. — 1. *De gratiarum actione post Communionem.* — Rituale Rom. quoad fideles communicantes sic habet : *Moneantur..... communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab ecclesia discedant, aut colloquantur, nec statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant : sed qua par est devotione, aliquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur.* — Luget autem S. Alph. quod pauci sint directores qui sedulo suis poenitentibus inculcant ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant, quia paucissimi sunt Sacerdotes qui post missae Sacrificium cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant ; et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt [5].

2. *De Communione spirituali.* — Communio spiritualis est *pium de-*

[1] *D' Annibale,* III, p. 411.

[2] *Berardi,* Praxis: n. 4271.

[3] Elbel (de Euch. n. 90) fingit casum huic similem, scilicet de sene adversa semper valetudine affecto, qui tum ob stomachi debilitatem, tum ob distantiam loci, nunquam possit Ecclesiam adire jejunus quin deficiat in via ; huic autem Communionem concedit, et pro hac sententia Bonacina, Busembaum aliosque citat, sed male ; in his enim auctoribus de hoc casu nihil reperitur, bene vero in locis ab eo citatis de Viatici repetitione loquuntur. *Berardi,* Ib.

[4] Op. Th. mor., vol. IV, Tr. X, 175.

[5] Append. I, 36 ; Praxis, 146.

siderium Communionem suscipiendi, cum realiter suscipi nequit.—Hinc ad eam requiritur : 1° Actus *fidei et amoris,* quo spiritualiter communicans Christum vere in Eucharistia praesentem sibi exhibeat devoteque veneretur ; 2° actus *desiderii,* quo exoptet Christum in Sacramento accipere, Eumque invitet ut in suam animam veniat, et quasi jam venerit gratias Ei agat : quae omnia breviter et fere in instanti fieri possunt.

Haec Communio spiritualis commendatur a Conc. Trid. et animabus valde est suadenda. Haec enim omni loco et tempore sive die, sive nocte, sive mane, sive sero fieri potest ; tempus tamen opportunius est ipsius Missae tempus, dum Sacerdos se ipsum communicat [1].

[1] Ad frequentiam SS. Eucharistiae promovendam valde praestat verbo et exemplo fovere apud fideles quotidianam ejus visitationem, quae juxta S. Alph. fons est omnium bonorum mediumque validissimum ad spiritualem profectum, et tot indulgentiis ditata est. Dixi *verbo* et *exemplo*, probrosum enim est ut animarum pastor, qui vix uno vel altero passu distat ab ecclesia, per integrum diem Christum in templo praesentem solum deserat.

PARS II.

DE SS. EUCHARISTIA UTI SACRIFICIO

Quatuor capitibus haec dissertatio continetur, quorum: 1. *de Sacrificii Missae natura et effectibus disserit;* 2. *de Ministro Sacrificii Missae ejusque celebrandi obligatione, et de Missae applicatione, ac subjecto;* 3. *de tempore et loco celebrationis;* 4. *de modo celebrandi.* — *Accedit Appendix de Ecclesiae consecratione et pollutione.*

CAPUT I.

De Sacrificii Missae natura et effectibus.

ART. I.

De Sacrificii Missae natura.

335. — *Q.* Quid est Sacrificium?

R. Sacrificium, a *sacrum facere*, duplici sensu accipi potest: Sensu *lato et improprio* et est omnis actio bona quae ad gloriam Dei refertur, juxta illud Psalmistae: *Immola Deo sacrificium laudis;* et: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* — Sensu *stricto et proprio* communiter definitur: *Oblatio rei sensibilis, per legitimum ministrum soli Deo facta, cum aliqua destructione vel immutatione ejusdem rei, ad testandum supremum dominium Dei in omnes creaturas.* Dicitur 1° *oblatio,* seu doni praesentatio, quae vox locum tenet generis, quia in hoc Sacrificium convenit cum aliis oblationibus primitiarum, decimarum, etc. Dicitur 2° *rei sensibilis,* ut distinguatur a Sacrificio late accepto contriti cordis, laudum, etc. Dicitur 3° *per legitimum ministrum,* quia Sacrificium est cultus publicus et in religione praestantissimus, unde requirit personas specialiter deputatas. Dicitur 4° *soli Deo facta,* quia cum Sacrificium fiat ad testandum supremum dominium in omnes res, quod Deo soli competit, nonnisi Deo offerri potest. Dicitur demum 5° *cum aliqua destructione vel immutatione,* etc., quia Sacrificium cum sit cultus latriae in testimonium supremi Dei dominii, aequum est ut per rei oblatae destructionem vel immutationem indicetur quod Deus sicut res creare ita et destruere potest.

336. — *Q.* Quomodo dividitur Sacrificium?

R. Sacrificium multiplici modo dividitur:

I. *Ratione sui,* et aliud est *absolutum,* quod in se completum est, nec ulla relatione ad aliud perfi-

citur; aliud *relativum,* seu commemorativum, aut figurativum, quod, ut perficiatur, ad aliud referri debet.

2. *Ratione materiae,* et aliud dicebatur *victima* seu *hostia,* cujus materia erant animalia; aliud *immolatio,* cujus materia desumebatur ex rebus solidis et inanimatis, ut fruges terrae; aliud *libamen,* cum liquida Deo offerebantur.

3. *Ratione modi,* et aliud dicebatur *holocaustum,* cum res oblata tota comburebatur; aliud *hostia pacifica,* cum nempe una pars comburebatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum offerentium; aliud *hostia pro peccato,* cum scilicet una pars in honorem Dei comburebatur, et alia cedebat in usum eorum Sacerdotum qui in atrio templi ea vescebantur; aliud *cruentum,* seu cum sanguinis effusione, aliud *incruentum,* seu absque sanguinis effusione.

4. Demum *ratione finis,* et dicitur *latreuticum* quando offertur ad recognoscendam summam Dei excellentiam ejusque dominium in omnes creaturas; *eucharisticum* quando offertur ad gratias Deo agendas pro receptis beneficiis; *impetratorium* si pro novis beneficiis impetrandis peragitur; denique *propitiatorium* si offertur pro peccatis delendis et poenis avertendis.

337. — *Q.* Missa[1] est ne verum Sacrificium?

R. Missa est verum et proprium Sacrificium[2]; de fide est: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anath. sit*[3].

Prob. I. *Ex S. Scriptura.* Omitto plura vaticinia V. T. quae tum Sacerdotium, tum Sacrificium N. T. apertissime praenuntiabant; tantum refero ipsam Eucharistiae institutionem. Christus in ultima coena verum et proprium Sacrificium Deo obtulit: nam per verba consecrationis sub specie panis et vini se constituit in statu victimae, seu in statu cibi et potus destinati ad consumptionem; in sumptione vero specierum vita sacramentalis Christi vere consumitur et destruitur, juxta illud Apostoli: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*[4]. Atqui illud ipsum, quod Christus in ultima coena fecit; jussit fieri ab Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo.

2. *Ex Traditione* constanti et universali Ecclesiae. Testes sunt,

[1] Missa, juxta opinionem communiter hodie receptam, a verbo *mittere* originem duxit, quia, ritu consummato, populus dimittebatur, publice dicendo: *Ite Missa est.* Duplex autem fiebat populi dimissio, una post Evangelium quando dimittebantur publici peccatores et catechumeni, altera in fine Sacrificii. Hinc mos invaluit ut totum Sacrificium *Missa* vocaretur, seu *missarum solemnia.*

[2] *Errores contra Missam.* — Ii omnes qui non admittunt praesentiam realem Christi in Eucharistia etiam veritatem sacrificii Missae negant. Lutherus in initio Sacrificium Missae non respuit, bene vero postea; et in suo libro *de Missa privata* scribere non erubuit *sibi a daemone suggestum ac persuasum fuisse Missae sacrificium abrogandum esse.* Henricus VIII totam liturgiam conservavit, paucis mutatis; sed sub Eduardo VI penitus immutata fuit, et anno 1549 generalia regni comitia declararunt Eucharistiam esse quidem Sacramentum, non vero Sacrificium.

[3] Trid., Sess. XXII, c. I.

[4] I. Cor. XI, 26.

—

ait Cl. Perrone, omnes libri liturgici universae Ecclesiae: testes sunt Patres uno ore Eucharistiam appellantes sanctum, incruentum, legitimum Sacrificium: testes sunt altaria omnia ubique terrarum erecta: testes sunt nomina Pontificum et Sacerdotum Episcopis et Presbyteris tributa: testes denique sunt luculentae confessiones ipsorum hostium Romanae Ecclesiae. Ergo.

3. *Rat. theol.* Missa est verum Sacrificium si in ipsa reperiuntur omnes conditiones ad verum Sacrificium requisitae. Atqui ita est, nam: 1° Adest *oblatio* Deo facta, Christus enim in Missa Deo Patri se offert; 2° haec oblatio est *sensibilis* per species consecratas; 3° adest *legitimus minister* seu ipse Christus principalis offerens et Sacerdos sacro charactere insignitus; 4° *soli Deo* offertur, non Sanctis: quod si missa aliquando celebratur in honorem B. M. V. vel alicujus Sancti, tamen non illis, sed soli Deo, qui illos glorificavit, offertur; 5° adest aliqua *destructio* vel *immutatio* victimae: Christus enim licet in se immutabilis sit, mutatur tamen quoad modum existendi, quia vi verborum corpus a sanguine separatur, et si simul adsunt, est tantum per concomitantiam, et aliunde ejus vita sacramentalis, consumptis vel destructis speciebus, etiam destruitur. Ergo [1].

338. — *Q.* Sacrificium missae est ne idem ac Sacrificium crucis?

R. Sacrificium missae quoad substantiam idem est ac Sacrificium crucis; ab eo tamen differt tum ratione offerendi, tum modo operandi.

1. *Ratione offerendi:* In cruce Christus oblatus est passibilis et mortalis; in missa offertur impassibilis et immortalis. — In cruce Christus seipsum obtulit, absque ullo alio secundario ministro; in missa sese offert ministerio Sacerdotum. — In cruce semel oblatus est; in missa quotidie offertur. — In cruce oblatio cruenta fuit; in missa incruenta. — In cruce mors realis fuit, hic mystica. — In cru-

[1] *Ob.* — 1. B. Paulus ad Hebr. VII, 23, de Sacerdotibus V. T. ait: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem (Christus) eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium:* nulli ergo sunt Sacerdotes; nullum proinde erit Sacrificium praeter illud sacrificium crucis.

R. B. Paulus in allato textu nihil aliud significare vult quam Sacerdotes N. T. non habere eamdem dignitatem quam habet Christus, et discrimen affert inter N. et V. T. Sacerdotes, et docet Sacerdotes V. T. habuisse successores in eadem dignitate, idcirco quod morte prohiberentur permanere: e contra Sacerdotes N. T. non successores Christi in ejus dignitate, sed tantum esse ejus ministros; unde in Sacrificio altaris Christus est semper ipse offerens seu sacerdos principalis, et idcirco quod maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium.

Quod si idem B. Paulus dixit quod Christus *non habet necessitatem quotidie... hostias offerre: hoc enim fecit semel se ipsum offerendo*, hoc de Sacrificio crucis dixit; docendo non esse amplius necessarium ut Christus quotidie cruentum crucis Sacrificium offerat, sicut quotidie cruentum sacrificium offerebant Sacerdotes V. T.; sufficere vero ut meritum Sacrificii crucis nobis quotidie per Sacrificium missae applicetur, ut fit.

Ob. 2. — SS. Patres Sacrificium altaris saepe appellant imaginem, commemorationem Sacrificii crucis; ergo non est verum Sacrificium.

R. SS. Patres Sacrificium altaris ita appellarunt quia est commemorativum seu repraesentativum Sacrificii crucis; at nunquam negarunt illud esse verum Sacrificium. Ergo.

ce Sacrificium Christi absolutum fuit; in missa est relativum, nempe ad Sacrificium crucis refertur, cujus est commemoratio et repraesentatio.

2. *Modo operandi :* Sacrificium crucis, utpote valoris infiniti, nostram redemptionem et sanctificationemt perfecte meruit; Missa vero nihil novi meretur, sed tantum crucis merita nobis applicat [1]. — Sacrificium crucis est nostrae salutis pretium; Missa est hujus pretii solutio in gratiam nostri facta.

Totam hanc doctrinam expressis verbis tradidit Trid., Sess. XXII, cap. 2 : « Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur » [2].

Est autem Missa Sacrificium non *absolutum*, sed *relativum* et *repraesentativum*, quippe quod ex sua institutione ordinem intrinsecum dicit ad Sacrificium crucis, cujus est viva et expressa imago ; nam Christus Sacrificium Corporis et Sanguinis sui ita instituit, ut vi verborum distinctim ponatur Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini. Porro haec distincta consecratio mirum in modum repraesentat separationem et effusionem Sanguinis in cruce factam, et quidem non in re aliena et in mera imagine, sed in ipso reali Corpore et Sanguine Christi. Unde duplex effusio Sanguinis Christi distinguenda est : una scilicet *realis*, qua sacrificium cruentum Christi consummatum est, alia *mystica*, quae fit cum idem Christus sub speciebus eucharisticis in statu victimae constituitur, et effusionem Sanguinis in cruce factam repraesentat.

339. — *Q.* In quo consistit essentia Sacrificii Eucharistiae ?

R. Praemitto : Tres sunt praecipuae Missae partes : *Oblatio* [3], qua sacrificium quasi praeparatur; *Consecratio*, qua victima ponitur et quasi mactatur ; *Consummatio*, seu Communio, qua sacrificium absolvitur : unde certum est nullam ex his partibus omitti posse absque immani sacrilegio.

In quanam vero parte proprie consistat essentia Sacrificii, quatuor adsunt sententiae. *Prima*, quae non videtur probabilis, dicit consistere in sola oblatione ; quia Sacrificium non est nisi oblatio. — *Secunda*, quae est parum probabilis, illam ponit in sola sumptione; quia in ea tantum habetur victi-

[1] Cf. *Aertnys*, L. VI, 107.

[2] Sacrificium missae idem est ac sacrificium *coenae* non solum substantialiter, ratione nempe victimae et principalis offerentis, sed etiam quoad modum immolationis; nam sicut in coena ita et in altari Christus incruente immolatur, et sub speciebus panis et vini delitescit. — Attamen ab invicem differunt in quibusdam circumstantiis accidentalibus: in coena enim Cristus offerebatur mortalis, in altari offertur immortalis; in coena se ipsum obtulit, in altari offertur sacerdotum ministerio ; in coena passio futura et proxima significabatur, in altari passio praeterita repraesentatur ; Sacrificium coenae non ad alterum sacrificium incruentum referebatur, Sacrificium vero missae, quamvis sit veritas respectu sacrificiorum antiquorum, est tamen vera imago et repraesentatio ipsius Sacrificii Coenae.

[3] Oblatio duplex est : una quae fit ante Consecrationem, et dicitur *Offertorium* ; alia quae fit post consecrationem et elevationem hostiae et calicis, dum dicitur : *Unde et memores*, etc. *offerimus praeclarae Majestati tuae*, etc. (Cf. *Billuart*, Dissert. 8, a. 2).

mae destructio, in qua quidem propria Sacrificii essentia sita est. — *Tertia*, quam tenet S. Alph. [1], et ei probabilior videtur, dicit consistere partialiter in consecra tione in qua ponitur victima, et partialiter in sumptione in qua victima consumitur.— *Quarta* vero quae est communior dicit consistere in sola consecratione utriusque speciei; quia cum essentia sacrificii posita sit in destructione hostiae, haec mystica destructio habetur in consecratione utriusque speciei seorsum facta, nam vi verborum habetur corporis et sanguinis separatio. Oblatio autem est solum praeparatio, et Communio, licet sit pars integralis, est solum consummatio hujus sacrificii.

340. — *Q.* Ad essentiam Sacrificii requiritur ne consecratio utriusque speciei?

R. Disput. Th.. *Prima* sententia negat, sive quia etiam per unam speciem totus Christus ponitur et Deo Patri offertur, sive quia mors Christi sola unius speciei consecratione sufficienter repraesentatur, cum vi verborum ponitur corpus sine sanguine, vel vicissim. *Secunda* sententia vero communior et probabilior affirmat, quia hoc Sacrificium essentialiter repraesentat Sacrificium crucis, ut docet Trid.. Jamvero si una tantum species consecraretur, etsi vi verborum poneretur corpus exangue aut e converso, vel etsi per sumptionem haberetur mutatio, tamen non exprimeretur sanguinis effusio, quod non fit nisi per utriusque speciei consecrationem, per quam proprie habetur mystica sanguinis et corporis separatio [2]. Praeterea essentia sacrificii in religione christiana pendet a positiva Dei voluntate: atqui Christus voluit, et instituit sacrificium sub distincta consecratione corporis et sanguinis sui, uti patet ex ipsius verbis et factis; ergo.

341. — *Q.* Sacrificium Missae differt ne a Sacramento Eucharistiae?

R. Licet Sacrificium Missae cum Eucharistiae Sacramento in hoc conveniat quod sit in genere signi sacri eamdemque habeat materiam et formam eundemque ministrum, unde Sacramentum appellari potest; specifice tamen ab eo differt ratione essentiae et ratione finis. Essentia enim Sacrificii sita est in actione sacrificandi et in re oblata, essentia Sacramenti in sola re et speciebus consecratis. Ad essentiam Sacrificii probabilius requiritur consecratio utriusque speciei; essentia Sacramenti integra manet in una specie. Finis autem Sacrificii per se est cultus divinus; Sacramenti vero est nostra sanctificatio.

ART. II.

De Sacrificii Missae valore et effectibus.

342. — *Q.* Qualis est valor Missae?

R. Praemitto: alius est valor, alius fructus Missa. *Valor* est efficacia illa quam habet Missa ex dignitate offerentis et rei oblatae ad conferenda bona offerenti et eis pro quibus offertur. *Fructus* autem sunt bona ipsa quae intuitu sacrificii Deus confert. Unde valor a fructu differt uti causa ab effectu. Hoc praemisso:

[1] S. Alph., L. VI, 305.

[2] S. Alph. L. VI, 305, 306.

1. Certum est Sacrificium missae in se et *quoad sufficientiam* esse valoris infiniti, ratione infinitae dignitatis Christi, qui in hoc Sacrificio est victima et principalis offerens.

2. Conveniunt Th. valorem sacrificii missae quoad *efficientiam*, seu fructum, *intensive* finitum esse; idest effectum quem in nobis operatur finitum esse, non quidem ex sua institutione, sed ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque uberiorem percipit fructum juxta suam et offerentis dispositionem. Ideoque cum fructus sacrificii non percipiatur juxta suum proprium valorem, sed juxta dispositionem illius cui applicatur, consequitur eo uberiorem fructum aliquem percipere quo melius est dispositus et quo plures missae pro ipso celebrantur [1].

3. An vero talis efficacia seu fructus sit *extensive* infinitus [2], nempe an sacrificium pro pluribus oblatum aeque singulis prosit, ceteris paribus, ac si pro uno tantum offerretur, Th. communiter affirmant infinitum esse qua impetratorium, qua vero satisfactorium disputant. Multi negant, quia ex Christi institutione sacrificii valor etsi in se infinitus, tamen finito tantum modo applicatur. Sed sententia hodie communiter recepta affirmat, quia si efficacia missae limites habet, hoc est non ex Christi institutione, ut aliqui volunt, sed solum ex finita hominum capacitate; ideoque quum efficacia ex se sit infinita, omnes de ea participare possunt sine aliorum detrimento, quum infinitum non exhauriatur [3].

343. — *Q.* Quotuplex est fructus missae?

R. Fructus missae triplici ex capite distingui potest:

1. *Ex parte causae seu offerentis:* et alius est *ex opere operato*, seu fructus qui confertur intuitu meritorum Christi, quique principalis est, et confertur independenter a probitate ministri; alius *ex opere operantis*, qui nempe confertur intuitu tum Ecclesiae quae sacrificium offert per manus ministrorum, tum meriti et devotionis celebrantis, quique accidentalis est.

2. *Ex parte extensionis seu participantium:* et alius est generalissimus, alius est generalis, alius specialis, alius specialissimus. — *Generalissimus* (ab aliis generalis dictus) est qui cedit in utilitatem totius Ecclesiae, sive militantis sive purgantis; nam Sacerdos in Sacrificio nomine Ecclesiae agit, unde talis fructus non pendet ab ejus voluntate, nec indiget ejus applicatione. — *Generalis* (ab aliis sub speciali comprehensus) est qui obtingit sive missae assistentibus sive ad eam concurrentibus, ministrando *paramenta, luminaria, hostias, etc.*, qui fructus non pendet ab intentione celebrantis sed a devotione fidelium qui per peculiarem suam operam fiunt quodammodo offerentes. — *Specialis*, qui et *medius* vel *ministerialis* dicitur, est ille qui provenit iis pro quibus missa offertur seu applicatur, ad quem proinde determinata celebrantis intentio necessa-

[1] S. Alph., L. VI, 312.

[2] Valor missae dicitur *intensive infinitus* quatenus missa potest causare fructum semper majorem absque limite; *extensive* autem, quatenus potest infinitos effectus producere et juvare ita uni ac infinitis hominibus.

[3] Vid. *Gènicot*, II, 218.

rio requiritur. Hic ordinarie intenditur quoties de Missae fructu simpliciter sermo est. — *Specialissimus* est qui obvenit soli celebranti, qua est Sacrificii minister, et talis fructus probabiliter non indiget applicatione, nec probabilius et communius alteri applicari potest; et si forte applicetur, nunquam certe licet ob id duplicatum stipendium accipere[1].

3. *Ex parte finis,* seu *effectus:* et dividitur in *latreuticum, eucharisticum, satisfactorium et impetratorium,* de quo numero sequenti dicetur.

344. — *Q.* Quinam effectus sive *fines* sacrificii missae?

R. Sicut Sacrificium missae idem est ac Sacrificium crucis, ita eosdem habet fines et effectus. Est igitur Sacrificium missae latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Duo primi effectus ad Deum referantur; alii ad hominem.

1. Uti *latreuticum* cultum Deo debitum reddit, victima enim quae offertur cultum infinitum Deo tribuit.

2. Uti *eucharisticum* dignas Deo gratias pro acceptis beneficiis, ac praesertim pro beneficio redemptionis, rependit.

3. Uti *propitiatorium* seu satisfactorium remittit peccata et poenas; quod de fide est: *Si quis dixerit Sacrificium missae tantum esse laudis et gratiarum actionis... non autem propitiatorium..., neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anath. sit*[2].

4. Uti *impetratorium,* habet vim impetrandi omnia beneficia, non modo spiritualia, sed etiam temporalia, modo ad salutem animae conducant, et sint secundum dispositionem divinae Providentiae.

Quod attinet ad effectum *latreuticum* et *eucharisticum,* Missa illos parit immediate et infallibiliter. Quoad effectum *propitiatorium* et *impetratorium,* peccata tantum *mediate* remittit, in quantum gratiam contritionis impetrat; relaxationem vero poenae temporalis et bona tum spiritualia tum temporalia *immediate* impetrat, idque plus minusve pro voluntate Dei et subjecti dispositione. Pro defunctis tamen est propitiatorium solum *per modum suffragii,* prout nempe Deo placuerit illud pro ipsis acceptare.

Hos autem effectus Sacrificium missae parit ex opere operato; nam Christus est non solum victima, sed etiam offerens seu Sacerdos principalis, ita tamen ut aliquem fructum habeat etiam ex opere operantis, nempe *a Sacerdote,* cujus orationes in Missa recitatae majorem fructum parere debent, quo sunt ferventiores, et *ab Ecclesia* cujus nomine offertur, quae, quum sit sancta et Deo grata, magnam vim habet ad justitiam divinam placandam, et cetera bona impetranda.

—

[1] Propositio: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem,* damnata fuit ab Alex. VII, sub n. 8.

[2] Trid. Sess. XXII, c. 3.

—

CAPUT II.

De ministro Sacrificii missae, ejusque celebrandi obligatione, et de missae applicatione ac subiecto.

ART. I.

De ministro.

345. — *Q.* Quisnam minister Sacrificii missae?

R. — 1. Minister, vel potius *offerens, primarius et principalis* est solus Christus ut homo; nam ut dictum est, Sacrificium Missae idem est quoad substantiam ac sacrificium crucis et coenae.

2. Minister vero proprie dictus seu *secundarius*, qui nempe ex divina institutione, in persona Christi et tamquam legatus ipsum Christum repraesentans, sacrificium conficit, est omnis et solus Sacerdos rite ordinatus.

3. Minister *accessorius* est omnis fidelis. At si fideles in sacra Liturgia etiam *offerre* dicuntur, hoc intelligitur tantum mediate, et per manus Sacerdotis [1]. Quod quidem tripliciter intelligitur; *generatim*, quatenus ipsi sunt membra Ecclesiae, cujus nomine sacerdos sacrificium offert; *speciatim*, quatenus ipsi per se sacrificio assistunt, et intentionem suam dirigunt secundum intentionem tum primarii sacrificantis, qui est Christus, tum secundarii, qui est celebrans; *specialius*, quatenus ad sacrificii celebrationem Sacerdoti ministrando, vel precibus, eleemosynis, etc. aliquomodo concurrunt.

346. — *Q.* Sacerdos est ne verus minister Sacrificii missae [2]?

R. Omnis et solus Sacerdos rite ordinatus est verus minister Sacrificii missae; de fide est: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: aut non ordinasse ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum; anath. sit.* Trid. Sess. XVII, c. 2.

Apertissime constat: — 1. *Ex S. Scriptura;* nam Christus Eucharistiam instituens solis Apostolis, ac proinde solis Sacerdotibus eorum in hoc successoribus, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* [3]. Ergo soli Sacerdotes hanc habent potestatem.

[1] In Missa plures quidem sunt *offerentes*, qui tamen non omnes sacrificant; nam ad sacrificandum requiritur ordo sacerdotalis, ad offerendum vero sufficit moralis quaedam conjunctio cum actione sacerdotali. Quare solus sacerdos qui Missam offert, quatenus est persona publica, proprie *sacrificat*, ceteri autem *offerunt*, sed varia ratione. — *Génicot*, II, 215.

[2] Novatores tamquam illicitas habent missas *privatas*, quae nempe dicuntur absque conventu publico, aut in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat. Sed contra, missas privatas licitas esse constat tum ex Conc. Trid. definiente: *Si quis dixerit Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat illicitas esse, ideoque abrogandas, anath. sit.* (Sess. XXII, c. VIII); tum ex prop. 28 Synod. Pist. a Pio VI damnata uti de haresi suspecta. — Et sane: Missa privata nulli Christi praecepto adversatur, nam ex tota retro antiquitate celebrari consuevit, ut ex ecclesiasticis monumentis luculenter constat; ergo. — Nec quis dicat: Christum in Eucharistiae institutione eam distribuisse omnibus adstantibus, non enim omnia quae Christus fecit in hac institutione de praecepto sunt, secus plura alia essent praestanda, quae nec Ecclesia catholica, nec ipsi Protestantes praestant. Ea igitur solum ad rei essentiam pertinent, et praecepta dici possunt, quae Ecclesia mentis Christi probe conscia definivit.

[3] Luc., XXII, 19.

2. *Ex traditione.* Conc. Nicaen. I, can. 18, prohibet ne diaconi Communionem praesbyteris distribuant, eo quod nec canon, nec consuetudo tradidit, *ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent Corpus Christi.* — S. Epiph. ad Joan. Hierosol. scribit se cuidam diacono contulisse presbyteratum, ne multitudo fidelium mysteriis privaretur, *quum non haberent qui sibi divina Sacramenta conficerent.* Sic alii SS. Patres. Unde Conc. Later IV ita definivit: *Hoc Eucharistiae Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos qui fuerit rite ordinatus.* Ergo.

347. — *Q.* Plures Sacerdotes possunt ne eamdem hostiam simul consecrare?

R. Olim nonnulli negarunt neosacerdotes cum Episcopo in Ordinatione celebrantes reipsa consecrare; at hodie omnes affirmant. Rubrica enim Pontificalis sic habet: *Presbyteri, ante Communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici.*—Hinc Sacerdotes novi in Missa Ordinationis curare debent, quoad fieri potest, ut simul cum Episcopo formam consecrationis absolvant, et insuper habeant intentionem consecrandi tunc tantum, quando eodem tempore cum Episcopo formam absolvunt; imo in consecratione calicis intendant etiam non consecrare, si panem forte ipsi non consecraverint.

348. — *Q.* Quaenam sacerdos extraneus praestare debet ut ipsi celebrare liceat?

R. Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, si sit ritus orientalis, ad Missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a Missae celebratione repelli debeat.

Si iis litteris careat, sed rectori ecclesiae de eius probitate apprime constet, poterit admitti; si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet.

Peculiares hac de re normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servandae sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis. **Can. 804.** § 1. 2. 3.

Sacerdos, Missam celebraturus, deferat vestem convenientem quae ad talos pertingat et sacra ornamenta a rubricis sui ritus praescripta. Abstineat autem a pileolo et annulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, Episcopus vel Abbas benedictus, aut nisi apostolicum indultum eorundem usum in Missa celebranda eidem permittat. **Can. 811.**

Sacerdos Missam ne celebret sine ministro qui eidem inserviat et respondeat. Minister Missae inserviens ne sit mulier, nisi, deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat, nec ullo pacto ad altare accedat. **Can. 813.**

Sacerdos ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem sese piis precibus disponere, eoque

expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere. **Can. 810.**

ART. II.

De obligatione celebrandi

349. — *Q.* Sacerdos tenetur ne missam celebrare ?

R. Sacerdos triplici ratione teneri potest ad celebrationem missae : ratione sacerdotii ; ratione officii ; ratione stipendii.

§ 1°

De obligatione celebrandi ratione sacerdotii et officii.

350. — *Q.* Sacerdos tenetur ne aliquando celebrare ratione *sacerdotii ?*

R. Quidam Th., inter quos De Lugo, docent Sacerdotem nullo unquam tempore, secluso scandalo, teneri ad celebrandum, saltem sub mortali ; tum quia nullibi tale praeceptum legitur, tum quia quidam Sancti a celebratione missae prorsus abstinuerunt.

At Th. communiter docent Sacerdotem non legitime impeditum teneri sub gravi ex jure divino aliquando celebrare ; Christus enim Sacerdotes instituens dixit : *Hoc facite in meam commemorationem,* quae verba Trid. de vero praecepto interpretatur [1]. Et D. Paulus ait : « Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, *ut offerat dona et sacrificia* [2] ». Atqui ex jure naturali quisque officium susceptum adimplere tenetur ; ergo. Hinc Codex I. C. sic habet : Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum ; curet autem Episcopus vel Superior religiosus ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur. **Can. 805.** — Nec obstat praxis quorumdam Sanctorum ; nam dicendum est illos Sanctos in viis extraordinariis versatos fuisse, sicut illi qui SS. Eucharistia fere nunquam reficiebantur. Unde concludit Bened. XIV [3] non posse sustineri sententiam eorum qui statuunt venialiter tantum peccare sacerdotem, qui non habens curam animarum, nec aliter adstrictus ad missam celebrandam, numquam per annum celebrat.

Quoties autem Sacerdos teneatur celebrare ratione sacerdotii, communius dicunt teneri ter aut quater in anno, et quidem, juxta quosdam, in festis solemnioribus ; sed alii probabiliter dicunt sufficere si ter vel quater in anno celebret, sive die festo sive non, modo debita distantia inter varias celebrationes servetur [4].

351. — *Q.* Quandonam Sacerdos tenetur celebrare ratione *officii ?*

R. Sacerdos tenetur celebrare ratione *officii* quando est animarum Pastor. Pastor vero animarum est Episcopus, Parochus (sive saecularis sit sive regularis, sive amovibilis sive non), Vicarius qui, vacante Parochia, deputatur ut ei praesit. Hi omnes jure *naturali* et *divino*, juxta plures, et certo jure *ecclesiastico*, ex Con-

[1] Sess. XXII, cap. 1.
[2] Hebr. V, 1.
[3] *De Sacr. Miss.*, lib. 3, c. 1, n. 10.
[4] S. Alph., Lib. VI, 313. — Vid. etiam *Marc*, n. 1603.

stit. Bened. XIV *Cum semper oblatas* (19 aug. 1744) tenentur sub gravi celebrare, et missam pro populo applicare diebus dominicis et festis de praecepto, in Kalendario cum cruce adnotatis, etiam suppressis, ex Constit. Pii IX *Amantissimi*, (3 maji 1859) et pro hac missa eleemosynam accipere nequeunt [1]. — Haec autem obligatio est personalis, realis et localis. — Vide dicta de Parochi obligationibus, n. 107.

352. — *Q.* Licet ne sacerdoti pluries in die celebrare Missam?

R. Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum sacrificium, non licet pluries in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario.

Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti eius judicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere **Can. 806.** § 1. § 2.

Quoties autem sacerdos pluries in die celebrat, si unam missam ex titulo institiae applicet, praeterquam die in Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco, (v. g. ob speciale sacerdotis incommodum). **Can. 824.**

§ 2°

De obligatione celebrandi ratione oblatae eleemosynae.

353. — *Q.* Cuinam spectat manualem missarum stipem definire?

R. Ordinarii loci est manualem Missarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum, nec sacerdoti licet ea maiorem exigere. Ubi desit Ordinarii decretum, servetur consuetudo dioecesis. Etiam religiosi licet exempti, circa stipem manualem stare debent decreto Ordinari aut dioecesis consuetudini. **Can. 831** [2].

Quare Sacerdos exigere nequit eleemosynam taxa majorem, nisi majorem offerat voluntaria fidelium liberalitas vel exigat speciale sacerdotis incommodum.

Sacerdoti fas est oblatam ultro maiorem stipem pro Missae applicatione accipere; et nisi loci Ordinarius prohibuerit, etiam minorem. **Can. 832.** — Sed caveat ne hoc vergat in damnum

[1] Parochus insuper per accidens celebrare tenetur quoties id postulat bonum animarum sibi commissarum; et quoniam in qualibet parochia adsunt qui notabile damnum spirituale paterentur si tantum festis Missae interesse possent ideo ordinarie tenetur parochus aliquoties in hebdomada celebrare. Curet autem ut hora convenienti eaque praefixa in quantum poterit, celebret, ut fideles missam facilius audire possint.

[2] Olim fideles Sacerdotibus celebrantibus offerebant panem et vinum, et quod supererat in victum eorumdem Sacerdotum et clericorum cedebat, ac proinde Missae pro omnibus dicebantur. Dein permissum fuit offerre oleum spicas, uvas. etc. Demum haec permissio complexa est ipsam pecuniam, quae mittebatur in arca suo tempore distribuenda in sustentationem ministrorum et pauperum. Successive invaluit usus ut pecunia ipsis celebrantibus traderetur, qui pro offerentibus missam applicarent.

aliorum sacerdotum, nec abusus inde nascatur. — Ceterum a stipe missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur. **Can. 827.**

354. — *Q.* Quaenam Codex I. C. prohibuit circa eleemosynam manualem ?

R. Codex I. C. sic habet : 1° Nunquam licet missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro mista antea applicata. — 2° Nunquam licet eleemosynam recipere pro missa quae alio titulo debetur et applicatur [1]. — 3° Nunquum licet duplicem eleemosynam pro eiusdem missae applicatione accipere. — 4° Nunquam licet alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione. **Can. 825.**

355. — *Q.* Quaenam dicuntur Missae *manuales* ratione stipendii ?

R. Stipendia quae a fidelibus pro missis offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis haeredibus facta, *manualia* dicuntur.

Ad instar manualium vocantur stipendia missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas fundationis, et ideo de iure aut Sanctae Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt ut eisdem satisfiat. [1].

Alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur, appellantur *fundata* seu *missae fundatae* **Can. 826.** [2]

356. — *Q.* Sacerdos, accepta eleemosyna, tenetur ne sub gravi ad missae celebrationem ?

R. Sacerdos, accepta eleemosyna, sub gravi tenetur missam celebrare, si eleemosyna gravis sit. — Si vero levis, tunc disput. Th: Quidam negant teneri sub gravi, quia cum illud damnum levi *stipendio*, redimi possit, grave non est reputandum. Sed multi cum S. Alph. affirmant, quia gravitas materiae probabilius hic est mensuranda non in ordine ad stipendium, sed ad fructum missae quo privatur eleemosynam tradens, cui ex hujusmodi privatione certe grave damnum infertur. Nec valet dicere quod tale damnum levi stipendio redimi potest : nam redimi utique posset, si alter, qui stipem tradidit, certior fieret de omissione missae; at, si manet inscius, certe non poterit damnum illud redimere [3].

[1] Proposito : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et unum Sacrificium offerre*, damnata fuit ab. Alex. VII.

[2] Quaesitum fuit : « 1 An missae quae ex onère perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus, aut locis piis quibuscumque, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae, ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum Decreti » ? — S. C. C., die 19 decembris 1904. respondendum censuit: *Habendas esse ad instar manualium*.

[3] S. Alph., L. VI, 317, q. 3 — Falsitas vero contrariae sententiae vel inde eruitur quod, si gravitas culpae e materia stipendii eruenda esset, quandoque viginti et amplius missarum omissio levis foret, quod vix non est absurdum. *Génicot*, II, 230.

357. — *Q.* Quid si accepta eleemosyna ante celebrationem pereat?

R. Si Sacerdos eleemosynam accepit pro se, ipsi perit, et celebrare tenetur.

Si vero pro aliis accepit, tunc vel perit sua culpa et adhuc celebrationem curare tenetur, secus non.

358. — *Q.* Quo loco; Sacerdos receptas missas celebrare tenetur?

R. Missa celebrari debet loco et altari designato, quoties haec conditio vel explicite vel implicite stipulata fuit. Hinc sacerdos qui ex intentione fundatoris vel eleemosynam dantis tenetur missam celebrare ad *altare privilegiatum* [1], non satisfacit huic obligationi si missam ad aliud altare celebrat, etiamsi applicet aliam Indulgentiam plenariam pro defuncto cui missam applicavit, uti declaravit S. C. Indul. (24 jul. 1885). Quod si sacerdos privilegium altaris *personalis* habeat, satisfacit eo utendo, ut declaravit eadem S. C. (15 maji 1852). Si vero sacesdos bona fide errorem admisit, Th. probabiliter dicunt illum satisfacere substantiae obligationis, et defectum altaris privilegiati adaequate posse suppleri lucrando Indulgentiam plenariam defunctis applicabilem [2]. — Ceterum pro missa celebranda in altari *privilegiato* nequit sub obtentu privilegii, maior exigi missae eleemosyna. **Can. 918**, § 2.

359. — *Q.* Quonam tempore missae manuales celebrandae sunt?

R. 1° Si tempus ab oblatore stipendii expresse praescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae. — 2° Si oblator nullum tempus expresse praescripserit, tunc missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae (v. g. si stipendium offeratur pro salute recuperanda tempus utile erit antequam infirmus moriatur. — 3° In aliis casibus missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore missarum numero. — 4° Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis, expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit eas celebrare. — 5° Attamen nemini licet tot missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat. **Can. 834, 835.**

Nota: 1° Modicum tempus pru-

[1] Altare privilegiatum illud est in quo SS. Pontifices per modum suffragii indulgentiam plenariam concedunt animabus purgatorii, pro quibus celebravit Sacerdos in eo altari. Altari privilegiato, ex concessione Bened. XIII, perpetuo gaudent Ecclesiae Patriarchales, Metropolitanae, Cathedreles pro altari semel ab Episcopo designato; et ex concessione Clementis XIII, ad septennium gaudent Ecclesiae parochiales pro altari in quo osservatur SS. Sacramentum. Hoc autem privilegio gaudent altaria omnia in die Cemmemorationis omnium defunctorum. — Ad hanc indulgentiam lucrandam requiritur missa *de requie*, si rubrica permittit; sicuti etiam requiritur ad habendum hoc privilegium ut Ecclesia nullo simili et praesenti privilegio fruatur, et tot celebrentur missae quot prescribuntur, a quibus tamen ratione infirmitatis S. Pontifex dispensare intendit. Alasia dicit quod qui missam solemnem vivorum cantat in die qua possunt cantari missae solemnes mortuorum licet prohibitae sint missae mortuorum lectae, non obtinet indulgentiam. — Recursus ad Papam pro renovatione altaris privilegiati pertinet ad Episcopum.

[2] *Gury*, Casus consc. II, 344. — Vid. *Génicot*, II, 223.

denter censeri potest tempus unius mensis pro unica missa, semestris pro centum, et ita porro iuxta decr. *Ut debita*.

Hoc tamen intelligendum est pro casu in quo illae missae eidem sacerdoti tradantur ab *uno eodemque* oblatore, non autem si traditae fuerint a pluribus oblatoribus. S. C. C. 27 Feb. 1905.

2° Si quis v. g. centum missas celebrandas ex eodem oblatore simul suscipiat et per unum vel duos menses ultra semestre utile celebrationem differat non videtur peccare graviter si numerus celebrationis dilatae est parvus v. g. quinque vel sex, graviter vero peccaret si numerus est magnus v. g. viginti vel triginta. Gravitas igitur dilationis minui videtur ex numero missarum simul ex eodem oblatore susceptarum, augeri vero ex numero earum quarum celebratio differtur. (Ferreres. 476).

3° Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cuiuslibet anni, missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum.

Hoc autem tempus ita est accipiendum ut in missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate. **Can. 841.**

Nomine autem Ordinariorum veniunt quoque Praelati regulares (Generales, Provinciales) pro suis rispectivis subtidis. **Can. 198.**

360. — *Q.* Sacerdos potest ne alteri tradere missam celebrandam, retenta pro se ipso parte eleemosynae?

R. Hic referre iuvat sequentes Canones Codicis I. C.

Nemini liceat tot Missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat. **Can. 835.**

In ecclesiis in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrare ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebraturum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi. **Can. 836.**

Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, firmo praescripto can. 841; sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet. **Can. 837.**

Qui habent Missarum numerum de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummode probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores, vel testimonio proprii Ordinarii commendatos. **Can. 838.**

Omnes et singuli administratores causarum piorum, aut quoque modo ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive

[1] Quaesitum vero fuit: « An sacerdotes fruentes cappellaniis fundatis, sive ecclesiasticis sive laicalibus, possint aliis sacerdotibus Missas suarum Cappellaniarum celebrandas committere, statuta eleemosyna pro suo arbitrio »? — S. C. C., die 19 decemb. 1904, respondendum censuit: *Negative*.

laici. sub exitum cuiuslibet anni, Missarum onera quibus nondum fuerit satis factum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum.

Hoc autem tempus ita est accipiendum, ut in Missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate, **Can. 841.**

Ins et officium vigilandi ut onera Missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium; in religiosorum ecclesiis ad eorum Superiores. **Can. 842.**

Omnes sacerdotes sive saecula res sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit. **Can. 844. § 2.**

360. — *Q.* Sacerdos potest ne alteri tradere Missam celebrandam, retenta pro se ipso parte eleemosynae?

R. Qui missarum stipes manuales ad alios trasmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere; aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae.

In Missis ad instar manualium, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus, et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae. **Can. 840.**

361. — *Q.* Sacerdos, cui pinguior eleemosyna oblata sit pro hodierna missa, potest ne illa retenta, alium Sacerdotem qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus, rogare ut pro se ipso celebret, promittens se celebraturum altera die pro illo?

R. Disput. Th. alii negant, quia excusari nequit a specie turpis lucri; at sententia affirmativa iuxta Ballerini et alios est longe probabilior, et comprabatur praxi piorum et prudentum sacerdotum.

362. — *Q.* Quid arceri debet ab eleemosynis missarum?

R. A stipe missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur. **Can. 827.**

Hinc prohibitum est sub gravi colligere eleemosynas maioris pretii ex illis lucrum captare faciendo eas celebrare eleemosyna minori, vel sibi reservando beneficium cambii. — Prohibitum est celebranti missam dare loco stipendii accepti a fidelibus vel a locis piis, libros, vel alias merces; aut vicissim pro missis celebratis vel celebrandis recipere libros vel alias merces loco stipendii quod alius accepit a fidelibus vel locis piis. — Item prohibitum est ope missarum res quascumque emere, vel subscriptiones inire cum diariis vel ephemeribus. Igitur quod prohibetur est ut qui accipit stipendia ut faciat celebrare missas, stipendia accepta *permutet* in aliis rebus quas det celebrandi.

E contra permissum est loco stipendii accipere libros ab eo qui missas facit celebrare ex propria devotione, quia stipendium missae sicut potest consistere in pecunia, ita etiam in qualibet alia re pretio aestimabili.

362. — *Q.* Quid statutum est circa onera missarum perpetua?

R. Missarum onera si sunt perpetua non possunt a sacerdotibus saecularibus suscipi absque licentia scripta Episcopi vel Vicarii generalis.

Apud Regulares vero requiritur licentia Generalis vel Provincialis. Ita Innoc. XII, Bulla *Nuper*, 1697.

Haec onera suscepta describenda sunt in tabella, quae in Ecclesia servari debet, et capitale in bona immobilia et frugifera impendendum est, quae bona nunquam sine Sedis Apostolicae licentia alienari possunt.

Certum vero est quod missarum onera perpetua, si imminuti non sunt reditus, sunt implenda in perpetuum, et propositio: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam decem annos*, damnata fuit.

Quod si capitale ex toto et sine culpa beneficiati perit, cessat quoque onus missarum. — Si vero tantum imminuitur, tunc si taxa cujusque missae determinata est a tabulis fundationis, v. g. duae libellae pro qualibet missa, numerus missarum reducitur pro ratioqe fundi remanentis. Si autem taxa est solum determinata in genere, et determinatus est numerus missarum quae celebrari debent, v. g. *Centum missae dicantur singulis annis*, et capitale relictum imminutum fuit, tunc ob diminutionem redituum etiam numerus missarum minui potest, sed pro tali reductione ad S. Sedem recurrendum est. Quod si fundus beneficii taxa majori gravatus sit, vel si debitor ad canonem solvendum morosus sit, Sacerdos nequit propria auctoritate missarum celebrationem suspendere vel imminuere.

§ 3°

De obligatione celebrandi ratione beneficii.

363. — *Q.* Beneficiarius ad quid tenetur quoad missae celebrationem?

R. Beneficiarius quoad missae celebrationem in omnibus se aptare debet tabulis beneficii, sive quoad ecclesiam, sive quoad altare, sive quoad diem et horam celebrationis; ita ut si quid in tabulis expressum culpabiliter omittat peccat, et quidem graviter si ejus omissio notabile damnum defuncto vel populo afferat, et pro rata omissionis fructus restituere tenetur.

Dixi *culpabiliter*, quia conveniunt Th. Capellanum, qui per se ipsum ad quotidianam celebrationem tenetur, posse quater vel sexies in anno pro se, vel pro aliis, at sine stipendio, missam applicare.

Insuper reverentiae causa potest aliquoties in anno a celebratione cessare, quod alii semel in hebdomada, alii semel in mense concedunt; intellige tamen nisi obstet voluntas fundatoris vel necessitas Ecclesiae, aut nisi obligatio celebrandi sit tum personalis, tum realis.

364. — *Q.* Beneficiarius infirmus tenetur ne per alium supplere?

R. Distinguo: Si ex tabulis fundationis per alium supplere potest, tunc certe per alium supplere debet.

Si vero tenetur per se ipsum ad celebrandum, tunc si infirmitas est diuturna (ultra duos men-

ses ex probabili sententia Th.), debet per alium satisfacere. Si autem infirmitas est brevis, non tenetur si est inculpabilis; si vero culpabilis, tunc alii ab hoc onere eum non eximunt, ne commodum reportet ex sua iniquitate, sed alii ipsum liberant nixi S. Congregationi, quae loquens de canonicis infirmis late asserit a choro excusari si infirmitas brevis sit, licet infirmitati causam dederint, quod casui nostro aptari potest [1].

365. — *Q.* Beneficiarius potest ne missae celebrationem anticipare?

R. Beneficiarius nequit celebrationem missae anticipare si missa est tempori affixa in commodum populi, vel in honorem specialis Mysterii vel Sancti, etsi praevideat missam celebrare non posse tempore statuto. E contra, si est in suffragium defunctorum, et temporis determinatio nihil speciale praesefert, beneficiarius potest, et in plurimorum sententia etiam tenetur eam anticipare, si praevideat statuto tempore se celebrare non posse.

366. — *Q.* Quid si tempus celebrationis jam transactum sit?

R. Si tempus celebrationis jam transactum sit, videndum: vel testator unum tantum finem intendit, puta commodum populi aut cultum alicujus Sancti, vel duplicem finem, v. g. commodum populi et sui suffragium. In *primo* casu beneficiarius amplius non tenetur celebrare, quia totaliter cessat finis, sed peccavit si culpabiliter omisit et ad restitutionem tenetur. In *secundo* vero casu adhuc tenetur si adhuc extet finis partialis, quia qui non potest totum onus implere ad partem obligatur, si illud divisibile sit et aliqualiter ad finem fundatoris conducat; quod in nostro casu obtinet.

[1] S. Alph., L. VI, 332.

Art. III.

De missae applicatione.

367.—*Q.* Quid est applicatio missae, et est ne necessaria?

R. Applicatio missae est *determinatio personae in cujus utilitatem Sacerdos vult cedat sacrificii fructus*. Quod autem licite possit Sacerdos applicare fructum Sacrificii missae alicui in particulari, qui proinde specialem fructum ex ea percipiet, constat ex Trid. atque ex damnatione prop. 36 Synodi Pist.

Haec applicatio non requiritur ad fructum *generalissimum et generalem* percipiendum, sed pro tali fructu sufficit ut Sacerdos juxta mentem Ecclesiae celebrare velit; in hac enim generali intentione implicite includitur talis applicatio. Optimum tamen erit ut Sacerdos intendat sacrificium prodesse his omnibus de quibus in liturgia mentio fit, scilicet *Ecclesiae*, *Papae*, *Episcopo*, *et circumstantibus*, imo quantum fieri potest omnibus prorsus hominibus.

Plures idem dicunt de fructu *specialissimo*, asserentes nimirum talem fructum Sacerdoti celebranti obvenire, quin necesse sit ut eum sibi specialiter applicare intendat. Negant tamen alii, quia nemo quidquam sibi impetrare potest, nisi postulet. Unde consultius est ut celebrans praedictum fructum sibi semper applicet, dicenda v. g.: Intendo sacrificium mihi applicare ad talem finam consequendum, ad remissionem poenae peccatis meis debitae, ad emendationem talis defectus, ad talem virtutem obtinendam, etc.

Certum vero est quod talis applicatio necessario requiritur, ut fructus *specialis* seu *ministerialis* alicui cedat. Sacerdos enim, et quidem solus, Christi personam gerit; ergo sicut ipse solus in persona Christi sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum ejusdem applicat. Si nulla fit applicatio vel fiat incapaci, fructus ille vel manebit in thesauro Ecclesiae, vel cedet celebranti, vel illis pro quibus forsan tenebatur applicare.

368.— *Q.* Qualis intentio requiritur ad applicationem missae; et quid requiritur ut applicatio valida sit?

R. Ad applicationem missae non requiritur intentio actualis aut virtualis, nec satis est intentio interpretativa; sed in sententia probabiliori cum Bened. XIV et S. Alph. sufficit intentio *habitualis*, seu quae semel habita revocata non fuit, quia, ait S. Alph. [1], applicatio missae se habet per modum donationis verbalis, quae semel facta valet donec revocetur.

Ut autem talis applicatio valida sit, fieri debet: 1° *Ante consecrationem* saltem calicis, quia iuxta communiorem sententiam tota essentia missae in sola consecratione consistit, unde applicatio fieri debet antequam Sacrificium suum effectum producat. 2° Debet esse *absoluta*, vel saltem sub conditione de praeterito vel praesenti si extat. Hinc docet S. Alph. quod si Sacerdos putans aliquem esse mortuum, pro quo mortuo celebrare debet, pro ipso celebrat adhuc vivo, non satisfacit, quia conditio non extat [2]. 3° Debet esse

[1] S. Alph., L. VI, 335.
[2] S. Alph., L. VI, 337, 5. – Haec tamen resolutio, ait Cl. Ballerini, si in se spectetur, paulo severior videri merito

se *determinata saltem implicite*, uti esset in illo qui celebrare intendit—pro eo qui eleemosynam dedit; — pro quo superior vult sacrum fieri; — pro quo exigit fundatio, etc.: et haec implicita determinatio, generali aliquo termino facta, personas in particulari jam attingit.

369. — *Q.* Quid si Sacerdos, constituta prius intentione, postea nulli aut alteri missam applicavit?

R. Si oblitus vel immemor prioris intentionis, pro nullo alio missam applicavit, prior intentio et applicatio perseverare censetur.

Si vero pro alio missam applicavit distinguo: Vel memor fuit jam factae promissionis, et eo ipso primam intentionem retractavit; vel immemor fuit, et tunc praevalet intentio quae sibi, errore comperto, potior fuisset: si nulla potior, actualis intentio praevalet. Ceterum, *in praxi* omnis evanescit disputatio aliam missam applicando illi cui adhuc non cessit Sacrificii fructus: certum enim est alterutram applicationem fuisse validam [1]. Si tamen Sacerdos duas haberet intentiones actuales inter se incompossibiles, quarum nulla sit potior, neutra applicatio valet [2].

poterit: ratio est quia *satisfactorius* Sacrificii fructus etiam vivo prodesse potest, et a purgatorii poenis eximere. Praeterea vivus capax est, et particeps fit eorum quoque fructuum, quorum capaces mortui non sunt. Et exinde est quorumdam usus, qui hoc praesidium sibi sollicite quaerentes, praestitutas a se missas vel omnes vel magna ex parte praemittere satagunt, dum in vivis degunt. *Ballerini ad Gury*, II, 358 (*a*).

[1] Vid. *Génicot*, II, 219.

[2] S. Alph. L. III, 210; *D' Annibale*, I, 142 (27-28).

370. — *Q.* Quomodo determinanda est applicatio si plura stipendia a multis donata et collecta sint, ut ecclesiis celebrioribus evenire solet?

R. Si plura stipendia a multis vel donata vel collecta sint, et pecunia confusa pluribus Sacerdotibus distributa sit, tunc applicatio fieri debet juxta ordinem temporis, quo stipendia oblata sunt, ex noto axiomate: *Qui prior tempore, potior jure.* Nec necessarium est ut Sacerdos ad hoc explicite attendat, nam censetur id velle agere, quod naturalis aequitas expostulat.

Potest tamen Sacerdos praefatum ordinem expressa intentione interrumpere gravi aliqua de causa, v. g. si qua alia missa urgeat, si majorem eleemosynam acceperit ut sacrum illa die faciat, etc.

ART. IV.

De subjecto sacrificii missae.

371. — *Q.* Sacrificium missae quibus applicari potest?

R. — 1. Sacrificium missae applicari potest omnibus illis, pro quibus oblatum est sacrificium Crucis; nisi pro aliquo vetet Ecclesia. De fide vero est applicari posse pro vivis et defunctis, ut definivit Trid.: *Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere: anath. sit.* Sess. XXII, c. III.

2. Certum autem est quod missa prout est sacrificium impetratorium et satisfactorium applicari potest pro omnibus fidelibus vivis, etiam pro peccatoribus [1] non excommunicatis; et prout est sacrificium impetratorium etiam pro infantibus et pro infidelibus, quia capaces sunt illius fructus, nec ulla adest Ecclesiae prohibitio [2]. Notandum vero quod fructus satisfactorius non potest prodesse iis qui sunt in peccato mortali; quia, durante statu peccati, nulla poena remittitur.

3. Certum est quod e contra missa applicari non potest pro excommunicatis *vitandis*, quia adest expressa Ecclesiae prohibitio. — Attamen licite potest Sacerdos offerre missam privatim, nempe quatenus est opus proprium sui, non autem nomine Ecclesiae; quod si offerret ut minister Christi valide quidem sed illicite offerret. Igitur potest celebrando privatim pro illis orare, modo eorum nomina non recitet, id enim indicaret eorum cum Ecclesia communionem quam non habent [3].

An vero Sacerdos licite possit missam offerre nomine Ecclesiae vel ut minister Christi pro excommunicatis *toleratis*, disput. Th.,

[1] Licet Missam applicare fideli qui in actu peccati decessit, verumtamen si cui deneganda est ecclesiastica sepultura non debet pro eo *publice* (idest scienter populo) celebrari.

[2] *Postulatum fuit:* Utrum liceat Sacerdotibus missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro missae applicatione accipere? — S. C. Inq. 12 jul. 1865 respondit: *Affirmative*, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in missa specialiter addatur, et, quoad intentionem, constet nihil mali, aut erroris, aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.—Vid. *Génicot*, II, 221.

[3] Cfr. vol. I, 302 (1-2).

sed sententia probabilior affirmat, quia Ecclesia fidelibus concedit cum illis communicare etiam in divinis [1]. Item de haereticis et schismaticis, nisi sint ab Ecclesia nominatim denuntiatis.

372. — *Q.* Sacrificium missae potest ne offerri pro animabus defunctorum ?

R. — 1. Quoad animas purgatorii, de fide est quod licite et utiliter missa pro ipsis offerri potest, ut diximus numero praecedenti.

Et sane, si in V. T. licitum erat Sacrificium pro defunctis offerre, *quia sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* [2] : quanto magis id asserendum erit de Sacrificio N. T. cujus vetera Sacrificia figura tantum erant ! Id constat etiam ex antiquissima et universali Ecclesiae praxi, cujus testes sunt omnes SS. Patres. Ergo.

An autem missa *de requie* defunctis magis prosit quam missa de Sanctis, S. Th. dicit quod ex parte Sacrificii oblati aequaliter prodest defuncto, sed ex parte orationis magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Attamen iste defectus compensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet eam dici, vel per intercessionem Sancti, cujus suffragium in missa imploratur.

2. Quoad infantes sine baptismate mortuos, non potest illis missa applicari, siquidem illis proficere nequit. Item a fortiori quoad damnatos : at cum ignoretur quinam hi sint, licet generatim missam applicare omnibus defunctis adultis in canone Sanctorum non inscriptis, nisi obstet Ecclesiae prohibitio.

3. Quoad Sanctos vero, offerri potest in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo ipsis, vel nobis eorum intercessione, collatis, atque ad impetrandam eorum intercessionem [3].

CAPUT III.

De tempore et loco celebrationis.

ART. I.

De tempore celebrationis.

373. — *Q.* Quanam die et hora missa celebrari licet ?

R. Quoad *diem*, missa celebrari licet omnibus diebus anni, exceptis : 1° Feria VI Parasceve, quo die missa celebrari prohibetur et quidem sub gravi, etsi necesse esset infirmum communicare ; - ratio, quia illa die Passio Christi ab Ecclesia recolitur prout realiter gesta, et ideo non repraesentatur mystico modo per Eucharistiae consecrationem [4]. 2° Feria V in

[1] S. Alph., L. VI, 308, 309. — Pro excommunicatis, etiam publicis (nam pro occultis non videtur dubitandum), *non tamen vitandis*, non esse illicitum Sacrum facere, aut verior sententia est aut aequior certe, quia contraria non caret incommodis : dummodo id fiat sine offensione fidelium. — *D' Annibale*, I, 360.

[2] Machab. II, c. XII, 46.

[3] *Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in onorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anath: sit.* Trid. Sess. 22, c. 5. — Per se nihil obstat quominus varii fructus diversis applicentur, puta satisfactorius animae purgatorii, impetratorius aegroto sanando. Attamen stipendium danti semper applicandus est totus fructus specialis : siquidem mens illius supponenda est ut Missa ipsi prosit quantum potest. *Génicot*, II, n. 222.

[4] *Marc*, n. 1623, 2°.

Coena Domini et Sabbato Sancto, quibus diebus prohibetur missa privata. Nihilominus ubi viget consuetudo ut parochus Feria V celebret, ferenda est [1]. — Attamen Feria V Superior regularis potest missam privatam celebrare in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communionem, et si desit Oratorium, hoc fiat in Ecclesia januis clausis.

Si tamen Feria V in Coena Domini occurat festum de praecepto, Ordinarii locorum providere debent ut in unaquaque parochia plures missae privatae pro fidelium numero celebrentur, ex decreto S. C. R. (27 sept. 1716, n. 2240). Id tamen locum non habet *sine speciali indulto* in locis ubi hujusmodi festa sunt abrogata. Ita S. C. R. (27 maji 1876, n. 3400 ad 1).

Quoad *horam* celebrationis hodie ex Rubrica Missalis et ex consuetudine generali missa privata dici potest ab aurora usque ad meridiem. Cum autem aurora et meridies non mathematice sed moraliter accipienda sint, ideo Bened. XIII concessit ut missa celebrari possit una hora ante auroram vel post meridiem [2]. **Can. 821.**

Valde autem probabiliter dicunt plures Th. quod privilegium celebrandi una hora ante auroram, vel post meridiem intelligitur una hora ante vel post tempus concessum non privilegiatis, alioquin privilegium parum prodesset [3].

374.—*Q.* Peccat ne graviter qui celebrat ante auroram vel post meridiem?

R. Prohibitio celebrandi ante auroram, vel post meridiem est sub gravi, ideoque graviter peccaret Sacerdos qui, *secluso privilegio vel justa causa*, missam inchoaret ante tempus statutum in materia gravi; gravis autem materia communius et probabilius est integra hora, unde citra horam culpa esset tantum levis.

Dixi: *secluso privilegio vel justa causa.* Justa vero causa esset: 1° necessitas infirmum communicandi, et tunc licet vel statim a media nocte sacrum facere; 2° causa itineris, vel funeris alicujus

[1] Acta S. Sedis, v. I, p. 495.

[2] « SS.mus D. Pius divina providentia PP. X... motu proprio, benigne indulgere dignatus est ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subjectis aliisque religiosis institutis, piis domibus, et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. Ch. tres rituales missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit ». S. C. S. Of., die 1 aug. 1907.

Hoc decreto evulgato, quae sequuntur dubia fuerunt proposita:

I. An indultum importet facultatem tres Missas, vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis Oratoriorum ianuis*?

II. An indultum *Oratoriis* concessum extendi possit ad *ecclesias* Religiosorum, quae publico fidelis populi usui inserviunt?

SSmus D. N. Pius P. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii die 26 mensis Novembris anno 1908 concessa respondit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative, salvo tamen Religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi. (Vid. *Acta Apost. Sedis*, v. I, p. 146).

[3] S. Alph. L. VI, 345, 346.

—

magnatis, vel causa concionis, aut sacrae Ordinationis, aut publicae supplicationis; 3° mos rationabilis, v. g. ut opifices et famuli summo mane missam audire possint; 4° in die festivitatis post missam solemnem (etsi haec protrahatur ad unam et etiam ad duas horas post meridiem) ne magna populi pars missa careat.

Advertendum autem quod nunquam « ex quovis praetextu, etiam licentiarum » potest missa celebrari sine gravi culpa sub hora nona, scilicet hora tertia post meridiem, ex bulla *SS. in Christo pater* S. Pii V [1].

[1] Quaesitum fuit: « An in nocte Nativitatis D. N. J. C. liceat cuicumque Sacerdoti ante auroram celebrare missam privatam, absque indulto Sedis Apostolicae in casu? » — R. Non licere, et contrariam consuetudinem, si adsit, declarandam esse abusum, et Episcopus curet ut abscindatur. — S. R. C. 18 sept. 1781, n. 2520.

[2] « In die Nativ. Dom. potest ne sacerdos (cui ratione infirmitatis, aliave rationabili causa a S. Sede potestas facta est celebrandi missam votivam de B. M. V.) *tres missas* celebrare de B. V.? » — R. *Negative.* S. R. C, 28 apr. 1866, n. 3146 ad VI.

[3] Quanam vero distantia opus sit quove numero fidelium ut missa iterari possit, utrumque caritati et prudentiae Ordinariorum relictum est. Et si uno lapide distent, aut viginti sint qui alias Ecclesiae praecepto non satisfacerent, permittere poterit ut quis tot missas celebret quot necessariae sunt; imo debet. S. C. C. — *D'Annibale*, III, 405 (55).

[4] S. Alph., L. VI, 315: *Ninzatti*, 1185.

Instructio S. R. C. pro Sacerdote bis Missam eadem die celebrante.

« Quando sacerdos eadem die duas missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem et palla tegat, ac, junctis manibus in medio altari, dicat: *Quod ore sumpsimus*, etc., et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* etc., et abstergat. Hisce peractis, calicem super corporale manentem adhuc, deducta palla, cooperiat ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena et palla, et demum velo. Post haec missam prosequatur; et, completo ultimo evangelio, rursus stet in medio altari, et detecto calice, inspiciat an aliquid

ART. II.

De loco celebrationis.

376. — *Q.* Quonam loco missa celebrari licet ?

R. Jure ordinario et communi missa celebrari licet solum in Ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta, et non execrata, nec polluta [1], nec interdicta. — *Item* licet in Oratoriis, quae habent ingressum per viam publicam. — *Item* in Oratoriis erectis in domibus religiosorum vel communitatum. — *Item* in Oratoriis quae habentur in palatiis Episcoporum.

Dixi *jure ordinario et communi,* quia in duobus casibus per exemptionem alibi celebrare licet, nempe: 1° In casu *necessitatis*, v. g. si Ecclesia esset diruta, vel non capax populi, ita ut multi missa carerent, vel si exercitus esset in castris, aut navigantium multitudo in littore maris, vel si sacerdos diu esset peregrinaturus per deserta aut per loca infidelium, quibus in casibus missa celebrari licet in quocumque loco decenti. At si commode possit et tempus ferat, prius Episcopi licentia peti debet; quod si casus necessitatis est dubius, Episcopus dispensare potest. 2° In casu *privilegii*, nempe quando permittitur Oratorium privatum, vel altare portatile. Hinc ex privilegio licet celebrare in mari, modo longa sit distantia a littore et mare tranquillum sit, et adsit insuper alius Sacerdos vel diaconus qui calicem firme teneat.

Quoad Oratorium *privatum*, ipsum debet esse muro extructum, decenter ornatum, ab omnibus rebus domesticis liberum, et ab Ordinario aut ejus delegato visitatum et approbatum [2]. In Oratorio privato una tantum missa celebrari potest in praesentia illorum, vel saltem unius ex illis quibus Breve dirigitur. At non licet in festis solemnioribus, nisi propter infirmitatem fuit concessum, vel aliter provisum. Hujusmodi Oratorii privilegio uti tantum possunt intra dioecesim om-

divini Sanguinis necne ad imum se receperit. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae quae circum sunt undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex ea parte qua ille primum sumpsit. Quod nullomodo omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et superextantibus adhuc vini speciebus, ex divino praecepto compleri debet. Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquae infundat, quantum prius vini posuerit, eamque circumactam ex eadem parte, qua sacrum Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat. Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa, pro rerum adjunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat missam habiturus), et in secunda purificatione in calicem demittatur; vel gossypio aut stupa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur; vel dimittatur in piscinam. Cum autem calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero, in altera missa diverso calice uti poterit ». — S. Rit. C. decr. 11 martii 1858, n. 3068 ed II, et Rit. Rom. *Appendix.*

[1] Nisi Episcopus permiserit ex justa causa etsi non gravi. *D'Annibale*, III, 400 (1).

[2] Vid. Decr. S. R. C., n. 3525; 2812.

nes de familia, tum hospites, etiam unius diei ut multi volunt, modo sint ejusdem conditionis ac indultarius, et Oratorium constructum sit ruri, tum famuli actuali servitio necessarii juxta dignitatem personae, tum persona missae inserviens, si privilegiati nolint aut nesciant; et hujusmodi privilegium durat quousque durat una ex personis quibus privilegium concessum fuit, nisi aliter in dispensatione cautum sit. In his vero Oratoriis privatis non licet ministrare Sacramentum Poenitentiae, sine licentia Episcopi et praecisa justa causa. — Ita communiter Th. [1].

377.— *Q.* Quaenam festa impediunt missam in Oratoriis privatis ?

R. Missam in Oratoriis privatis *per se* impediunt: 1° Nativ. D., Epiph., Triduum ultimum maj. Hebd., Resurrectio et Ascensio D. ac Pentec.; 2° Annunt., Assumpt., et Imm. Conc. B. M. V.; 3° S. Joseph, festum Ss. Petri et Pauli ac Omn. Sanct. et Patroni loci, si tamen de praecepto servatur. — Dictum est *per se*, nam unusquisque privilegio gaudens potest ac debet relativo indulto se conformare.

—

CAPUT IV.

De modo celebrandi.

ART. I.

De requisitis ad missam.

378. — *Q.* Quaenam requiruntur ad missam rite celebrandam ?

R. Ad missam rite celebrandam requiruntur: Altare ornatum juxta rubricas ; Vasa sacra cum suis accessoriis ; Vestes sacrae et Ministrum.

379. — *Q.* Quale esse debet *Altare* pro missae celebratione ?

R. Missae sacrificium omnino celebrari debet super altare lapideum ab Episcopo vel Abbate facultatem habente consecratum; et in eo, dum consecratur, reponendae sunt, et quidem ex gravi praecepto, *Reliquiae Martyrum.* — Altare aliud est *fixum* seu stabile, quod ut conjunctum basi consecratur ; aliud *portatile* seu *ara*, quod consecratur tamquam a basi sejunctum. Ara tamen ampla esse debet ut hostiam et majorem calicis partem capiat [2].

Altare suam consecrationem amittit : 1° Si enormiter frangatur, nempe si tabula fuerit in duas

[1] NOTA: S. Alph., L. VI, 356, docebat Episcopum posse concedere facultatem celebrandi *ob justam causam*, et per modum actus transeuntis. At S. C. C. decrevit posse non tamen ob quamlibet justam causam, sed solum ob causam magnam et urgentem. Quaesitum enim fuit: 1° An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis ? — 2° An cessante causa Episcopalis indulti, perseveret nihilominus facultas in vim Bullae Cruciatae ?

S. C. C. die 20 dec. 1855 resp. *Ad 1um Negative nisi tamen magnae et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum. Ad 2um Negative.*

[2] Non sufficit hostias esse in ara consecrata tantum dum consecrantur, verum etiam debent, tam parvae quam major, in eadem ara relinqui tempore Sacrificii, et non alibi deponi, quia omnes sunt una victima et per modum unius offeruntur: unde esset saltem veniale, peracta consecratione, mox hostias minores dare alteri Sacerdoti ut distribuat populo, sed distribui debent postquam celebrans hostiam magnam sumpserit. S. Alph., L. VI, 383. S. R. C., 11 maji 1878, n. 3448 ad VII.

vel in plures notabiles partes divisa, ac proinde continuationem, integritatem et substantialem unitatem amittat, quod accidit semper ac pars divulsa per fracturam, ex illis sit in quibus peculiares unctiones fuerunt adhibitae; 2° si, cum sit fixum, lapis consecratus removeatur ab inferiori structura, non autem si integrum altare in alium locum transferatur; 3° si auferantur reliquiae, vel amoveantur; 4° si frangatur repositorium reliquiarum, quod Sepulcrum dicimus. — In dubio an altare sit execratum, erit iterum consecrandum.

Celebrare sine altari, vel in altari non consecrato, grave est, quia gravis irreverentia Sacrificio infertur, excepto unico casu ob metum mortis ad quam evadendam licet celebrare; secluso tamen contemptu [1].

380. — *Q.* Quaenam requiruntur ad *ornatum* Altaris?

R. Altare ornatum esse debet:

1. *Tribus mappis* seu tobaleis confectis ex lino vel cannabe, et non ex alia materia. — Mappae debent esse benedictae, sed hoc sub levi, vel ab Episcopo, vel ab alio delegato; et debent esse mundae, unde graviter peccaret Sacerdos si enormiter immundis uteretur, ob gravem in tantum Sacramentum irreverentiam. — Mappae debent esse tres, superior saltem ita oblonga ut fere usque ad terram pertingat, aliae duae breviores, vel una duplicata. Celebrare sine ulla mappa censetur peccatum mortale, a quo gravis tamen necessitas excusat; at celebrare cum duabus mappis vel una duplicata, erit tantum veniale.

2. *Cruce* cum imagine Crucifixi visibilis ac talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniat celebrantis et populi. Ita ex Rubrica Missalis et pluribus S. R. C. decretis; neque sufficit parva crux super tabernaculum vel super minorem tabulam *(sottoquadro)* posita [2]. Si tamen in altari adesset imago Crucifixi, sive sculpta sive depicta, non requiritur alia crux, ex Const. *Accepimus* Bened. XIV, 16 jul. 1746. — Si vero celebratur in altari ubi est expositum SS. Sacramentum, crux exponitur vel non juxta dioecesis consuetudinem [3]. — Nullum autem adest praeceptum ut Crux sit benedicta [4]. Idem dicendum de omnibus imaginibus in altari collocandis. — Celebrare autem sine cruce Th. communiter dicunt esse solum veniale.

3. *Duobus saltem candelabris cum candelis accensis*, hinc et inde in utroque latere. Attamen etiam in missa privata possunt accendi plures candelae quam a rubrica prescribuntur, ob alicujus festi solemnitatem, vel ob devotionem; non vero ob celebrantis dignitatem, nisi sit Cardinalis aut Episcopus, qui soli jus habent celebrandi cum quatuor candelis accensis [5]. — Candelae debent esse ex cera; in necessitate tamen (et non ex sola devotione), praeciso scandalo, sufficit una ex sebo, vel lucerna, aut lampas ex oleo. — Celebrare sine luminibus est grave, nec licet etiam ad Viaticum ministrandum [6]. Si autem ante consecrationem lumina deficiant cessandum est a Sacrificio, secus si

[1] S. Alph., L. VI, 289.
[2] S. R. C., 17 sept. 1882, n. 2621 ad 7.
[3] S. R. C., 2 sept. 1741, n. 2365, ad 1.
[4] S. R. C., 12 jul. 1704, n. 2143 ad 1.
[5] S. R. C., 24 sept. 1850, n. 2984.
[6] Vid. *Génicot*, II, 246.

post consecrationem: quo in casu melius est, etsi candelae paulo serius reaccendi possint, continuare Sacrificium sine mora, quia talis continuatio ad unitatem Sacrificii pertinet.

NOTA: Super altare tempore Missae requiritur, et quidem sub gravi, *Missale* continens saltem Canonem. Posset tamen ex gravi causa Sacerdos celebrare sine missali, si hoc facile haberi nequeat, et ob praeteritam experientiam absit morale periculum errandi. Unde licite celebrat Sacerdos qui ob visus debilitatem memoriter missam recitat, modo discernat calicem et hostiam quantum sufficit ad evitandam irreverentiam et habeat, ad notam effugiendam, missale in altari, vel alium librum loco ipsius. Sacerdoti vero penitus caeco illicitum est celebrare sine Pontificis dispensatione—Demum super altare nihil omnino ponatur, quod ad Sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat. Ita Rubr. Missalis (tit. XX).

381. — *Q.* Quid de *vasibus* sacris, eorumque accessoriis?

R. — 1. Vasa sacra ad Missae celebrationem necessaria sunt *Calix* et *Patena*, quae debent esse auro vel argento confecta; vel saltem Calix habere debet cuppam argenteam intus inauratam. In casu tamen necessitatis Episcopus usum calicis et patenae *ex stamno* permittere potest. Prohibetur tamen Calix cum cuppa ex aere aut auricalco, propter rubiginem [1]; sed Patena permitti posse videtur, dummodo habeat superficiem inauratam, quia rubricae tantum de Calicis materia directe loquuntur [2].

Calix et patena ab Episcopo consecrata esse debent, et hoc sub gravi. Consecrationem autem amittit Calix si cuppa separetur a pede, quando est pedi fixa, non vero si pes est tornatilis et de se separabilis; item consecrationem amittit si notabiliter frangatur, vel denuo inauretur, vel profano usui ab haereticis adhibeatur. Idem dic de Patena. Ita C. S. Off. anno 1674.

NOTA: Calix et patena non recipiunt consecrationem ex eo quod aliquis, etiam bona fide, celebravit in illis nondum consecratis, quia tantum per consecrationem deputantur [3].

2. Inter accessoria vasorum sacrorum veniunt *corporale*, *palla*, *purificatorium*, *velum et bursa*.

Corporale et palla debent esse ex lino vel cannabe confecta, neque serico aut auro in medio contexta: [4] reverentia vero Sacramento debita requirit ut sint omnino munda; et graviter peccaret qui celebraret in corporali enormiter immundo. Insuper debent esse benedicta ab Episcopo vel ab

[1] S. R. C., 16 sept. 1865, n. 3136.
[2] Cf. *Génicot*, II, 247; *Aertnys*, L. IV, 141.
[3] S. Alph., L. VI, 380. — Inter vasa sacra quoque veniunt *Pixis* et *Lunula* ostensorii, quibus et ipsum *Ostensorium* adnumerari potest. Haec autem permittuntur ex cupro deaurato. S. R. C. 31 aug. 1867, n. 3162 ad 6.—Pixis et Lunula, ut communiter docent Th., non sunt consecrandae, sed probabilius benedicendae ab Episcopo vel Sacerdote facultatem habente. Ostensorium vero, licet non sit absolute benedicendum, laudabiliter tamen benedicitur.
[4] Potest in Sacrificio missae uti palla a parte superiori drappo serico cooperta, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, et pannus superior non sit nigri coloris nec referat aliqua mortis signa. S. R. C., 17 jul. 1894, n. 3822 ad VI.

habente facultatem. Post lotionem vero non sunt iterum benedicenda, nisi notabiliter rumpantur.

Celebrare sine corporali aut cum eo non benedicto esset mortale, nisi gravis urgeat necessitas. An vero sit mortale celebrare sine palla, aut cum ea non benedicta, disputatur. Unde si palla desit, aut per quadrantem expectari debeat, poterit ejus loco adhiberi vel aliud corporale, vel, ejus defectu, purificatorium aut bursa.

Purificatorium vero, quod lineum quoque esse debet, non est necesse ut sit benedictum, quamquam licite benedici possit [1]. Si facile haberi nequit purificatorium, probabiliter licet sine ipso celebrare, ejusque loco adhiberi potest strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur [2].

Denique requiritur *Velum* sericum quo calix totus a parte anteriori cooperiri debet, tam in principio Missae quam post Communionem; et *Bursa* in qua ponatur Corporale plicatum [3]. — Velum et bursa debent esse coloris paramentorum, nec sunt seorsim benedicenda.

382. — *Q.* Quinam licite tangere possunt vasa sacra?

R. — 1. Si ipsa continent SS. Sacramentum, soli Sacerdotes aut diaconi ea tangere possunt, et peccarent graviter alii qui ipsa tangerent extra casum necessitatis, puta periculum profanationis.

2. Si sunt vacua, possunt ea tangere subdiaconi, acolythi, et ex consuetudine alii clerici, et etiam regulares et moniales sacristae, ex privilegio, non tamen infra missam [4]; ceteri vero qui ipsa sine justa causa tangerent peccarent, sed venialiter tantum, secluso contemptu et scandalo. Quod dictum est de tactu sacrorum vasorum, dicendum est de tactu corporalium, postquam adhibita sunt. — Dixi *sine justa causa;* hinc licite ea tangere possunt, v. g., artifices cum adest justa causa ea instaurandi, inaurandi, etc.

383. — *Q.* Quaenam *vestes* sacrae requiruntur ad celebrationem missae, et quaenam earum necessitas?

R. Ad celebrationem missae requiruntur: *amictus, alba, cingulum, manipulus, stola* et *casula* seu *planeta* [5].

Vestes sacrae sub gravi requi-

[1] S. R. C., 7 sept. 1816, n. 2572 ad 12.

[2] Quoad lotionem corporalium, parvarum pallarum et purificatoriorum, Clemens Papa duo statuit: 1° Quod prima lotio fieri debeat a diaconis vel a subdiaconis, quia est peculiare ipsorum officium; et peccaret venialiter laicus qui nulla interveniente justa causa, primam lotionem perageret. An vero haec fieri possit a clerico tonsurato, disp. Th. Secunda autem et tertia lotio convenientius est ut fiat etiam a persona sacrata, sed potest fieri etiam a persona laica. 2° Quod aqua lotionis in sacrarium projiciatur, et huic dispositioni nulla contraria consuetudine derogari potest. S. Alph. L. VI, 387.

[3] S. R. C., 12 jan. 1669, n. 1379; 13 sept. 1704, n. 2146.

[4] Decr. gen. S. R. C., 14 mar. 1906.

[5] *Amictus*, a voce *amicire*, seu cooperire, *allegorice* velamen faciei Christi, vel coronam spineam significat; *sensu morali* galeam salutis contra diabolicos incursus.

Alba, a suo colore sic dicta, vestem albam, qua Christus ab Herode fuit indutus, repraesentat; et *sensu morali* est symbolum innocentiae, qua altari ministrantes fulgere debent.

Cingulum est appendix albae, quam decenter aptat ne diffluat et gressum impediat. *Allegorice* funes et flagella, quae Christi corpus ambierunt, denotat;

runtur ; unde Th. dicunt : 1° esse mortale celebrare sine ulla veste sacra, nisi forte in casu vitandi mortem, secluso contemptu ; 2° esse mortale celebrare sine casula, quod pariter plures dicunt de stola ; in casu tamen gravis necessitatis, uti Viatici, probabilius licet celebrare sine stola vel sine manipulo ; vel uti stola loco manipuli, aut vicissim ; 3° celebrare sine amictu probabilius esse tantum leve, imo ne leve quidem si adsit rationabilis causa celebrandi, qualis esset etiam sola celebrantis devotio [1].

384. — *Q.* Quanam materia vestes sacrae confici debent ?

R. Planetae conficiendae sunt ex pannis sericis, vel argenteis, ratione pretiositatis [2], aliisque juxta probatam consuetudinem, vi cujus tolerantur etiam ex auro intertextae ; at confici nequeunt ex tela linea, vel gossypio (vulgo *percalle),* quamvis coloribus praescriptis tincta, neque ex lana [3].—Attenta vero ecclesiarum paupertate, tolerari possunt sacra paramenta ex semiserico, scilicet ex panno qui a parte externa et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, sed habet operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel lino [4].

Cingulum esse potest sericum vel laneum, sed congruentius erit lineum, uti declaravit S. R. C. (22 jan. 1701, n. 2067 ad 7 ; 23 dec. 1862, n. 3118).

Cetera sacra indumenta et supellectiles, idest *amictus, albae,* altaris *mappae, corporalia, pallae* et *purificatoria* conficienda plene sunt ex lino vel cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi haec munditia, candore, ac densitate linum aut cannabem aemuletur vel exaequet [5]. — In fimbriis et manicis albarum aliarumque vestium, sub velo transparenti fundum rubri coloris apponere nunc permittitur [6].

Vestes profanae ex materia congruenti ad sacrum usum licite quidem applicari possunt ; quoniam quidquid mundani contraxerint nova confectione ac benedictione abstergitur. E contra, sacra indumenta, etsi benedictionem amiserunt, vel tunicam inconsutilem, qua milites Eum exuerunt, quando cruci affigendus erat ; *sensu morali* vestem nuptialem denotat, seu caritatem quae omnia tegit. Cfr. Card. Bona, *Tract. ascet.*, c. 5, § 2.

sensu morali est signum castitatis, ut patet ex oratione : *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis,* etc.

Manipulus ita dictus a manu qua portatur, *allegorice* significat funes quibus manus Christi ligatae fuerunt ; *sensu morali* dolorem et poenitentiam, laborem et bona opera repraesentat : et proinde in brachio sinistro collocatur, non solum ut dextera expeditior sit, sed etiam quia dolor et labor congruunt praesenti vitae, quae per sinistram denotatur.

Stola significat funes Christi collo injectos, vel crucem humeris impositam ; *sensu morali* jugum Domini et obedientiam christianam exprimit.

Casula, ita dicta quia olim tanquam parva casa totum corpus tegebat, vel etiam *Planeta,* quia erat versatilis circa corpus, repraesentat purpureum vestimentum, quo milites Christum indue-

[1] S. Alph., L. VI, 377.

[2] S. R. C., 20 nov. 1885, n. 3646.

[3] S. R. C., 23 sept. 1837, n. 2769 ad V.

[4] S. R. C., 23 martii 1882, n. 3543. — Permittitur tamen tessutum nuper inventum *Gelsolino* dictum (S. R. C., 21 apr. 1893, n. 3796).

[5] S. R. C., 15 maji 1819, n. 2600. — Quamvis Rubricae et decreta nihil de rocheto et superpelliceo statuant, videntur tamen ex eadem materia conficienda ac alba, cujus usum supplent ac tenent. Ita compendiosa Bibliotheca Liturgica. Pars I, art. VII.

[6] S. R. C., 12 jul. 1892, n. 3780 ad V.

rint, in usus profanos converti nullo pacto Ecclesiae canones sinunt. Quocirca ex iis alia conficienda sunt sacra paramenta, vel comburenda ac cineres in sacrarium projiciendae.

385.—*Q.* Vestes sacrae cujus coloris esse debent?

R. Vestes sacrae, ex Rubrica, debent esse coloris convenientis officio et missae diei; at hoc probabilius solum sub levi, secluso contemptu et scandalo, ut esset color niger in die Paschae: unde, secluso scandalo, satius est quocumque die Sacrum facere in quocumque colore quam illud omittere [1]. — Ecclesia Romana quinque coloribus uti consuevit: *albo, rubeo, viridi, violaceo,* et *nigro;* propterea prohibentur paramenta flavi vel coerulei coloris. Sed permittuntur paramenta ex *tela aurea* confecta, quae pro colore albo rubro et viridi adhiberi possunt [2]. Non reprobatur quidem admixtio aliorum colorum per modum ornamenti, dummodo unus color sit vere praedominans.

386. — *Q.* Vestes sacrae debent ne esse benedictae?

R. Paramenta, idest amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et casula, sunt ex gravi praecepto benedicenda ab Episcopo vel a Sacerdote delegato.

Velum autem calicis et bursa, nec non pluviale, dalmatica, tunicellae, rochetum et superpelliceum ex congruentia dumtaxat benedicuntur.

Vestes sacrae benedictionem amittunt si amplius non retinent formam sub qua fuerunt benedictae; vel si ineptae reddantur ministerio cui sunt designatae, uti si notabiliter et indecore scindantur; secus vero si solum paullatim reficiantur, adjuncta etiam parte non benedicta, modo minor sit. Si paramenta sacra ad usum profanum adhibeantur, peccatum quidem aderit, sed benedictionem nequaquam amittunt; quod enim semel est benedictum, tale manet quamdiu in eadem forma perseverat, nisi aliter in jure exprimatur. — Amittitur benedictio albae si manicae ab ea sejungantur; item cinguli, si obrumpatur, quatenus nimirum nulla pars sufficiat ad cingendum, una autem sufficiente potest ei altera connecti; item ammittitur benedictio si ex paramentis benedictis alia nova efformentur, v. g. amictus ex alba, stola aut manipulus ex casula.

Nota: Vestes sacrae non debent sumi de altari, hoc enim competit solis Episcopis: deficiente vero sacristia, aut mensa ad hoc praeparata, possunt collocari super altare, sed in cornu Evangelii.

387. — *Q.* Quid de *ministro* inserviente?

R. Ad missae celebrationem requiritur minister inserviens, et hoc sub gravi. In necessitate tamen gravi, v. g. dandi Viaticum vel celebrandi missam in die festo, vel in necessitate perficiendi Sacrificium, puta si inserviens missa incoepta discesserit, vel in casu quo adsit dispensatio Summi Pontificis, potest quis sibi respondere. — Nec celebrans scrupulum sibi ingerat si minister male pronunciet, nec facile corrigat errores, ne turbet se ipsum et circumstantes vel ordinem missae [3].

[1] *Del Vecchio*, II, 565.
[2] S. R. C., 5 dec. 1868, n. 3191.
[3] Curandum tamen ut pueri instruantur, eos etiam aliquo praemio alliciendo ad hoc ut decenter ac rite Missis inserviant prout tantum ministerium decet.

Minister debet esse masculus, et urgente necessitate satius erit, ait Layman apud S. Alph., celebrare sine ministro, quam cum foemina ministrante. — An vero possit Sacerdos, omnibus prius sibi commode dispositis quae ad sacrificium occurrere possunt ne mulier inserviat altari, uti ministerio mulieris tantum *pro responsis,* S. R. C., respondit: *Affirmative urgente necessitate* [1]. Sufficit autem necessitas levis, unde absque necessitate celebrare cum muliere *respondente* non excedit peccatum veniale, ut communiter docent Th.; esset autem mortale si celebrans sineret foeminam immediate ministrare ad altare, puta urceolos proferendo [2].

Art. II.

De Rubricis Missalis.

388. — *Q.* Quaenam obligatio rubricarum?

R. Rubricae Missalis, quoad ea quae in Missa sunt dicenda vel agenda, sunt *praeceptivae;* ideoque peccaret mortaliter qui illas in notabili quantitate, vel cum scandalo, vel ex contemptu, vel sub gravi praeceptas omitteret.

Orationes ad missae preparationem, pro commoditate Sacerdotis appositae, sunt *directivae* tantum, et non praeceptivae. Sacerdos tamen *celebraturus aliquantulum orationi vacet*, ita ex Rubrica; quod multo magis valet quoad gratiarum actionem, absoluta missa. Quare omissio praeparationis ad missam vel gratiarum actionis absque justa causa erit peccatum leve; et si omissio sit habitualis, aperta et continua, vix excusari posse videtur a gravi culpa ob gravissimum saltem fidelium scandalum [3].

Preces quae dicuntur dum Sacerdos vestes sacras induit praeceptivae sunt, unde qui illas omitteret, peccaret venialiter. Ita Th. communiter.

389. — *Q.* Quodnam peccatum committit qui in Missa aliquid omitteret, adderet vel mutaret?

R. Praemitto: Partes Missae aliae sunt *ordinariae,* quae nempe in omni missa semper dicuntur vel aguntur; aliae sunt *extraordinariae,* quae nempe non dicuntur vel aguntur in omni Missa. Hoc posito:

I. Quoad *omissionem,* si agatur de partibus Missae *ordinariis,* omissio, sive de iis quae sunt dicenda sive de iis quae sunt agenda, erit gravis si materia sit notabilis: sic, v. g., erit mortale omittere in Canone quamlibet orationem, vel *Pater noster*, vel fractionem hostiae cum illius mixtione in calice, vel purificationem patenae et calicis post sumptionem, vel octo aut decem verba Canonis [4]. Sic pariter erit mortale extra Canonem omittere totum Introitum, seu Confessionem cum suo Psalmo, etc., vel duas ex collectis principalibus, vel Epistolam,

In Missis *privatis* permitti nequit ministro aperire Missale et invenire Missam quamvis minister sit sacerdos, vel subdiaconus (S. R. C., 7 sept. 1816).

In missa cum cantu sed sine adsistentia sacrorum ministrorum non licet thurificationem peragere (S. R. C., 19 aug. 1651, n. 637 ad 3); et si nullus sit clericus qui superpelliceo indutus Epistolam cantet, juxta Rubricas, satius erit ut Epistola legatur sine cantu ab ipso Celebrante. (23 apr. 1875, n. 3350).

[1] 18 mart. 1899, n. 4015 ad VI.
[2] S. Alph., L. VI, 392.
[3] *Del Vecchio*, II, 567.
[4] Cf. *Génicot*, II, 251.

Evangelium, Offertorium, vel infusionem aquae in vino consecrando. — Veniale autem erit omittere tantum psalmum *Judica, Kyrie eleison*, unam ex collectis, unam vel alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum; et idem probabiliter De Lugo et alii dicunt de Evangelio S. Joannis.

Si vero agatur de partibus *extraordinariis*, illarum omissio non erit peccatum mortale nisi simul sumptae materiam notabilem constituant. Sic veniale tantum esset omittere *Gloria*, vel *Credo*, vel *Sequentiam*, aut *Tractum*, vel mutare *Praefatium*, aut *Communicantes*, vel *Hanc igitur* etc., cum propria sint.

2. Quoad *additionem*, certum est mortaliter peccare qui aliquid adderet in Missa animo introducendi novum ritum; nam S. Pius V vetat *ne quis in Missae celebratione alias caeremonias vel preces addere vel recitare praesumat.* Item peccat graviter qui aliquid adderet quod gravem deordinationem afferret, v. g. *Gloria* et *Credo* in Missa de Requie. — Si vero aliquid leve addatur ex indiscreta devotione, praesertim si secreto recitetur, veniale erit.

3. Quoad *mutationem* vero, hic spectat praesertim *sonum vocis* variare. Quare peccat venialiter qui alte recitat quae submisse sunt recitanda, vel vicissim, ita ut a circumstantibus audiri non valeant. Peccat mortaliter qui verba consecrationis ita submisse profert ut seipsum, nulla impediente causa, audire nequeat, quia dicunt nonnulli quod ad orationem vocalem requiritur sonus; ergo qui se non audit, dubium est an proferat verba, et sic Sacrificium exponit periculo nullitatis. Item dicunt peccare etiam mortaliter qui ita alte verba consecrationis proferret, ut ad magnam distantiam audiri possint, puta ad 40 passus.

Tandem quoad *caeremonias* in missa peragendas, ipsae debito modo et cum magna devotione, tum interna tum externa, peragendae sunt. Unde *per se* veniale est omittere, vel imperfecte et perperam facere benedictiones, inclinationes, genuflexiones, manuum elevationes, etc., prout in Rubrica praescribuntur. Imo possunt hujusmodi transgressiones esse mortale, si quis has caeremonias perturbaret in notabili quantitate, vel habitualiter et cum populi admiratione eas inconcinne perageret [1]*.

[1] Cfr. S. Alph., L. VI, 400.

* *De quibusdam servandis ante missam, in missa et post missam.* — 1° Lotio manuum ante missam ipso naturali praecepto necessaria est si graviter sordidae sint: an vero jus positivum obliget saltem sub levi, disp. Th.. Post missam vero lotio omitti potest absque peccato quia nulla lege praecipitur. — Sacerdos ante Missam debet manus integras lavare, si sordidae sunt; si mundae, non requiritur quod tota physica manus lavetur, quum id rubrica Missalis non praescribat; non sufficit tamen lavare solas extremitates indicis et pollicis, ut patet conferentibus verba praescribentia lotionem faciendam ante Missam cum verbis quae lotionem praecipiunt in Missa faciendam.

2° Illicitum est celebrare capite cooperto pileolo aut coma adscititia sine licentia Ap. Sedis: utrum sub gravi, secluso scandalo et gravi incommodo, non satis convenit. Accedere autem ad altare cum baculo si alias non valeas, vel celebrare brachiis innixum super altari si erectus stare nequeas, etiam ex devotione tantum, aut nulla aut vix aliqua culpa est. *D'Annibale*, III, 412 (44).

3° Sacerdos Missam celebraturus trans-

390. — *Q.* In utraque purificatione potest ne aqua adhiberi loco vini?

R. Regulariter observanda est pro viribus Rubrica Missalis, praesertim in prima calicis purificatione, nisi adsit speciale indultum (S. R. C., 5 mart. 1847, n. 2947). Qui vero sola aqua in secunda purificatione uteretur peccaret tantum venialiter, imo nec venialiter si adsit rationabilis causa, puta si Sacerdos sit abstemius, vel vinum sit rubeum unde purificatoria indecenter maculata evaderent [1].

391. — *Q.* Licet ne aliquando missam interrumpere?

R. Missa dicenda est continue. Attamen licet eam interrumpere ex causa justa; quae, Canone nondum coepto, gravis esse debet, ut ecce si concio habenda sit post Evangelium aut ante communionem populi, vel si ecclesia polluatur aut vitandus superveniat, vel si supervenerit princeps, aut Episcopus, aut turba peregrinorum, vel processio, quo in casu licet Missam iterum inchoare. Canone vero incoepto, causa gravior esse debet, v. g. si Extrema Unctio danda sit moribundo cui nullum aliud Sacramentum conferri potuit; facta autem consecratione, causa debet esse gravissima, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus; pro aliis sacramentis vero non licet inter consecrationem et sumptionem missam interrumpere [2].

His in casibus animadvertendum est quod si Missa interrupta fuit *ante consecrationem* et interruptio brevis sit, nempe minus quam unius horae, missa resumenda est ubi desiit; post horam missa vel est relinquenda, vel iterum inchoanda, cum amplius dici nequeat moraliter una. — Si vero interrupta fuit *post consecrationem*, missa resumenda est etiam post duas horas et amplius, nam integritas Sacri majoris temporis diuturnitatem admittit, dummodo sit ante meridiem; et resumenda est ab eo loco ubi intermissa fuit. Si autem esset post meridiem, et

iens ante altare majus, capite cooperto, faciat ad illud reverentiam; ante locum Sacramenti genuflectat; ante altare ubi celebratur missa in qua elevatur vel tunc ministratur aut in quo publice est expositum SS. Sacram. genuflectat utroque genu, deinde caput detegat, adoret, cooperiat caput et surgat si fiat populi communio aut sit expositum SS. Sacram. (S. R. C., 5 jul. 1698, n. 2002 ad 14; n. 2390 ad 4); si vero fiat elevatio non ante surgat quam celebrans deposuerit calicem super corporale (Rubr. Miss.). — *Pro praxi* calicem deferens utrumque flectat genu, inde deponat biretum ita illud tenens ut tota manus cum parte aperta bireti sit versus sacerdotem, et pars inversa ejusdem manus supra calicem. postea profunde caput inclinet, deinde ponat biretum in capite et surgat. Ita ex Cavalieri, Merati, etc. Diximus *calicem deferens;* nam si celebrans procederet ad Missam absque illo, debet deponere biretum ante genuflexionem, inde surgere, ac postea biretum in capite ponere.

4° Si antequam Sacerdos inceperit dicere *In Nomine Patris* etc., aut postquam Missam finierit in aliquo vicino altari fiat Elevatio SS. Sacramenti, ipse debet utroque genu in loco, in quo est, flectere, donec calix super altare depositus fuerit; si autem inceperit dicere *In Nomine Patris*, non debet advertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi missam suam usque ad finem. Ita communiter Rubricistae.

[1] S. Alph., L. VI, 408.

[2] S. Alph., L. VI, 352. — Attamen si moriturus prope sit, poterit ei Viaticum ministrari, dummodo sacerdos sacras vestes exuere non debeat nec altare e conspectu suo amittat, ut in casu Viatici administrandi in Xenodochiis, monuit S. R. C., 19 dec. 1829, n. 2672 ad 1.

tempus permissum ad celebrandum transegisset, tunc recondantur sacrae species in Tabernaculo, et cras in missa post sumptionem consumantur [1].

392. — *Q.* Si missa fuit ab uno Sacerdote interrupta, est ne ab alio supplenda?

R. Distinguo: Si missa interrupta fuit *ante consecrationem*, nihil per alium suppleri debet.

Si *post consecrationem* etiam unius tantum speciei, tunc supplere debet sacerdos jejunus, si adsit, alias etiam non jejunus, cum urgeat majus praeceptum de integritate sacrificii; et etiam sacerdos excommunicatus atque irregularis supplere debet, si alii desint et ipse possit sine gravissimo incommodo.

Si deficiat *post sumptionem solius Corporis Christi*, tunc calix ab alio esset sumendus. Ultra horam tamen non est quaerendus qui suppleat, quia jam sacrificium communius non censetur unum.

Si autem sacrificium posset suppleri ab eodem sacerdote, melius hoc esset quam suppleri ab alio, etiamsi ille non esset jejunus [2].

393. — *Q.* Per quod temporis spatium missa lecta durare debet?

R. Bened. XIV hanc regulam generalem dedit: *Nec breviorem esse triente, nec longiorem dimidia hora debere esse missam, quia breviori spatio non possunt omnia debito honore peragi, et longiori taedio esset adstantibus.*

Unde a mortali non excusabitur Sacerdos qui missam quadrante breviorem solverit, juxta notos versus: *Uno si fuerit brevior tua missa quadrante — mortalis culpae crederis esse reus;* quia Sacerdos tam festinanter celebrando necessario reus erit tum gravis irreverentiae erga Sacramentum, tum gravis scandali erga populum. Ita S. Alph. [3].

ART. III.

De Missa a Sacerdote dicenda et de orationibus praeceptis.

394. — *Q.* Quaenam missa dicenda est?

R. — 1. Omnes sacerdotes *ritus latini*, sive regulares sive saeculares, Missam omnino celebrare debent juxta Missale Rom. a S. Pio V editum; neque licet cuipiam uti aliis missalibus, vel alias orationes ac preces recitare quam illas quae in ipso Miss. Rom. habentur, et modo quo in ipso prostant. Excipiuntur tamen religiosi Ordines et Ecclesiae quae jam 200 annis ante reformationem Missalis, ex speciali S. Sedis privilegio, vel legitima et non interrupta consuetudine Missali proprio utebantur. — Hinc sacerdos ritus romani graviter peccaret si uteretur Missali alicujus Ecclesiae vel Ordinis religiosi proprio, dicendo Missam diversi ritus, puta Ambrosiani.

2. Missam quotidie celebrari debet juxta ordinem calendarii, ut cum Officio concordet, in festis saltem ritus duplicis et dominicis. In festis autem ritus semiduplicis et feriis, exceptis feriis privile-

[1] Sacerdoti celebranti in sacello valetudinarii non licet post sumptionem pergere ad cellulas infirmorum ut eis communionem aut Viaticum praebeat, sed reservare debet particulas ut post missam id praestet. S. R. C., 24 maji 1860, n. 3099, dub. I

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. XV, 54.

[3] S. Alph., L. VI, 400. — Vid. etiam *Marc*, n. 1641.

giatis, legi vel cantari potest Missa votiva vel de *Requiem*. — Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa: et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat (Rubr. Miss., tit. IV).

3. Quando Missa celebratur in Ecclesia vel publico Oratorio cujus calendarium non convenit cum Officio celebrantis, servari debet ab omnibus sequens decretum gen. S. R. C., quo generalis regula statuitur:

« Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad Ecclesiam vel ad Oratorium publicum confluentes Missas cum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes [1], sive illae in Romano sive in Regularium Missali contineantur, exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia vel Oratorio Officium ritus semiduplicis vel inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit missam de requie peragere, aut votivam, vel etiam de occurrente feria [2]; iis tamen exceptis diebus in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani, vel S. R. C. Decreta prohibent ». (S. R. C., 9 jul. 1895, n. 3862) [3].

[1] Conformitas Missae pro celebrante in aliena Ecclesia cum Officio Ecclesiae ita perfecta esse debet ut si idem sit officium sed missa celebrantis sit propria, et missa Ecclesiae (ubi celebrat) de Communi, hanc legere teneatur; quod si missa celebrantis sit de Communi et Ecclesiae sit propria haec ab illo legi debet.

[2] Imo in tali casu si Celebrantis Officium est de semiduplici vel de quocumque duplici, ejus missa est festiva et non votiva nec more votivo dicenda. (S. R. C., 14 mart. 1896, n. 3892 ad V). Attamen ille celebrans eadem fruitur libertate qua quivis Sacerdos eidem Ecclesiae addictus.

[3] *De Missa solemni et privata pro expositione vel tempore expositionis SS. Sacramenti.*

1° Pro expositione et repositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum, diebus infra non exceptis, et ubi non existit obligatio Chori, canitur Missa votiva SS. Sacramenti cum Gloria, unica oratione (omissa qualibet comm. et collecta), Credo, Praefatione de Nativitate, et Evangelio sancti Joannis in fine: ubi vero adest obligatio Chori, alia etiam est canenda vel dicenda Missa de die, prout alias celebrari solet.

2° Infra Octavam SS. Corporis Christi missa erit de eadem Octava cum Sequentia et unica Oratione absque commemorationibus et collectis.

3° In Dominicis vero privilegiatis primae et secundae classis, in Festis pariter primae et secundae classis, Feria IV Cinerum, Feriis secunda, tertia et quarta Majoris hebdomadae (a mane enim Feriae V ad mane Sabbati S. a praedicta expositione omnino cessandum), omnibus diebus Octavae Paschae, Pentecostes, et Epiphaniae, vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, nec non Octava propria privilegiata, canenda est missa diei occurrentis cum oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione, omissis collectis et commemorationibus. Quod si festum aliquod 1ae vel 2ae classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco, sub distincta conclusione fit commemoratio Dominicae et dicitur ejus Evangelium in fine (S. R. C., 18 maji 1883, n. 3574 ad. dub. V).

4° Missa privata tempore expositionis dicitur de festo occurrenti, cum commemorationibus occurrentibus, postea additur comm. SS. Sacramenti, dein collectae si quae sint, cum Praef. communi seu de tempore vel de Octava.

5° In duplicibus 1ae classis et in Vigil. Nativ. D. N. et Pentecostes omittitur Collecta SS. Sacram.. In duplicibus 2ae classis dici potest ad libitum Sacerdotis.

6° Diebus autem a Rubrica permissis conveniens esset dicere missam votivam SS. Sacramenti quae celebratur cum paramentis coloris albi sine Gl. et sine Cr. cum secunda Oratione diei currentis; tertia quae secundo loco dicenda esset; Praefat. Nativ. et *Benedicamus Domino* in fine.

7° In Missa expositionis semper adjun-

395. — *Q.* Quot et quae Orationes dicendae sunt in Missa?

R. — **1.** In festis ritus duplicis *per se* una tantum dici debet Oratio quae Missae respondet, nisi adsint aliquae Commemorationes faciendae, vel Collectae ab Ordinario imperatae, exceptis tamen diebus solemnioribus.

2. In semiduplici nec minus quam tres Orationes nec plures dicuntur, nisi Rubrica aut Ordinarii mandatum aliter voluerit. At in Dominica infra Octavas duae tantum dicuntur Orationes, pride Dominica, secunda de Octava, nisi occurrat aliqua Commemoratio *(Rubr. Miss.)*.

3. In simplicibus, in Feriis et in Missis votivis privatis, nisi aliter in proprio loco notetur, non dicuntur minus quam tres Orationes, sed plures addi possunt ad arbitrium celebrantis, puta 5 vel 7 (Ita ex Rubr. gen. Miss., tit. IX). Notandum tamen quod si Orationes de Rubrica vel de Ordinarii mandato sint numero pares celebrans non tenetur ad aliam addendam; si vero aliquas addit ad suam devotionem, servare debet numeri imparitatem (*S.R.C.*)[1]

genda est collecta ejusdem SS. Sacramenti quae in dupl. 1ae et 2ae classis dicitur sub unica conclusione. Quod si missae adjungatur aliqua commemoratio, tunc dicitur sub altera conclusione.

8° Quoad fieri potest missae privatae non sunt celebrandae ad altare Expositionis; si autem ex aliqua gravi causa celebrentur, adamussim servandae rubricae de missa coram SS. Sacramento exposito.

9° Missae de Requie non dicuntur in Ecclesiis ubi fit solemnis Expositio SS. Sacramenti, excepta die 2 novembris, qua die in iis Ecclesiis licet celebrare missas de Requie cum paramentis violaceis: semper tamen excipitur altare Expositionis, in quo etiam ea die vetantur missae de Requie; sed dicendae vel de octava occurrente cum commemorationibus a rubrica praescriptis, addita commem. SS. Sacramenti, et collectis, vel votiva SS. Sacramenti cum commem. Octavae et aliis comm. et collectis eo die faciendis. Haec autem missa votiva dicitur ut aliae missae votivae, sine Gloria, secunda Oratio de die, tertia quae secundo loco eadem die esset dicenda, sine Credo, Praefat. de Nativitate, Evangelium S. Joannis in fine.

10° In missis privatis, quae dicuntur tempore Expositionis, non pulsatur campanula ad *Sanctus* et ad utramque Elevationem; permittitur tamen pulsari campanula cum Sacerdos sacris indutus e sacrario exit ad celebrandum (S. R. C., 31 aug. 1867, n. 3157).

11° Sacerdos celebraturus in Ecclesia ubi fit solemnis Expositio SS. Sacramenti, pergit ad celebrandum capite tecto prout alias; cum venerit ante altare Expositionis, genuflectit utroque genu, detegit caput, adorat profunde caput inclinans, deinde tegit caput, surgit et procedit ad altare, ac omnia perficit more consueto.

12° In Missa Expositionis SS. Sacramenti pro Orat. XL Horar., cooperiendum non est velo Ostensorium cum SS. Eucharistia postquam Sacerdos sumpsit Sanguinem, sed ad finem usque missae super mensam remanere debet, nullo desuper apposito velo (S. R. C., 29 martii 1851, n. 2990 ad 2).

13° In Expositionibus SS. Sacramenti sive pro Orat. XL Horar. sive alia quavis de causa, amovendae sunt tres tabellae ab Altari Expositionis, quas Rubricae ad Celebrantis commoditatem exigunt in missae celebratione, excepto Missae tempore (S. R. C., 20 decemb. 1864, n. 3130 ad III).

14° Ante Ostiolum Tabernaculi SS. Sacramenti non licet retineri vas florum vel aliquid simile, potest tantum in humiliori et decentiori loco (S. R. C., 22 jan. 1701, n. 2067).

Nota: In processione SS. Sacramenti, mane fiat aut vespere, Sacerdos celebrans etsi Canonicus indui debet amicto, alba, cingulo, stola et pluviali, et non rocheto aut superpelliceo tantum; Diaconus et Subdiaconus induti esse debent ut in Missa, dempto manipulo (S. R. C., 29 nov. 1856, n. 3039 ad 3).

[1] *De collectis addendis* — Circa *collectas*, quae praescribuntur ab Ordinariis, haec duo animadvertas: *1°* Dicen-

396. — *Q.* Missa defunctorum quibus diebus celebrari potest?

R.—**1.** Missae defunctorum pro die obitus seu depositionis juxta recens Decr. generale S. R. C. (19 maji 1896, n. 3903), sive privatae sive solemnes, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non tamen ultra biduum, cadavere, *quotidie celebrari possunt,* in quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis tam publicis quam privatis, exceptis tamen festis solemnioribus. At Missae applicari debent ipsi defuncto; et si agatur de Ecclesia vel Oratorio publico debet fieri etiam funus cum Missa exequiali [1]. Insuper in Ecclesiis parochial. *in quibus una tantum Missa celebratur*, prohibentur etiam in Dominicis ac Festis de praecepto, cujuscumque ritus existant. Missae vero privatae prohibentur etiam in dupl. 1ae cl., Dominicis ac Festis de praecepto. Item diebus non dupl. qui tamen festa dupl. 1ae classis excludunt, uti, e. g., fer. IV Cinerum (S. R. C., 12 jan. 1897, n. 3944).

2. Missae defunctorum in die tertia, septima, trigesima et anniversaria ab obitu vel depositione cantari possunt etiam in diebus duplicis ritus, non tamen festivis de praecepto, exceptis aliquibus privilegiatis [2]. In Eccl. parochial.

das esse semper ultimo loco, et nihil referre si sint paris vel disparis numeri, cum non agatur de Orationibus proprie dictis. 2° Si collecta sit *pro re gravi* (quod ab Ordinariis exprimi solet) in duplicibus 1ae Classis dicendam esse *sub unica conclusione*: sub *sua* vero *conclusione* in duplicibus 2ae Classis.

Quod si non sit *pro re gravi*, omittitur in omnibus duplicibus 1ae Class. in Dominica Palmarum in Vigiliis Nativ. Dom. et Pentec. In omnibus vero duplicibus 2ae Class, omittitur semper in Missa solemni quocumque modo cantata, etiam sine sacris Ministris, et in conventuali; in privata vero dici vel omitti potest ad libitum sacedotis.

Non licet in missis *ad libitum* sacerdotis orationes addere, praeter orationes a Rubrica assignatas vel permissas (S. R. C., 17 jul. 1894, n. 3832 ad VIII). — Attamen qui ex justa causa addiderit, v. g. commemorationem alicujus Sancti, collectam pro tribulatis, ad petendam pluviam, serenitatem, etc., nec leviter peccat. S. Alph. L. VI 411.

In oratione *A cunctis*, ad litteram N, est nominandus Patronus seu Titularis illius Ecclesiae ubi celebratur; quod si jam in ipsa oratione est nominatus, non alius nominandus. (S. R. C., 23 sept. 1887, n. 2869 ad VIII). Si tamen celebretur in Oratorio, quod non habeat Patronum aut Titularem, tunc nominandus est Patronus civitatis vel loci (S. R. C., 12 sept. 1840, n. 2814 ad 1). Regulares post Titularem aut Loci Patronum nominare in hac oratione valent Sanctum Institutorem proprii Ordinis, servato tamen ordine dignitatis in Rubricis praescripto (S. R. C., 2 dec. 1891, n. 3758). Si vero Titularis fuerit sanctus Angelus vel S. Joannes Bapt. immediate nominandi sunt post. B. M. V. ante S. Joseph. (S. R. C. 22 apr. 1871, n. 3239 ad III).

In dominicis Adventus et Quadragesimae non est omittenda collecta imperata, exceptis dominica Palmarum, et dominica quarta Adventus in hujus occursu cum vigilia Nativitatis. Item omittitur in vigilia Pentecostes ob ejus dignitatem (S. R. C., 20 aprile 1822, n. 2618 ad 2).

Q. 1° An in Ecclesia regularium aliisque Ecclesiis exemptis, recitandae sint Collectae ab Ordinario loci prescriptae?

2° An liceat Clero earum Ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id jusserit?

Ad 1um: *Affirmative*; ad 2um *Negative*. S. R. C., 3 aprile 1821, n. 3613.

Q. Utrum Sacerdotes alienae Dioecesis obligentur etiam ad dicendam Orationem praescriptam ab Episcopo loci ubi celebrant, an potius sint liberi ab hac Oratione imperata? S. R. C. die 5 mart. 1898 resp.: *Affirmative* ad 1am partem; *Negative* ad 2am, n. 3985.

[1] S. R. C., 12 jan. 1897, n. 3944 ad III et IV.

[2] Prohibentur in diebus Dupl. 1ae et 2ae cl., dieb. Dom. et Fest. de praec., Vigil. Nativ. D., Epiph. et Pente., fer.

ubi *una tantum missa habetur* prohibentur etiam in diebus fest. suppressis, atque Rogationum, si fiat processio [1]. — Quum autem Missa in praefatis diebus impeditur, anticipari vel transferri debet in primam diem recensitis diebus non impeditam, quamvis anniversarium non sit fundatum [2].

3. Missae defunctorum, cadavere nullo modo praesente, sive privatae sive solemnes, prohibentur omnibus diebus duplicibus, Dominicis et omnibus diebus quae dupl. excludunt. Item in eccles. parochial. ubi unam tantum Missa habetur, etiam in diebus Rogationum, si processio fiat.

NOTA: 1° Sacerdos privilegium habens personale pro quatuor Missis in hebd., vel celebrans in altare privilegiato, pro singulis diebus, debet uti paramentis *nigris* diebus non impeditis, ut indulgentia privilegii consequatur (*S. C. Indulg. 11 apr. 1840*).

2° Electio et Ordinatio Missae de *Requie* pendet minus a solemnitate quam a circumstantiis diei celebrationis.

3° Dicitur 1ª Missa in die 2 nov., pro Papa, Episcopo, et etiam (ad libitum) pro Sacerdote, cum Oratione unicuique propria, quae Mis. et Or. sunt eadem in die obitus, 3, 7, 30 et Anniversaria; — 2ª pro Laicis in die obitus et depos., ut in Missali; necnon die 3, 7, 30, sed tunc cum Oratione quae reperitur post. hanc Miss.; — 3ª in Anniversario; — 4ª extra has dies et circumstantias speciales.

397. — *Q.* Quot et quae Orationes dici debent in missa defunctorum?

R. — **1.** Unica dicenda est Oratio quae Missae respondet in Commemoratione omnium Fidel. Defunct., die et pro die obitus seu depositionis [3], et in Missis cantatis vel lectis, permittente ritu, 3, 7, 30 et anniversaria die, nec non quandocumque solemniter Missa celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in anniversariis late sumptis.

2. In Missis quotidianis, sive lectis sive cantatis, plures dicendae sunt Orationes, quarum 1ª pro defuncto vel defunctis certo designatis pro quibus Sacrificium offertur; 2ª ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

3. Si Missa quotidiana celebratur pro defunctis in genere, Orationes dicantur quae pro missa quotidiana in Missali prostant, eodemque ordine quo sunt inscriptae.

4. Si in iisdem Missis quotidianis plures addere Orationes celebranti placuerit, id fieri potest tantum in Missis lectis, et quidem impari servato numero cum aliis praescriptis et postremo assignato loco Orationi pro omnibus defunctis.

IV Ciner., tota Hebd. Maj., et infra Octav. privileg., nempe: Nativ. D., Epiph, Pasch., Pentec., et Corp. Chr., ac dieb. quibus manet expositum SS. Sacrament. pro publica causa.

[1] Facultas Indulto Ap. concessa ter in hebdom. canendi Missas de Requie, licet occurrente ritu duplici, ita intelligi potest ut plures Missae in eadem Ecclesia (non tamen pro eodem defuncto) ipsa eadem die cantari valeant (S. R. C., 18 dec. 1873, n. 3472).

[2] Cf. Decr. gen. S. R. C., 2 dec. 1891 n. 3753.

[3] Dies obitus intelligitur totum spatium ab instanti mortis usque ad sepulturam, licet plures dies intercedant (S. R. C. 23 aug. 1766, n. 2482).

NOTA: Sequentia *Dies irae* semper dicenda est in Missis, sive cantatis sive lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt. In reliquis recitari potest vel omitti ad libitum celebrantis (Decr. gen. S. R. C., 30 jun. 1896, n. 3920).

398. — *Q.* Quid de Missis Votivis?

R. Missa Votiva illa est quae *per se* non requiritur ut cum Officio concordet, sed est et seligitur ex voto seu desiderio celebrantis, fidelium, vel Ecclesiae. Aliae dicuntur *privatae* si pro causa privata celebrantur, aliae *solemnes* si pro re gravi vel publica Ecclesiae causa.

Missa Votiva dici potest de Sanctis canonizatis, de aliquo determinato objecto, v. g. pro pace, pro gratiarum actione, pro sponso et sponsa, etc.. Prohibentur per se Missae votivae de *Beatis*, quamvis de iis festa cum Officio et Missa celebrentur. Missae votivae de Mysteriis permittuntur de aliquibus, quorum Missae uti votivae habentur in Missali, de ceteris autem prohibentur. Item celebrari non possunt uti votivae Missae de variis titulis, seu festivitatibus B. M. V., v. g. de ejus Maternitate, Puritate, etc., exceptis iis quae specialiter permittuntur (Decr. gen. S. R. C. 30 jun. 1896)[1].

ART. IV.

De missae defectibus.

399. — *Q.* Quid de missae defectibus?

R. — I. Si defectus est *accidentalis*, et sacerdos illum advertit ante consecrationem, illum sup-

[1] 1° Missae Votivae *solemnes* celebrari possunt omnibus diebus, exceptis dupl. 1ae cl., Dom. 1ae cl., Feria IV. Cinerum, Hebdomada majori, ac Vigil. Nativ. et Pent. (S. R. C., Decr. gen. 30 jun. 1896, n. 3922 II). — Unicam habent Orationem (sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Orat. ut propriis locis notatur). Dicitur *Gloria* (nisi in col. *viol.*) et *Credo*.

2° Missae Votivae *privatae* dicuntur omnes quae non sunt *pro re gravi* aut *publica Ecclesiae causa*. Sive sint lectae sive cantatae iisdem subjiciuntur regulis. Non possunt legi aut cantari in Dom. et dupl. (*Rub. Miss.*), nec in dieb. quibus fieri nequit de dupl., nec infra Oct. privil., nec etiam in diebus Rogationum, si processio fiat, in ecclesiis parochialibus ubi una tantum Missa habetur (S. R. C., 12 nov. 1831, n. 2682 ad 35). — Non dicitur *Gloria in exc.*, nisi in Missis B. M. V. in Sabbato et Angelorum. *Credo* omittitur — Si infra oct. alicuj. solemn. B. M. V. celebrentur Mis. vot. de eadem. dicitur M. festiva cum *Gloria in excelsis*, sed sine *Credo*. Eadem quoad *Gloria* et *Credo* observentur in Mis. concessis semel in mense vel hebdom., quippe quae hymn. angel. habent non vero Symbol. — Dicitur 2a Orat. de Officio diei, et 3a quae alias 2° loco dicenda erat. At dicitur in votivis B. M. *Concede* loco Orationis *A cunctis*, ubi ponitur. In fine legitur semper Evangelium S. Joannis et nunquam aliud.

3° In Missis autem Votivis quae celebrantur diebus singulis juxta Apostolicum Indultum, 5 *jul.* 1883, et respondent Officio votivo, 2a et 3a Oratio erunt ut in semiduplicibus pro diversitate temporis. Fient quoque Commemorationes de Simplici ac de Feria, cum ejus Evangelio in fine Missae. Dicitur *Gloria* et omittitur *Credo* (*Rubr. spec. Miss.*).

4° Missa votiva pro Sponso et Sponsa prohibetur Duplic. 1ae et 2ae classis; Dominicis ac Festis de praecepto; Diebus infra oct. Epiph. et Pent. ac hujus Vigil.; die octava Corpor. Christi, aliisque diebus duplicia 2ae class. excludentibus. Hisce diebus dicitur Missa de die cum commemor. pro Sponso et Sponsa post alias orationes a Rubrica praescriptas, et non dicitur sub eadem conclusione cum prima. In Ecclesiis parochialibus, ubi una tantum Missa habetur, prohibetur etiam in diebus festis suppressis, et in Feriis Rogationum, si fiat processio — (S. R. C., 21 feb. 1896, n, 3887).

pleat; non vero si post consecrationem.

2. Si vero defectus est *substantialis,* et defectum *ante consecrationem* cognoscit, puta hostiam esse corruptam vel loco vini aquam fuisse positam, materiam idoneam assumat, et, facta saltem mentali oblatione, missam prosequatur. Quod si idonea materia haberi nequit, a missa cesset, et scandalum, si forte adsit, tollat casualem materiae defectum adstantibus manifestando. — Si defectum *post consecrationem* cognoscit, v. g. cognoscit hostiam quam consecravit non esse ex farina triticea, vel esse corruptam, tunc novam hostiam idoneam sumat, oblationem mentalem faciat, et incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur,* etc. illam consecret. Illam vero priorem hostiam si nondum sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus aliam quam consecravit sumat, quia praeceptum de perficiendo Sacrificio majoris est ponderis praecepto jejunii. Quod si, post consecrationem materiae non idoneae, alia materia idonea nullo modo haberi possit, Sacerdos missam in reliqua specie jam consecrata absolvat, omittens verba et signa quae pertinent ad speciem deficientem.

3. Si *post sumptionem* Corporis advertit in calice materiam non fuisse idoneam, v. g. si aqua pro vino infusa fuerit, alii dicunt sufficere ut sola fiat consecratio vini, sed melius est juxta Rubricam, si absque scandalo fieri potest, iterum novam hostiam et novum vinum consecrare, incipiendo a verbis: *Qui pridie quam pateretur* etc.[1], peractaque consecratione, statim sumat et missam prosequatur. — In dubio autem an materia fuerit apta, etiam est repetenda consecratio novae materiae, etsi celebrans jejunium jam fregerit sumendo materiam forsitan non consecratam, quia possidet obligatio faciendi Sacrificium certe integrum: utrum vero absolute, ut plures docent, an sub conditione, ut S. Alph. aliisque placet, non satis convenit[2]. Sed post sumptionem utriusque invalidae materiae, vel post benedictionem, non resumitur missa.

4. Si aliquid in calicem ceciderit ante consecrationem, una cum vino projicitur, et quidem in sacrarium si oblatio vini jam facta sit; si vero post consecrationem, vel sumitur modo non agatur de veneno, vel extractum, lotum et combustum in sacrario deponitur.

5. Si hostia consecrata vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit mundetur et aliquantum abradatur, et pulvis seu abrasio in sacrarium mittatur. Si ceciderit in mappam vel linteum, linteum istud diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium infundatur.

6. Si aliquid de Sanguine ceciderit super terram, lingua lambatur et locus ipse radatur, et abrasio comburatur, et cinis in sa-

[1] Ratio est: 1° Ne maneat imperfectum sacrificium, ad cujus essentiam pertinere videtur simultanea praesentia utriusque speciei in altari; 2° ut debitus servetur ordo qui postulat ut prius consecreturhostia deinde calix; Corpus enim Christi prius existere debet antequam ex eo fundatur Sanguis.

[2] S. Alph., Hom. Ap., Append. III, 98; *Aertnys,* L. VI, 72, q. 4.°

crario recondatur. Si super linteum altaris, aut vestes, ter abluantur, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Si autem totus Sanguis effusus sit, nova fiat calicis oblatio et consecratio. Haec fere omnia ex Rubrica Missalis, Tit. *De defectibus.*

—

APPENDIX

DE ECCLESIAE CONSECRATIONE ET VIOLATIONE

400. — *Q.* Quid est ecclesiae consecratio ?

R. Consecratio ecclesiae est *dedicatio ecclesiae ad divinum cultum speciali ritu facta a legitimo ministro*, qui est Episcopus dioecesis intra cujus fines sita est ecclesia. Haec quocumque die fieri potest, dummodo fiat cum missa, quae ab Episcopo, aut ab alio Sacerdote celebrari potest. Missa tamen non est de substantia consecrationis [1].

Ecclesia execratur, seu suam benedictionem vel consecrationem amittit, si in toto, vel majori aut saltem dimidia parte simul destruatur ; secus vero si tantum dealbetur, etiam per integrum, vel si per partes reaedificetur vel nova pars addatur, dummodo priorem formam non amittat. — Quaesitum autem fuit : An Ecclesiae consecratae, e quarum parietibus crusta, vulgo *intonaco*, tota simul disjecta fuit, tanquam execratae habendae sint, ideoque nova indigeant consecratione, S. R. C. [2] resp.: *Negative* juxta Decretum 19 maji 1890. In dubio autem consecrationis nova consecratione opus est.

401. — *Q.* Quot modis fit violatio ecclesiae, et quinam ejus effectus ?

R. Ecclesia violatur infra recensitis tantum actibus, dummodo certi sint, notorii, et in ipsa Ecclesia positi :

§ 1.° Delicto homicidii, ideoque suicidii voluntarii, etsi sine ulla sanguinis effusione perpetrato, ex gr. laqueo, veneno.

2.° Iniuriosa et gravi sanguinis effusione. Dicitur *iniuriosa*, unde non sufficit si effusio facta sit casu, vel ex levi percussione, aut ex levi culpa, vel a puero usum rationis non habente, vel ab amante. Dicitur *gravi sanguinis effusione*, ex gr. ex vulnere in Ecclesia inflicto ab eo qui sui compos fuerit et extra casum iustae defensionis, (quo in casu non esset iniuriosa) modo effusio sit certe gravis seu copiosa, licet sanguis non ultra vestes effluxerit.

3.° Impiis vel sordidis usibus, quibus Ecclesia addicta fuerit. Hinc violatur Ecclesia per actiones externas quae locum sacrum dedecent, etsi per se non sint peccato, uti si in Ecclesia fiant stabulationes equorum, humanae spurcitiae, mercaturae, iudicii strepitus, convivia, rixae, etc. [3] Item violatur per voluntariam et criminosam humani seminis effusio-

[1] Jejunium in vigilia consecrationis, ex Pontificali clero et populo praescripto, ex S. R. C. (29 jul. 1780. n. 2519 ad I) obligat tantum Episcopum consecrantem et ecclesiae consecrationem petentes.—Consecratio Ecclesiae, omissa consecratione altaris, valida quidem sed illicita est, nisi habeatur Apost. dispensatio, quamvis aliqua vel omnia Altaria jam consecrata reperiantur (S. C. R., 19 maj. 1896, n. 3907 ad I).

[2] 9 aug. 1897, n. 3962 ad I.

[3] Quaesitum fuit a S. R. C.: *Utrum ecclesia consecrata, quae per biduum militaribus stationibus et excubiis inservivit, censenda sit profanata, ac propterea indigeat reconciliatione?* Et respondendum censuit: *Ad cautelam esse reconciliandam* (27 febr. 1874, n. 2938).

Certum vero est quod ecclesia non violatur per furtum sacrilegum, v. g., vasorum sacrorum, vel per fractionem parietis etiam enormem, etc.

Oratoria privata, licet benedicta et ad cultum deputata, non censentur violari ideoque reconciliatione non indigent.

E contra probabilius violatur ecclesia vel Oratorium publicum etsi nondum benedictum, sed tantum ab Ordinario ad divina obeunda deputatum.

nem. Copula conjugalis, licet sit de se licita, est tamen criminosa ob loci sanctitatem, nisi excuset moralis necessitas, puta si diu loco sacro includantur, ad vitandum incontinentiae periculum [1].

4.° Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Dicitur *infidelis*, unde non cathecumenis, vel etiam infantis a parentibus christianis nati et sine baptismo defuncti. Dicitur *excommunicati*, etc. modo ante mortem nulla dederit poenitentiae signa.

§ 2.° Violata Ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa. **Can 1172.**

Huiusmodi crimina, ut pollutam reddant ecclesiam, debent: esse notoria seu publice constare, secus ecclesia non censetur polluta, etiam respectu ipsius delinquentis et commissa intra corpus interius ecclesiae; unde non sufficit si factum evenerit, v. g., in turri, in tecto, in sacristia, in atrio.

402. — *Q.* Quinam effectus violationis?

R. § 1. In violata Ecclesia, antequam reconcilietur, nefas est divina celebrari officia, Sacramenta ministrare, mortuos sepelire.

§ 2. Si violatio accidat tempore divinorum officiorum haec statim cessent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur; secus sacerdos missam prosequatur usque ad communionem. **Can. 1173.**

§ 1. Ecclesia violata reconcilietur, quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos.

[1] S. Alph., L. III, 458; *D' Annibale*, III, 15 (23); *Marc*, 788, 1629.

§ 2. Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam. **Can. 1174.**

Ecclesia violata per sepulturam excommunicati vel infidelis ne reconcilietur, antequam cadaver exinde removeatur, si remotio sine gravi incommodo fieri possit. **Can. 1175.**

403. — *Q.* Reconciliato a quonam fieri debet?

R. § 1. Ecclesiam benedictam reconciliare potest rector eiusdem, vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris.

§ 2. Ecclesiae consecratae valida reconciliatio spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur, si ecclesia pertinet ad clerum saecularem, vel ad religionem non exemptam aut laicalem; si vero pertinet ad religionem clericalem exemptam reconciliato spectat ad Superiorem Maiorem. Uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

§ 3. In casu tamen gravi et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae candem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario. **Can. 1176.**

Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali communi; — reconciliatio vero ecclesiae consecratae fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas, quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant benedicere possunt. **Can. 1177.**

404. — *Q.* Peccat ne Sacerdos si celebrat in ecclesia violata?

R. Sacerdos qui advertenter celebrat in ecclesia violata, antequam reconcilietur, peccat graviter, contra prohibitionem ecclesiae et potest ab Ordinario pro gravitate delicti puniri. **Can. 2329.**

DE POENITENTIA

Aggredimur opus cui utique, ut verbis S. Alphonsi utar, omni studio prae ceteris materiis sedulo incumbendum, cum in ipso totius Theol. Moralis summa et quaestiones magis ad praxim spectantes contineantur; et ideo ego labori non peperci ut desiderio lectorum satisfacerem, et ut ipsi omnia scitu necessaria hic reperiant.

Tractatum hunc in duas partes dividimus, quarum prior Sacramentum respicit tum in se tum respectu ejus subjecti: posterior ministrum. — Tractatum concludunt duae Appendices: una de Sollicitatione, altera de Indulgentiis.

PARS I.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE IN SE ET QUOAD EJUS SUBJECTUM

Prior haec pars sex continet capita, nempe: 1. *de natura poenitentiae, sive ut virtus sive ut Sacramentum;* 2. *de contritione et proposito*; 3. *de confessione;* 4. *de satisfactione sacramentali;* 5. *de forma;* 6. *de obligatione suscipiendi hoc Sacramentum.*

CAPUT I.

De natura Poenitentiae sive ut virtus sive ut Sacramentum.

ART. I.

De natura Poenitentiae ut est virtus.

405. — *Q.* Quid est Poenitentia ut virtus?

R. Poenitentia, sic dicta a *poena* quae aliquem *tenet*, ut virtus definiri potest: *Virtus moralis infusa inclinans peccatorem ad odium et detestationem sui peccati, quatenus est offensa Dei, cum spe veniae et efficaci proposito tum non peccandi in posterum, tum divinae justitiae satisfaciendi.*

Dicitur 1° *Virtus moralis*, non theologica, quia ejus objectum formale non est Deus, sed pax cum Deo, seu non habere Deum aversum et indignatum. — 2° *Infusa*, seu supernaturalis, et ex gratia Sp. S.; unde Trid. definivit: *Si quis dixerit, sine praeveniente Sp. S. inspiratione, atque ejus ad-*

jutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anath. sit[1]. — 3° Inclinans peccatorem *ad odium et detestationem sui peccati,* etc. quibus verbis tum actus praecipuus poenitentiae a quo ceteri actus secundarii promanant, tum objectum materiale hujus virtutis innuitur. — Demum *cum spe veniae et efficaci proposito* etc., quia secus detestatio peccati commissi sincera non esset.

Ex praedicta definitione patet quod essentia virtutis Poenitentiae consistit in odio et detestatione peccati patrati, ut docet Trid.[2]; non vero in solo proposito vitae melioris, seu in sola resipiscentia, ut falso asserebat Lutherus.

406.—*Q.* Quodnam objectum virtutis Poenitentiae?

R.—1. Objectum *materiale* virtutis Poenitentiae est omne et solum peccatum poenitentis proprium et commissum[3]. Est *omne*, etiam peccatum *veniale;* vel *habituale,* quod, utpote animae inhaerens, quoad maculam et reatum per Poenitentiam destrui potest et debet; vel *jam dimissum,* quia semper odio habendum est juxta illud: *Amplius lava me ab iniquitate mea.*

2. Objectum *formale* est reparatio offensae Dei, quatenus peccatum Deum irritat, nobisque aversum et indignatum efficit.

407.—*Q.* Poenitentia ut virtus est ne necessaria?

R. Virtus poenitentiae omnibus qui aliquo peccato mortali se coinquinaverunt fuit omni tempore necessaria ad salutem, tum *necessitate medii,* quia repugnat peccatorem impoenitentem a Deo in amicitiam recipi, tum *necessitate praecepti divini,* ut frequenter inculcatur in V. T., et ipse Christus aperte dixit; *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (Luc. XIII, 5).

ART. II.

De natura Poenitentiae ut Sacramentum.

408. — *Q.* Quid est Sacramentum Poenitentiae, et quandonam institutum fuit?

R. Poenitentia ut Sacramentum definitur: *Ritus sacer a Christo D. institutus, quo homini contrito, confesso, et satisfactionem spondenti per Sacerdotis absolutionem remittuntur peccata post Baptismum commissa.* Ex qua definitione patet: 1° quod hoc Sacramentum consistit in actibus poenitentis et in absolutione Sacerdotis; 2° quod hoc Sacramentum institutum fuit in modum judicii, in quo poenitens est simul reus et accusator sui. Ita definit Trid. (sess. XIV, c. 9): *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, anath. sit*[4].

[1] Sess. VI, c. III.
[2] Sess. XIV, c. IV.
[3] Virtus poenitentiae *lato sensu* accepta detestatur omnia peccata etiam aliena, commissa, vel commitenda, imo etiam imperfectiones quia ad Dei offensam disponunt.
[4] Judicium sacramentale a judiciis humanis differt: 1° Ratione *finis*: illud enim ad reparationem ordinis divini Deum inter et peccatorem, et quidem absolutione potius et reconciliatione quam punitione, tendit; ista ad reparationem ordinis moralis publici per delicta laesi, punitione delinquentis. 2° Ratione *effectus:* judices humani juxta leges reos damnant, innocentes liberant; confessarius vero reos innocentes efficit et absolutione a culpa eximit 3° Ratione *modi* quo exercentur: in judicio humano dif-

Hoc Sacramentum, ait Trid. [1], Christus tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* [2].

Dictum est *tunc praecipue;* quia Christus jam quasi inchoaverat ejus institutionem ante passionem, quando potestatem ligandi atque solvendi Apostolis promisit his verbis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* [3]. Ratio congrua cur Christus hoc Sacramentum post resurrectionem instituerit, est ut perfectum praeberet justificationis exemplum: sicut enim Christus cito, vere et perfecte resurrexit, sic et peccator a peccatis resurgere debet.

409. — *Q.* Poenitentia est ne verum Sacramentum?

R. De fide est, Poenitentiam esse verum Sacramentum, et a Baptismo distinctum: *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a C. D. N. institutum; anath. sit* (Trid. sess. XIV, c. I).

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anath. sit (Ib. c. II).

Probatur: — **1**. *Ex S. Scriptura.* Christus a mortuis excitatus Apostolis apparuit, et dixit eis: *Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Quibus verbis clare patet Christum dedisse sacerdotibus potestatem dimittendi peccata, seu Poenitentiae Sacramentum vere instituisse ad veniam peccatorum obtinendam.

2. *Ex Traditione.* Et sane Ecclesia catholica semper tenuit ac docuit Poenitentiam esse verum Sacramentum. Testis est ejus perpetua ac universalis doctrina de septenario Sacramentorum numero, inter quae Poenitentia semper sancita est. Testes sunt omnes libri rituales utriusque Ecclesiae, orientalis scilicet et occidentalis, in quibus ratio traditur administrationis hujus Sacramenti. Testes sunt Sancti Patres, qui omnes confessionis sacramentalis necessitatem praedicant. Ergo....

3. *Ratione theologica.* Poenitentia est verum Sacramentum, si in ea habentur tres conditiones quae requiruntur ad Sacramentum constituendum. Atqui ita est, nam habetur: 1° *signum sensibile* per confessionem poenitentis, vel certe per Sacerdotis absolutionem; 2° *divina institutio*, ut patet ex relatis verbis Christi; 3° *gratiae collatio*, peccata enim sine gratiae infusione remitti nequeunt. Ergo... [4].

fert accusator a reo; in sacramentali idem est: insuper ad illud reus invitus trahitur; in isto nemo nisi volens judicatur et reconciliatur Deo.

[1] Sess. XIV, cap. 1.

[2] Jo. XX, 22, 23.

[3] Matth. XVIII, 18.

[4] *Ob.* 1. Verba Christi, *quorum remiseritis*, etc. intelligenda sunt de Evangelii praedicatione; vel de privata inju-

Quod autem Poenitentia sit Sacramentum a Baptismo distinctum, praeter allata documenta, ex ipsa ratione evidenter patet. Ea enim Sacramenta diversa sunt, quae diversam habent materiam et formam, diversum ministrum et subjectum. At vero materia Baptismi est aqua, Poenitentiae, actus poenitentis; forma Baptismi: *Ego te baptizo*, etc., Poenitentiae: *Ego te absolvo*, etc.; minister Baptismi potest esse quilibet homo, Poenitentiae, solus Sacerdos; subjectum Baptismi, homo non baptizatus, Poenitentiae, solus baptizatus. Ergo.

410. — *Q.* Sacramentum Poenitentiae est ne necessarium ad salutem?

R. Sacramentum Poenitentiae omnibus post baptismum in mortale lapsis necessarium est non solum necessitate praecepti, ut infra dicetur, sed etiam *necessitate medii* et quidem in re si suscipi potest, secus in voto; ratio, quia Christus, qui solus principaliter peccata remittit, hoc sacramentum uti unicum medium instituit ad remissionem mortalium obtinendam. Hinc Trid.: *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; anath. sit.* Sess. XIV, c. VI.

Quod autem Christus hoc Sacramentum uti unicum medium instituerit ad remissionem mortalium obtinendam evidenter patet ex facultate quam dedit Apostolis remittendi vel retinendi peccata; haec enim facultas praesertim *retinendi* esset inutilis et irriarum condonatione; vel saltem, cum sint directa ad omnes, dicendum omnes posse dimittere peccata.

R. Nego totum; nam: 1° Evangelistae mandatum praedicandi a mandato peccata remittendi vel retinendi omnino secernunt; Christus enim Apostolis mandavit ut Evangelium omni creaturae praedicarent, sed non ut omnibus promiscue remitterent peccata. Ergo. — 2° Aliud est injuriam remittere, aliud accipere Spiritum Sanctum ad remittenda vel retinenda peccata. Ergo. — 3° Illa verba non ad omnes directa fuerunt, sed ad solos Christi discipulos, ut Evangelii textus evidenter demonstrat. Ergo.

Ob. 2. In S. Scriptura et penes SS. Patres Poenitentia cum Baptismo confunditur; ergo potestas remittendi peccata ad Baptismum referri debet.

R. Nego: nam quando S. Scriptura Poenitentiam exigit ut quis baptizetur in remissionem peccatorum, vel ab ipsa praedicatur Baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum, tunc Poenitentia uti virtus ab adultis exigitur uti dispositio necessaria ad remissionem peccatorum in Baptismo obtinendam; ergo S. Scriptura Sacramentum Poenitentiae cum Baptismo non confundit. — Baptismus vero Joannis si Baptismus poenitentiae appellatur, hoc est quia peccata dimittebat non ex opere operato, ut Baptismus Christi, sed ex opere operantis. — Demum SS. Patres recte distinxerunt Poenitentiam a Baptismo, audiatur ad instar omnium S. Aug.: Si a catechumeno factum est (homicidium), Baptismate abluitur; si a baptizato, Poenitentia et reconciliatione sanatur. Quid clarius? Quod si aliquando Poenitentiam Baptismum seu lavacrum dixerunt, semper addiderunt verba *laboriosum*, aut *lacrymarum*, ut ipsam a Baptismo proprie dicto distinguerent. Ergo.

Ob. 3. Confessio Sacramentalis instituta fuit ab Ecclesia in Conc. Lateran. IV, sub Innoc. III, anno 1215. Ergo.

R. Nihil absurdius. In eo Concilio tempus determinatum fuit quo fideles ad hoc Sacramentum accedere deberent ex praecepto divino. Ergo Concilium declaravit confessionem Sacramentalem esse a Christo institutam.

Ob 4. Peccator soli Deo peccat; ergo soli Deo confiteri debet.

R. Peccator soli Deo peccat, concedo; sed Deus qui solus remittere peccata potest, hanc *conditionem* posuit, nempe quod peccator sua peccata Sacerdoti confiteatur si veniam obtinere velit. Ergo.

risoria si alia adessent media pro tali remissione. Ergo.

411.—*Q.* Quinam effectus Sacramenti Poenitentiae?

R. Sacramentum Poenitentiae 1° confert *per se* seu ex *opere operato* gratiam *primam* seu *sanctificantem;* unde vere remittit peccata post baptismum commissa tum quoad culpam, tum quoad poenam aeternam, et ita remittit ut, etiam novo peccato patrato, nec quoad maculam nec quoad reatum reviviscant; et praeter culpam et poenam aeternam, quas omnino remittit ex opere operato, remittit etiam poenam temporalem, juxta majorem vel minorem intensitatem doloris in poenitente. Insuper et merita poenitentis per peccatum mortificata reviviscere facit.—2° Confert *per accidens* gratiam sanctificantem *secundam;* hoc enim Sacramentum valide et licite confertur iis qui habent solum venialia vel mortalia jam directe remissa. Porro omne Sacramentum rite collatum iis qui sunt jam in gratia constituti necessario confert gratiam sanctificantem secundam. Ergo. — 3° Confert gratiam *sacramentalem* huic Sacramento propriam, nempe gratiam ad peccata commissa detestanda et congrua satisfactione expianda, nec non specialia auxilia ad ipsa peccata efficacius praecavenda.

412.—*Q.* In Sacramento Poenitentiae licet ne sequi opiniones probabiles?

R. Negative, si agatur de iis quae pertinent ad valorem Sacramenti, sed sequenda est opinio tutior, nisi in casu necessitatis et sub conditione.

Affirmative, si agatur de iis quae pertinent ad judicium quasi in *probabilitate juris*, uti v. g. in iis quae pertinent ad integritatem confessionis, etc., modo salva sit forma judicii, quia forma (heic judicialis) quae *dat esse rei*, pertinet ad valorem judicii, et ideo ad valorem Sacramenti [1].

ART. III.

De materia Sacramenti poenitentiae.

413. — *Q.* Quaenam materia *remota* Sacramenti Poenitentiae?

R. —I. Materia *remota* Sacramenti Poenitentiae sunt peccata post Baptismum commissa [2]; quae peccata si sunt mortalia et nunquam rite confessa et directe remissa sunt materia necessaria [3], quae nempe necessario clavibus subjici debet [4]. Item materia remota confessionis sunt peccata post baptismum dubium commissa, ideoque haeretici, ad fidem conversi antequam, in dubio de validitate prioris baptismi, rebaptizentur ad confessionem tenentur.

II. Peccata venialia, vel mortalia sed jam directe virtute clavium remissa, sunt materia libera et sufficiens; peccatum enim licet remissum semper tamen est peccatum commissum, ideoque poenitens de ipso potest iterum iterumque dolere et veniam petere [5].

[1] *D'Annibal.* III, 298; *Bucceroni* II, 662.

[2] Peccata quae quis ante Baptismum admisit certe non sunt materia hujus Sacramenti. An vero sint ea quae admisit in ipsa susceptione Baptismi recole dicta n. 176 (3).

[3] Licet contritione perfecta jam deleta vel in confessione inculpabiliter omissa. *D'Annibale*, III, 301 (4).

[4] Materia remota dicitur *circa quam* vel potius *contra quam* Sacramentum versatur; unde S. Th. (p. 3, q. 84, a. 2), ait: Peccata sunt materia remota non acceptanda, sed *detestanda* et *destruenda*.

[5] Nec obstat quod in tribunali civili nemo de eodem crimine bis judicetur; nam in judicio civili intenditur sola li-

III. Pravi habitus, vel imperfectiones, seu omissio exercitii alicuius virtutis, vel negligentia divinae inspirationis in iis quae sunt meri consilii, non sunt materia ne sufficiens quidem huius Sacramenti, quia peccata non sunt; excipe si quis in tali omissione aut negligentia venialiter peccaverit ob intentionem leviter malam, ut aliquando evenire potest, quo in casu non omissio, sed illa prava intentio esset materia sufficiens.

114. — *Q.* Accusatio peccatorum facta in genere, v. g.: *peccavi*, vel. *me accuso de omnibus peccatis meae praeteritae vitae*, est ne materia sufficiens tum ad validitatem, tum ad liceitatem confessionis ?

R.—**1.** Certum est quod *in casu necessitatis* accusatio generice facta sufficiens est; ad intrinsecam enim essentiam hujus Sacramenti sufficit non solum haec accusatio sed quodcumque aliud poenitentiae signum. Unde conveniunt omnes quod valide et licite absolvantur milites instante praelio, nautae imminente naufragio, moribundi in articulo mortis, manente tamen obligatione confitendi postea in specie peccata gravia si fieri possit.

2. Certum est quod *extra casum necessitatis* accusatio generice facta sufficiens non est quoad materiam necessariam; quia ex positiva Christi lege peccata mortalia confiteri debent in specie, uti constat ex doctrina Trid.

3. An vero *extra casum necessitatis* haec accusatio generice facta sufficiat quoad materiam liberam, conveniunt Th. quod si poenitens ex praecedenti confessione confessario jam cognitus sit, tunc certe sufficit quia illa accusatio, licet materialiter generica sit, moraliter tamen specifica est. — Secluso hoc casu, disput. Th. tum quoad validitatem, tum quoad liceitatem.

Quoad *validitatem* plures Th., ex antiquis praesertim, sufficere negant [1], et dicunt quod licet materia libera non sit necessario confitenda, attamen si poenitens ipsam confiteri vult, eo modo confiteri debet quo materia necessaria confitetur· nempe in specie, secus causa judicialis manet prorsus ignota et confessarius non posset ferre sententiam. — At sententia hodie magis accepta affirmat, et dicit quod positiva Christi lex confitendi in specie peccata, extra casum necessitatis, respicit tantum materiam necessariam; sed quoad materiam liberam sufficit illa accusatio quae sufficit ad intrinsecam essentiam hujus Sacramenti. Quare si ad intrinsecam essentiam huius Sa-

beratio ab exteriori poena, at in judicio Sacramentali intenditur sanitas animae et sanctificatio, quae nova absolutione augetur.

[1] *Scavini*, III, 305; *Marc ;* 1658, 3° ; *Lehmkuhl*, II, 267.

Casus. — Devotae mu'ieri, quae non solet alio modo confiteri quam in genere dicendo : *Confiteor omnia mea peccata venialia*, recusat confessarius absolutionem praebere, dicens ipsam teneri ad salvandum Sacramenti valorem aliqua exprimere venialia quae in particulari commisit.

Q. An confessarius bene se gerat et vera dicat ?

R. Affirmative. Cum enim ex una parte valde dubium sit an peccata venialia, solum in genere confessa, sint materia sufficiens ad Sacramenti valorem, et ex altera, ubi de valore agitur Sacramentorum, tutior pars sit eligenda dicendum est... bene se gerere si recusat absolutionem praebere. — Bened. XIV, Casus consc. anno 1745, mense sept.

cramenti accusatio generice facta in casu necessitatis sufficiens est, sufficiens quoque esse debet extra hunc casum; nam essentia Sacramenti non mutatur pro casuum varietate [1].

Quoad *liceitatem* vero alii etiam affirmant saltem probabiliter[2]. Sed plures Th[3]. dicunt hanc accusationem generice factam illicitam esse extra casum necessitatis ; sive quia est prorsus aliena ab Ecclesiae praxi, sive quia in abusum Sacramenti facile evadere potest, sive quia sententia opposita non omnem dubitationem excludere valet, nam et nova est et singularis, contra quam et moderni plures et antiquitus fere omnes (ipsis fatentibus adversariis) contrarium tuentur: ideo res est adhuc sub judice: at nefas est materiam dubiam adhibere, quando certa haberi potest in Sacramentorum confectione.

In praxi ergo curet confessarius, ait S. Alph. [4], si poenitententem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum praesertim de levi aliqua culpa, aut ei insinuare ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitae anteactae contra aliquod praeceptum; sufficit enim ut confiteatur in generali, v. g. contra caritatem, puritatem, obedientiam, ut habeat materiam certam super qua inniti possit absolutio.

415. — *Q.* Quaenam materia *proxima* Sacramenti Poenitentiae ?

R. Scotistae docuerunt materiam *proximam* Sacramenti Poenitentiae, *ex qua* componitur essentia Sacramenti, consistere in sola absolutione Sacerdotis: quae, quatenus est actus externus, est Sacramenti materia, quatenus significat remissionem peccatorum, est ejus forma; actus vero poenitentis sunt tantum conditiones, seu qualitates, quas poenitens afferre debet, ut consequatur fructum hujus Sacramenti [5]. — Sed S. Th.[6] ipsam reponit in tribus actibus poenitentis, nempe in contritione, confessione et satisfactione. Imo haec est doctrina Ecclesiae quae in Conc. Trid. sic habet : *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe Contritio, Confessio et Satisfactio.* Ergo cum haec sit doctrina Ecclesiae ideoque haec sententia sit moraliter certa seu practice tuta, et post Conc. Trid. communissima inter Th., videtur quod sententia contraria non sit amplius probabilis. Concilium autem Trid. praedictos actus poenitentis *quasi materiam* appellat non quia, ut notat Catech. Rom., non habent rationem materiae, sed quia ejus generis materia non sit, quae extrinsecus exibeatur, uti aqua in Baptismo.[7].

[1] *Gury*, II. 421; *Ballerini* ad Gury, II, 421 (b); *D'Annibale*, III, 402, et alii;

[2] *Gury*, II, 421.

[3] *Praxis Confess.* 71 et 198; *Marc*, 1658, 3°; *Scavini*, III, 305; *Ciolli*, Direttorio, 30, 2; *Lehmkuhl*, II, 265, 3, qui, loquens de sententia contraria, ait: Haec opinio aliquando id efficere potest, ut confessarius, si nequit determinatam materiam extundere, facilius acquiescat, siquidem in tali necessitate positus securiora sequi non ita tenetur. Ibid. 266, 5.

[4] S. Alph., Hom. Ap. Tr. Ult., 9.

[5] *Ballerini*, vol. V. n. 11; vid. etiam *Gènicot*, II, 263.

[6] P. 3, q. 84, a. 1.

[7] Tres actus poenitentis dicuntur tres partes essentiales Sacramenti, unde Trid. definivit: *Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poe-*

Satisfactio tamen *in actu*, seu quatenus est actu imponenda vel actu implenda, non est pars essentialis ut sunt duae primae, sed tantum *integralis*; nam sine illa in aliquo casu Sacramentum validum esse potest, ut patet in infirmo qui, si ratione destituatur, solet absolvi absque satisfactione [1]. — Dixi *in actu*, nam propositum satisfaciendi est ejusdem naturae ac ipsa contritio et confessio; neque enim illum vere poenitet qui propositum non habet justitiae Dei satisfaciendi.

CAPUT II.

De Contritione et Proposito

ART. I.

De Contritione

416. — *Q.* Quid est contritio, et quomodo distinguitur ?

R. Contritio, prout in praesenti statu N. L. consideratur, definitur: *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero et cum voto confitendi ac satisfaciendi.*

Dicitur 1° *Animi dolor*, seu tristitia cordis, quia contritio est actus voluntatis, non appetitus sensitivi. — 2° *Ac detestatio de peccato*, idest odium et aversatio quae differunt a dolore uti causa ab effectu. Quare detestatio latius patet quam dolor; dolor enim respicit propria peccata praeterita, detestatio vero etiam peccata futura et aliena; hinc Beati peccatum odio habent et aversantur, non tamen dolent. — Disp. autem Th. utrum essentia contritionis consistat in *dolore* an in *detestatione*. Sententia verior tenet consistere in detestatione, quia non dolor detestationis, sed detestatio est causa doloris. Ceterum quaestio *in praxi* nihil refert, nam ambo necessario inter se conjunguntur; qui enim suum detestatur peccatum, necessario de ipso dolet, et qui de peccato dolet, necessario illud detestatur. — 3° *De peccato commisso* seu de peccato proprio non alieno, commisso et non committendo. — 4° *Cum proposito non peccandi de cetero*; impossibile enim est ut quis vere de peccato commisso doleat si illud adhuc committere vellet. — 5° *Et cum voto confitendi et satisfaciendi*: haec enim in praesenti statu N. L. necessaria sunt ad rite Sacramentum Poenitentiae suscipiendum: at sufficit votum implicitum, et cum non detur verum propositum si desit illud votum, plures cum ipso Trid. haec postrema verba non addunt in definitione.

Contritio duplex distinguitur: *perfecta* quae simpliciter *contritio* dicitur; et *imperfecta* quae *attritio* communiter appellatur.

417. — *Q.* Quaenam est contritio perfecta ?

R. Praemitto: Actus contritionis, sicut actus caritatis, potest duplicem perfectionem habere, unam ex *motivo*, alteram ex *intensitate*. Hoc praemisso: Contritio

nitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur: aut dixerit duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anath. sit. Sess. XIV, can. IV.

[1] S. Alph., VI, 425.

perfecta est animi dolor ac detestatio de peccato commisso concepta *ex motivo perfecto*, nempe ex caritate in Deum per se et super omnia dilectum. [1]

An vero ad perfectam contritionem sufficiat dolor elicitus ex motivo cujuscumque attributi divini offensi, e. g. justitiae, sapientiae, misericordiae, etc. disput. Th.. Plures negant, et dicunt contritionem debere omnino procedere ex solo motivo caritatis, nempe divinae bonitatis offensae; ratio, quia ex Trid. requiritur ut contritio sit caritate perfecta, id est ex caritate informata: objectum autem caritatis est Deus quatenus est Bonitas infinita, nempe radix et aggregatio omnium perfectionum [2]. Alii vero probabiliter sufficere affirmant; ratio, quia ille qui diligit divinam justitiam, vel misericordiam etc. propter Deum, jam Deum diligit, cum divina attributa sint ipse Deus.

418. — *Q.* Quinam effectus contritionis perfectae?

R.—1. Contritio perfecta per se hominem *justificat* priusquam Sacramentum Poenitentiae actu accipiatur; nam actus contritionis perfectae est actus perfectae caritatis, quae cum mortali consistere nequit, dicente S. Scriptura: *Ego diligentes me diligo.* — Attamen haec contritio non justificat sine Sacramenti voto quod in illa includitur; nam contritio, si est perfecta, necessario habet voluntatem praestandi omnia quae Deus praecipit ad justificationem consequendam. Cum autem sacramentum Poenitentiae vel in re vel in voto sit unicum medium a Ch. D. institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa, contritio perfecta votum saltem implicitum, habet subjiciendi clavibus Ecclesiae peccata mortalia; ad quod peccator tenetur etiam postquam per contritionem justificatus sit. Unde quando Sacerdos perfecte contrito absolutionem concedit, complet et perficit reconciliationem jam a Deo concessam sub conditione hoc Sacramentum recipiendi. Haec est doctrina Trid. [3], quae certa est et proxima fidei quamquam non definita.

2. Praeter culpam et poenam aeternam, remittit etiam poenam temporalem; quare si contritio est valde intensa etiam omnem poenam temporalem abolere potest.— Insuper merita per peccatum mortificata reviviscere facit.

419. — *Q.* Quaenam est contritio imperfecta, seu *attritio?*

[1] Nonnulli contritionem perfectam dicunt eam quae non solum ex motivo perfecto, seu ex caritate in Deum concipitur; sed quae etiam ex graduum intensitate perfecta sit; imperfectam vero quae concipitur ex caritate in Deum remissa seu incipiente. Sed hanc sententiam Th. communiter et merito cum S. Alph. rejiciunt; perfectio enim caritatis non sumitur ex graduum intensitate, intensitas enim est quid mere accidentale, sed *ex motivo* a quo oritur; hinc caritas praedominans etsi remissa est perfecta caritas, licet intensa sit perfectior. Unde contritio admittit diversos gradus; potest esse: 1° in gradu perfecto, sed *infimo*, quo excluditur peccatum mortale ex motivo caritatis praedominantis; 2° in gradu perfecto, sed *intenso* rationis quo excluditur etiam veniale et affectus ad illud; 3° in gradu perfecto, sed *intensissimo* rationis et sensus, qualis ex speciali gratia aliquibus poenitentibus data fuit, ut legitur in vita Sanctorum. Attamen hi diversi gradus sunt ejusdem naturae, quia plus et minus non mutant speciem. *Marc*, 1681.

[2] S. Alph., L. VI, 436.

[3] Sess. XIV, cap. IV.

R. Contritio imperfecta, seu *attritio*, est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, non ex motivo caritatis in Deum, sed ex alio motivo *specie diverso*, nempe ob turpitudinem peccati[1], vel ob metum poenarum et gehennae[2].

420. — *Q.* Attritio ex metu poenarum et gehennae est ne bona et utilis?

R.—1. Si haec attritio procedit ex timore *serviliter* seu *formaliter servili*, seu mundano, nempe peccator ita poenam timet ut adhuc peccaret si non adesset poena, tunc mala est, non quia est tantum timor poenarum, sed quia peccator retinet affectum ad peccatum.

2. E contra si haec attritio procedit ex timore *simpliciter* seu *materialiter servili*, nempe poenitens a peccato recedit, quia poenam quidem timet, sed tamen nec affectum ad peccatum retinet, nec est dispositus ad peccatum etsi abesset poena, tunc de fide est contra Lutherum quod haec attritio non est peccatum, nec est mala[3].— Imo omnes Th. docent quod timor simpliciter servilis, seu attritio *formidulosa* ex solo gehennae metu concepta, bona est et utilis, juxta verba Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*[4].

421. — *Q.* Attritio sufficit ne ad justificandum peccatorem?

R.—1 Conveniunt Th. quod attritio ex timore *simpliciter servili*, licet bona sit et utilis ac voluntatem peccandi excludat, *extra Sacramentum* tamen non justificat; quia justificatio consistit in perfecta conjunctione cum Deo, et attritus licet a creaturis discedat primosque gressus ad Deum exordiatur, non adhuc tamen est perfecte conversus.

2. *In Sacramento Poenitentiae* vero proximum fidei est quod attritio modo sit supernaturalis et voluntatem peccandi excludat, et conjuncta sit cum spe veniae, peccatorem justificat[5], non quidem ex se seu ex propria virtute, sed ex virtute Sacramenti, nempe uti conditio praerequisita ut Sacramentum, remoto obice, gratiam conferre possit; hoc enim Sacramentum, si obex infusioni gratiae non ponatur, gratiam semper confert et hominem justificat, nempe poe-

[1] *Turpitudinem* non eam, inquam, quae parit infamiam, nec, verius, eam quae vitio naturaliter inest; sed eam quae Dei oculos offendit, vel quae animam foedat ad ejus imaginem conditam. *D' Annibale*, III, 311 (8).

[2] Timor alius est filialis, alius servilis. Timor *filialis* est quando quis a peccato se abstinet quia timet culpam, nempe timet offensam Dei quasi *Patris;* unde procedit ab amore Dei. Timor vero *servilis* est quando quis a peccato se abstinet quia timet poenam; unde procedit ab amore sui. Et hic timor servilis alius est *simpliciter servilis*, et est quando et manum et animum a peccando retrahit; et alius est *serviliter servilis*, et est quando manum sed non animum a peccando retrahit.

[3] *Si quis dixerit, gehennae metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere; anath. sit.* Trid. sess. VI, c. 8.

[4] Matth. X, 28.

[5] S. Alph., L. VI, 441. — Quaestionis fuit utrum sufficeret dolor conceptus ex metu gehennae et poenarum non quidem filiali, nec serviliter servili, sed *simpliciter servili*. Contritionistae negabant: Attritionistae affirmabant: horum sententia praevaluit. *D' Annibale*, III, 17.

nitenti gratiam sanctificantem infundit, et cum ipsa habitus caritatis et poenitentiae seu contritionis perfectae. Unde dicunt Th., quod talis poenitens virtute Sacramenti fit, quoad ejus effectus, *ex attrito contritus,* seu *attritus actu* fit per Sacramentum *contritus habitu.*

3. Attritio in sacramento Poenitentiae praeter justificationem etiam alios effectus producit quos confert hoc Sacramentum, ut dictum fuit n. 411.

422. — *Q.* Ut attritio in Sacramento justificet debet ne habere aliquod initium amoris Dei?

R. Negative, si per tale initium intelligatur aliquis gradus caritatis praedominantis seu perfectae, qua diligitur Deus super omnia propter suam infinitam bonitatem; quia tunc talis attritio orta ex caritate praedominante seu perfecta, ratione motivi est vera contritio, quae per se hominem justificat extra Sacramentum, juxta illud: *Ego diligentes me diligo*[1].

Affirmative, si per tale initium intelligatur illud initium amoris, quo poenitentes *Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt,* ut ait Trid.[2]. Sed hoc initium amoris jam habetur in attritione: 1° per timorem divinae vindictae, juxta illud: *Timor Dei initium dilectionis ejus*[3], unde S. Th.: Aliquis inducitur ad amandum Deum per hoc quod timens ab ipso puniri, cessat a peccato. — 2° per spem veniae; — 3° per spem beatitudinis aeternae. Haec autem omnia necessario in attritione includuntur; unde qui cum illa et spe veniae ad Sacramentum accedit, jam Deum, ut suum liberatorem, justificatorem et glorificatorem, diligere incipit[4].

Ceterum in *praxi* omnino expedit ut Confessarii curent quod poenitentes non solum attritionem sed, si possibile est, etiam contritionem habeant, ut abundantius divinam gratiam consequantur.

423. — *Q.* In confessione sufficit ne attritio concepta ex metu poenarum temporalium prout a Deo infliguntur?

R. Disput. Th.. Sententia affirmativa videtur probabilior; - ratio quia Trid. [5] docet sufficere *dolorem conceptum ex metu gehennae et poenarum :* porro particulam *et* disjunctim accipiendam esse manifeste apparet, cum ibi Trid. exemplum adducat poenitentiae Ninivitarum, quae concepta fuit tantum ob metum excidii civitatis. At cum sententia negativa non careat sua probabilitate, saltem intrinseca, hinc *in praxi* Th. omnes conveniunt quod maxime curandum sit ut poenitens fortiori et nobiliori motivo conteratur; et eo magis quod poenitens poenis temporalibus jam tactus, facilius poenis aeternis terreatur, et intuitu bonitatis Dei in ipsis condonandis, facilius in ejus amorem accendatur [6].

[1] Prov. VIII, 17.
[2] Sess. VI, cap. VI.
[3] Eccl. XXV, 16.
[4] S. Alph., L. VI, 440.
[5] Sess. XIV, cap. IV.
[6] S. Alph., L. IV, 443.

Casus. — Titius postquam falsum juravit, audivit Sempronium utpote reum ejusdem perjurii terribiliter a Deo punitum fuisse. Timore correptus ne idem ipsi accidat, perjurium suum detestatur, in corde suo resolvit nunquam in posterum se falsum juraturum, simul sperans Deum misericordem et peccatum et poenas quas timet sibi condonaturum. Ita dispositus suam confessionem facit, et beneficium absolutionis consequitur. — *Q.* Est ne valida haec absolutio?

424. — *Q.* Quaenam qualitates contritionis vel attritionis in confessione [1] ?

R. Contritio vel attritio in confessione debet esse :

1. *Vera* seu *interna,* unde non sufficit attritio tantum existimata licet inculpabiliter, quia attritio est pars essentialis Sacramenti ; nec sufficit formulam doloris labiis tantum recitare, sed intus in corde adesse debet, juxta illud Joël. (II, 12) : *Convertimini ad me in toto corde vestro... et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.*

2. *Supernaturalis,* tum *ratione principii,* elicita scilicet ex divina gratia, sine qua nemo poenitere potest sicut oportet, tum *ratione motivi,* nempe ex motivo per fidem proposito. Hinc contritio tantum naturalis, licet honesta, certo non sufficit, et propositio contraria ab Innocentio XI damnata fuit sub num. 57.

3. *Summa,* non *intensive,* sed *appretiative,* idest summa *non quoad sensum,* nempe in parte sensibili, quia iste dolor sensibilis non est in nostra potestate, sensibilia enim magis sensum movent, quam spiritualia ; sed summa *quoad voluntatem,* nempe quando voluntas peccatum detestatur super omnia mala, et parata est quodvis malum potius subire, quam mortaliter peccare. — Non expedit tamen explicitam comparationem instituere inter peccata et alia mala, et poenitenti proponere ut se determinet haec mala in particulari, v. g. mortem, eligere potius quam peccatum ; nam cum sensibilia magis hominem moveant quam spiritualia, periculum erit ne poenitens tentationi succumbat : et eo minus expedit eligere infernum ; incongrue enim homo ad vitandum peccatum eligeret infernum, in quo non posset manere sine peccato [2].

4. *Universalis,* nempe ut in omnia mortalia feratur, quia remissio peccati fit per infusionem gratiae, quae ne cum uno quidem mortali consistere potest. Non est tamen necesse ut contritio referatur ad singula peccata mortalia, vel ad omnia peccata distincte cognita, ut aliqui volunt, sed sufficit de omnibus universaliter poenitere [3].

5. *Formalis seu explicita;* licet enim contritio virtualis et implicita contenta in actu perfectae caritatis sufficiat ad justificationem extra Sacramentum obtinendam, in Sacramento tamen probabilius et communius non sufficit, quia

R. Affirmative, nam ejus dolor est supernaturalis, quia oritur ex timore justitiae divinae quae non solum in futuro, sed etiam in praesenti vita peccatum punire potest ; et quum absit affectus ad peccatum, nam resolvit nunquam in posterum falsum jurare, quid impedit quominus absolutio sacramentalis suum effectum obtineat ? Th. communiter docent Sacramenta bona fide accepta non ponentibus obicem gratiam conferre ; sed Titius vere attritus affectum ad peccatum amplius non retinet ; ergo gratiam Sacramenti recepit. Haec dicta sint ut confessarius principia Theol. moralis fideliter retineat ; nam in praxi haec quaestio facile resolvitur : confessarius enim si munus suum rite adimpleat, talem poenitentem jam timore poenarum temporalium tactum ad dolorem ob metum poenarum aeternarum facillime, ut in textu dictum est, excitabit.

[1] Proprietates, quae requiruntur ut homo vi contritionis, sive perfectae extra Sacramentum, sive imperfectae cum Sacramento, veniam peccatorum consequatur, communes sunt. *Lehmkuhl,* II, 283.

[2] S. Alph., L. VI, 433.

[3] S. Alph., L. VI, 438.

uti pars Sacramenti debet esse formalis et explicita.

An vero cum explicita contritione requirantur etiam expliciti actus fidei et spei, disput. Th.— In *praxi* tamen sententiae inter se conveniunt, quia poenitens eliciens explicite actum doloris, etiam explicite aliquo modo hos actus elicit, etsi non eliciat reflexe, quia accedens ad hoc Sacramentum explicite credit illud habere vim justificandi ex meritis Christi, et ex hoc Sacramento explicite sperat veniam suorum peccatorum [1].

425. — *Q.* Quaenam necessitas contritionis ?

R. Contritio, sive perfecta cum voto Sacramenti Poenitentiae, sive imperfecta cum ipso Sacramento, est omnibus lapsis in mortale post Baptismum necessaria tum *necessitate medii* ad veniam obtinendam et salutem consequendam, ut patet ex verbis Christi: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* [2]; tum *necessitate praecepti,* homines enim ea omnia adhibere necessario tenentur, sine quibus salvi esse non possunt [3].

426. — *Q.* Quandonam obligat praeceptum contritionis ?

R. Praeceptum contritionisobligat aliquando per se, aliquando per accidens. *Per se,* certum est apud omnes obligare in periculo mortis.

An vero qui in periculo mortis Sacramentum poenitentiae accepit cum sola attritione teneatur etiam elicere actum contritionis perfectae, alii negant, cum moraliter certus sit se esse justificatum ; alii affirmant, quia in mortis articulo quisque tenetur quaerere potiora et tutiora remedia. Utraque sententia est probabilis, sed sententia affirmativa omnino suadenda est [4].

Per accidens autem praeceptum contritionis obligat: 1° quando requiritur status gratiae ad aliquod opus peragendum, v. g. ad Sacramenta ministranda, vel suscipienda ; 2° quando urget aliqua gravis tentatio, quae absque contritione vinci nequit : hoc speculative verum est, sed in *praxi* alia media non desunt ad tentationes efficaciter repellandas; 3° quando quis tenetur elicere actum caritatis in Deum, tunc enim occurrente memoria peccati suum peccatum tenetur detestari [5].

427. — *Q.* Praeceptum contritionis obligat ne statim post mortale commissum [6] ?

R. An praeceptum contritionis extra periculum mortis, per se obliget etiam statim post mortale commissum, ita ut dilatio contritionis sit speciale peccatum contra praeceptum poenitendi, disput. Th. — S. Alph.[7] sic habet: Per se loquendo peccator differens poenitentiam extra periculum mortis probabiliter non committit speciale peccatum, quia praecepta affirmativa debent habere tempus determinatum, in quo debeant impleri; nullibi autem constat quale tempus sit determinatum ad huic praecepto contritionis satisfacien-

[1] S. Alph., L. VI, 439.
[2] Luc. XIII, 5.
[3] S. Alph., L. VI, 437.
[4] S. Alph., L. VI, 437. Cf. Vol. 1°, n. 405.
[5] S. Alph., L. VI, 437.
[6] Haec quaestio non est de peccati affectu deponendo, qui certe illico deponendus est, sed de casu, quo deposito affectu peccati, remanet solum peccatum habituale, seu macula peccati.
[7] L. VI, 427, dub. 1.

dum... Sed per accidens puto nullo modo excusari a mortali qui existens in mortali per notabile tempus differret poenitentiam ; tum quia peccaret contra praeceptum caritatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcunque obstringit,tum quia peccaret insuper contra caritatem erga se ipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum, tentationibus succumbendo.

Ceterum etiam qui affirmant quod tale praeceptum obligat per se , admittunt dari dilationem , praescindendo etiam ab obligatione annuae confessionis. Ad quod tempus vero talis dilatio se extendat ut gravis censeatur , determinari certo non potest. Alii extendunt ad hebdomadam, sed haec sententia nimis rigida est: alii cum S. Alph. ad tempus notabile; et alii ad annum, cui sententiae S. Alph. non acquiescit. Convenit tamen S. Doctor quod peccatores praesertim rudes , ab hoc peccato dilatae contritionis ob inadvertentiam, ut plurimum, imo fere semper excusari possnnt.[1]

428. — *Q.* Actus doloris debet ne praecedere ipsam confessionem ?

R. Disput. Th.. Sed sententia communior negat , et dicit quod actus doloris necesse non est ut praecedat confessionem, sed requiritur et sufficit ut eliciatur ante absolutionem, vel saltem eo temporis puncto quo absolutio obtinetur. Dixi: 1° *requiritur*, quia forma cadere debet super materiam jam existentem ; 2° *sufficit* quia Rit. Rom. dicit: Confessarius, *audita confessione, ad dolorem efficacibus verbis* (poenitentem) *adducere conabitur*. Et quando Th. dicunt confessionem dolorosam debere esse,haec tantum intelligunt, quod confessio non sit mera peccatorum narratio, sed sit accusatio in ordine ad absolutionem obtinendam [2]. — Ceterum dolor non solum confessione, sed etiam aliis signis, sensibilis evadere potest [3].

429. — *Q.* Actus doloris elici ne debet in ordine ad confessionem ?

R. Disput. Th.. *Prima* sententia affirmat, quia actus doloris cum absolutione aliquo pacto conjungi debet, ut adsit unio requisita inter materiam et formam; quae unio efficitur per intentionis directionem, seu actum doloris eliciendo in ordine ad absolutionem suscipiendam. *Secunda* sententia tamen probabiliter negat,tum quia ex Trid. sufficit attritio habita, tum quia dolor per ipsam confessionem ordinatur ad absolutionem; sed quoniam prima sententia est etiam probabilis, ideo *in praxi*, ante factum, sequenda est [4].

[1] S. Alph., L. VI, 437.

[2] S. Alph, L. VI, 445. — Ceterum penes omnes docent his verbis: *Me accuso de his quae tibi alias dixi*, vel *quae tu alias nosti*, quamdam quasi compendiosam confessionem contineri;proinde si Cajus peccata enarraverit confessario nihil dolens, vel Sejus ea illi quasi amico prodiderit, et serius coram eo, quasi confessario steterit , probabilior sententia est utrumque absolvi posse, Cajum, si *dolens* dicat: *de his me accuso*; Sejum si dicat dolens: *me accuso de his quae jam tibi alias prodidi. D'Annibale* III, 307.

[3] Ad eliciendum actum doloris fere nullum temporis spatium requiritur, nam nihil aliud faciendum est quam se humiliare coram Deo in spiritu humilitatis et doloris offensae Ipsi illatae-Ita. S. Franciscus Salesius.

[4] S. Alph., L. IV, 447.

430. — *Q.* Actus doloris elicitus ante confessionem quandiu censetur moraliter perseverare?

R. Quamdiunam talis actus doloris censeatur moraliter perseverare, ita ut moralem unionem cum absolutione non obrumpat, non conveniunt Th., sed juxta S. Alph. et alios inter actum doloris et absolutionem admittitur mora etiam unius diei, imo bidui, vel tridui si dolor permaneat in aliquo effectu, puta in fuga occasionum, in excussione sui etc., dummodo interim poenitens non reincidat in letalia, quia dolor per aliud peccatum grave esset retractatus. Secus autem dicendum si confessio non derivet ex peccatorum dolore, sed ex mera devotione, vel si quis ad votum aut ad poenitentiam adimplendam confiteatur.— Ceterum etiam in casu quo confessio sit doloris effectus, *in praxi* poenitentibus suadendum est, ut immediate ante absolutionem actum doloris prius elicitum renovetur, praesertim si posteaquam actum doloris elicuerint animum ad alia per notabilem moram converterint [1].

431. — *Q.* Poenitens qui statim post absolutionem confitetur peccatum grave oblitum, tenetur ne iterum actum doloris elicere, si velit novam recipere absolutionem?

R. Disting.. Si poenitens primum dolorem extendit tantum ad peccata *in specie* confessa, certe novum actum doloris elicere tenetur.

Si vero extendit ad omnia sua peccata *in genere*, tunc Th. communius negant, quia prior dolor, quum fuerit generalis, jam extenditur ad oblita, et sine dubio in eo casu moraliter perseverat. At quia non desunt Th., qui aliter sentiunt, ideo S. Alph. dicit quod *in praxi* tutius est novum actum doloris elicere [2].

432. — *Q.* Dolor de *venialibus* quomodo eliciendus est?

R. Certum est quod *extra Sacramentum* sufficit aliquis motus gratiae, vel caritatis ad venialium remissionem.

Certum est quod in *Sacramento* dolor venialium debet esse non solum internus, summus, et supernaturalis, sed etiam formalis, et non sufficit virtualis [3].

Non est tamen necesse ut dolor de venialibus sit etiam universalis, quia ex peccatis venialibus, quae divinam amicitiam non solvunt, unum sine altero remitti potest: sed sufficit ut sit tantum de aliquo ex confessis, aut saltem de eorum multitudine; et peccaret mortaliter, ut communiter docent Th.[4], qui advertenter sine ullo dolore sola peccata venialia confiteretur, ob gravem injuriam quam Sacramento irrogat, illud suo effectu frustrando [5].

433. — *Q.* Quomodo se ge-

[1] S. Alph., L. VI, 445, 446. *D'Annibale*, III, 315 (27).

[2] S. Alph., L. VI, 448. *D'Annibale*, III, 315.

[3] *Lehmkuhl*, II, 290.

[4] S. Alph., VI, 449.

[5] Experientia docet plures poenitentes ad confessionem accedere quin prius examini suae conscientiae incumbant. atque ad dolorem suorum peccatorum se excitent; alios vero poenitentes, praecipue occasione Communionis paschalis vel alicujus Communionis generalis, examini conscientiae tantisper quidem incumbere, sed nihil prorsus ad dolorem se excitare; alios autem poenitentes, etiam inter eos qui pie vivunt et Sacramenta frequentant, de examine conscientiae nimis, de dolore vero et proposito parum esse sollicitos. At vero

rere debet Confessarius cum poenitente qui dicat se habere dolorem valde exiguum ?

R. Caveat Confessarius ne cito credat hunc poenitentem esse indispositum, et revera non habere sufficientem dolorem. Sunt enim qui, cum durius habeant temperamentum et cor minus tenerum, difficilius moventur ad dolorem sensibilem ; ideo putant se carere hac dispositione.

Porro cum dolor sensibilis non sit necessarius, sed sufficiat dolor rationalis vitae anteactae, et vera voluntas eam emendandi ; videat idcirco an duo haec adsint, nec plura requirat. — Haec autem duo adesse prudenter judicabit, si poenitens admonitiones et instructiones libenter accipiat ; si conatum aliquem sincere adhibuerit ad emendationem obtinendam ; si paratus sit ad poenitentiam sibi impositam exequendam, et si alia hujus generis praestet. — Quod si Confessarius, ait Suarez, non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare poenitentem an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur dummodo nulla adsit rationabilis praesumptio in contrarium [1].

si confessarius, audita horum poenitentium confessione, ipsis statim dicat: *nunc actum doloris dicite*, quin se certiorem reddat de eorum dolore, magnum periculum adesset ne eorum confessiones ex defectu debiti doloris, si non sacrilegae, nullae saltem sint, proindeque isti poenitentes ad propria redeant suis adhuc peccatis vel mortalibus vel venialibus onerati.

Quare confessarius, ut rite munus suum exerceat, et Sacramentorum validitati atque animarum saluti prospiciat suos poenitentes ut praescribit Rit. Rom. ad verum dolorem et detestationem suorum peccatorum adducere conabitur ; primo per attritionem, ipsis prae oculis ponendo intrinsecam peccati turpitudinem, et gravissima damna quae peccatum nobis infert (peccatum enim Dei gratia et amicitia nos privat nec non aeterna Paradisi gloria et felicitate, miserrimos doemonis servos nos facit, et dignos aeterni inferni cruciatibus), ipsis dicendo v. g. *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum ? In Inferno ! Illo igne semper cruciandus esses... nec tibi ulla spes amplius restaret ut te illinc eripere posses...ibi moraturus esses ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam aeternitatem !..* Dein curet ut ab attritione ad contritionem ascendant, ipsis prae oculis ponendo infinitam Dei bonitatem, misericordiam, maxime vero Passionem dulcissimi Redemptoris nostri, ipsis dicendo v. g.: *Fili mi, quid fecisti ? Peccasti in Deum infinite Bonum ! Peccasti in tuum Patrem et Benefactorem! Peccasti in Jesum tuum Redemptorem! Inspice quos atrocissimos dolores pertulit Jesus pro peccatis tuis !*

Nec quis dicat ad validam absolutionem sufficere attritionem: bonus enim confessarius nullam curam omittere debet ut poenitentes sui quam melioribus dispositionibus Sacramenta recipiant sive ad majorem Dei gloriam, sive ad majorem ipsorum sanctificationem. S. Alph.

[1] Dixi: *dummodo nulla adsit rationabilis praesumptio in contrarium ;* plures enim adsunt poenitentes, qui verbis quidem dicunt : *se poenitere*, sed quibus fides prudenter praestari nequit, et sunt : 1° Recidivi qui redeunt eodem numero peccatorum gravati, nec ullum conatum ad emendationem adhibuerunt ; 2° qui ad confessionem accedunt animo elati, confessarium ejusque opportunas interrogationes parvipendentes ; 3° qui peccata etiam graviora maxima indifferentia confitentur, vel propria peccata excusant culpam in alios refundentes ; 4° qui coacte, vel aliquo motivo humano ad confessionem accedunt, et qui congruam satisfactionem, vel remedia ad emendationem necessaria acceptare recusant. Isti et alii similes poenitentes, si a confessario interrogentur : *Poenitet ne vos ?* statim, ut absolutionem carpant, sine ulla cunctatione respondent : *Me poenitet.* Sed prudens confessarius tali affirmationi fidem prudenter praestare nequit, unde tenetur prius ad attritionem, et si fieri potest, etiam ad contritionem eos excitare.

Quod si poenitens vere sit induratus, tunc Confessarius, praemissa oratione ad Deum pro ipso, cum omnia bona descendant a Patre luminum, studeat qua majori potest caritate eum ad contritionem adducere, ipsumque fortiter et suaviter tractabit. *Fortiter* quidem, ei exponendo divinae justitiae terrorem, et incomprehensibilia ejus judicia erga peccatores obstinatos, ut cor lapideum scindat. *Suaviter* autem, exponendo divinae misericordiae largitatem, et amorem Jesu Christi erga peccatores, ut ejus animum erigat. Nec prius dimittat quam intellexerit se oleum et operam perdere, et tunc humanissimis verbis eum dimittat, orans in visceribus Christi ut redeat et quantocius[1]. Ceterum de hac Confessarii agendi ratione fusius inferius dicetur.

434. — *Q.* Potest ne dari Sacramentum Poenitentiae validum et informe? — Casus esset, si quis duo mortalia commiserit, v. g. unum furti, alterum perjurii: deinde memor tantum furti, de ipso tantum confitetur dolens, non ex motivo universali, sed ex motivo speciali turpitudinis quam habet furtum. — Quaeritur an talis confessio valida sit, et gratiam conferat?

R. Disput. Th.. Alii putant confessionem *irritam* esse, quia peccatum oblitum, deficiente dolore, nec indirecte remitti potest; confessum vero non remittitur stante illo. Alii ratam quidem dicunt confessionem, sed *informem*[2]. Alii vero ratam et *formatam* plane, quia cum Sacramento nihil desit, necesse est peccatum remitti quod confessum est, ideoque et alterum indirecte. Et haec sententia videtur vera eo maxime quod poenitens obicem non ponit.

Verum quorsum quaestio haec?

Nempe ut sciamus an poenitens teneatur peccatum quod confessus est confiteri denuo: in dubio quis affirmet?[3]. Ceterum *in praxi* curandum est ut poenitens dolorem extendat ad omnia peccata commissa, imo hoc necessarium est si advertit quod in animo alia peccata oblita habere possit[4].

Art. II.

De Proposito.

435. — *Q.* Quid est propositum?

R. Propositum est *voluntas non peccandi de cetero*. Aliud est *explicitum*, seu *formale*, quando nempe poenitens cogitans de vita futura statuit non amplius peccare; aliud est *implicitum*, seu *virtuale*, quod in ipsa contritione continetur, quin tempus futurum prae oculis habeatur.

436. — *Q.* Propositum est ne necessarium?

R. Propositum *saltem implicitum*, cum sit pars essentialis contritionis, est omnino necessarium ad justificationis gratiam obtinendam necessitate medii et praecepti, ut necessaria est contritio.

An vero debeat esse etiam *explicitum* seu formale, tres adsunt sententiae. — *Prima* quae est paucorum absolute affirmat, quia licet contritio includat necessario propositum, Conc. Trid. tamen requirit propositum formale dicens *cum proposito non peccandi de cetero*.

[1] S. Alph., *Praxis*, § I.
[2] S. Alph., L. VI, 444.
[3] *D' Annibale*, III, 312 (19).
[4] S. Alph., L. VI, 444.

— *Secunda* distinguit et dicit requiri explicitum si poenitens cogitet de vita futura ineunda, secus sufficere implicitum. — *Tertia* vero quae communior est, et hodie certa dici potest[1], sine ulla distinctione negat et tenet sufficere propositum implicitum et virtuale, quia idem Conc.[2] subdit quod attritio, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento; ergo, quoties attritio has requisitas conditiones habuerit, jam sufficienter disponit ad validitatem Sacramenti.

Attamen in *praxi* cum prima sententia sua probabilitate non careat *ante factum* tutius est eam sequi, et Confessarius sollicite curare debet ut poenitens explicitum propositum habeat; *post factum* non est inquietandus poenitens qui bona fide cum proposito solum implicito confessus sit: nam cum ejus confessio probabilius et communius valida censeatur ideo ipsam repetere non tenetur[3]. — Ceterum, omissis quaestionibus, optime observat Alasia, quod in omni explicito actu doloris etiam explicitum propositum continetur, nam nemo potest explicite dolere de peccatis, nisi explicite deponat affectum ad illa, sed explicite deponere affectum ad peccatum idem est ac ea explicite nolle, ergo in actu doloris continetur explicitum propositum non peccandi de cetero, etsi poenitens ad hoc non reflectat, quod non est necesse.

437. — *Q.* Quaenam conditiones propositi?

R. Ad verum propositum tres requiruntur conditiones, nempe ut sit firmum seu absolutum, universale et efficax.

1. Propositum debet esse *firmum*, ita ut poenitens habeat firmam voluntatem non recidendi, et sit animo ita dispositus, ut nullius mali timore et nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit. Non expedit tamen particulares comparationes instituere, quia sensibilia magis movent.

2. Propositum debet esse *universale*, extendens se ad omnia mortalia non modo patrata, sed etiam quae patrari possent; vera enim conversio ad Deum consistere nequit sine vera aversione ab omnibus mortalibus. — Quoad venialia autem, ad validitatem Sacramenti sufficit quod poenitens propositum habeat vel saltem unum vitandi; vel se emendandi ab aliquo genere venialium, v. g., a mendaciis; vel frequentiam aut numerum venialium minuendi[4].

3. Propositum debet esse *efficax*, idest poenitens vere proponere debet non solum peccatum

[1] *D' Annibale*, III, 313 (20).
[2] Sess. XIV, c. V.
[3] S. Alph., L. VI, 450; Hom. Ap., T. XVI, 26.
[4] Quoad peccata venialia Conc. Trid. (sess. VI, De justificatione can. XXIII) quidem definivit hominem non posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio; at Confessarius animadvertat Conc. Trid. loqui de peccatis venialibus plene indeliberatis, nam quisque bene potest, si velit, omnia peccata venialia plene deliberata vitare. Multum autem interest ut confessarius hanc veritatem suos poenitentes doceat, plures enim ex illis venialia saepe committunt, falso existimantes non posse omnia venialia vitare; dum si persuasi sint, ipsos, si vere velint, omnia venialia plane deliberata vitare posse, sperandum est plures ex ipsis poenitentibus attentius in posterum vivere, et in praxi plura venialia amplius non committere.

vitare, sed etiam omnia media adhibere necessaria ad peccatum vitandum et signanter occasiones proximas peccandi [1]. At sufficit ut propositum sit efficax affective, ut nempe quis animo paratus sit ad media necessaria adhibenda : futura de facto emendatio non est de essentia propositi.

Hinc *in praxi* poenitens qui *certo* credit se relapsurum, practice certam suspicionem praebet propositum suum non satis firmum esse ; impossibile est enim quod poenitens, qui firmum et efficax habeat propositum *certo* credat se relapsurum, quum certo constet quod Deus facienti quantum in se est nunquam gratiam suam denegat. Firmum tamen propositum consistere potest cum *timore* relapsus, proveniente ex propria praeterita fragilitate ; nam ad verum propositum sufficit ut adsit vera voluntas non relabendi; haec porro voluntas timorem relapsus ex mutatione voluntatis non excludit. Quare relapsus non semper est signum propositi infirmi, sed saepius tantum signum mutatae voluntatis ; bene enim accidere potest ut quis verum habeat propositum, et tamen paulo post peccet, ut accidit S. Pietro, qui vere et ex toto corde proposuit potius mori quam Christum negare, et tamen ad primam ancillae vocem eum negavit.

Item si quando poenitens bonae alioquin voluntatis, sed rei arduitate perterritus dicat se non posse hoc vel illud promittere ne dein datam fidem infringat, eum erigat confessarius respondens sufficere ut *nunc serio velit, ut nitatur, ut oret,* et Deus eum adjuvabit.

[1] S. Alph., L. VI, 451.

CAPUT III.

De Confessione Sacramentali.

ART. I.

De Confessionis necessitate ejusque dotibus.

438. – *Q.* Quid est confessio sacramentalis; et quaenam ejus necessitas ?

R. Confessio sacramentalis definitur : *Accusatio propriorum peccatorum post Baptismum commissorum a poenitente legitime facta Sacerdoti competenti, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.*

Confessio, seu accusatio peccatorum est pars essentialis sacramenti Poenitentiae. — Porro substantia confessionis salvatur in quocumque signo sensibili quo homo manifestat sacerdoti se esse peccatorem. De jure vero divino requiritur integra et distincta accusatio peccatorum, prout de fide Trid. definivit :

Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant... anath. sit.

Si quis dixerit..... non requiri confessionem poenitentis ut sacerdos ipsum absolvere possit ; anath. sit [2].

Et sane Christus Sacramentum Poenitentiae *ad formam judicii* instituit, nempe Apostolos, ideoque

[2] Sess. XIV, c. VII, IX.

eorum successores, constituit vere judices in causis peccatorum, cum potestate peccata remittendi vel retinendi, et quidem juxta prudentiae et justitae regulas. Atqui Sacerdotes uti veri conscientiae judices, incognita causa non possunt suum officium rite exercere, nec aequitatem in poenis injungendis servare, si poenitens in genere tantum, et non potius in specie ac singillatim sua peccata declaret; ergo Christus Sacramentum confessionis seu Poenitentiae instituens jure divino hominibus sacramentalem confessionem suorum peccatorum praecepit ad eorum veniam virtute clavium obtinendam.

Certum insuper est quod frequens confessio venialium est recta et utilis et piorum usui consentanea; et propos. contraria damnata fuit a Pio VI, ut temeraria, perniciosa, et sanctorum et piorum praxi a S. Conc. Trid. probatae contraria.

439. — *Q.* Confessio est ne voce facienda?

R. Confessio *per se* fieri potest voce, scripto, nutibus: attamen ex usu communi introductum est ut fiat voce; unde peccaret certe leviter, et juxta plures cum S. Alph. et D' Annib. [1] etiam graviter, qui sine gravi causa aliter se confiteretur.

Dixi: *sine gravi causa*, uti esset impotentia physica vel moralis, v. g. si quis ob anxietatem loqui non possit, aut puella supra modum verecunda aliter se non possit explicare quam scripto, quo a confessario lecto, addat voce: *de his me accuso.*

Qui autem non possit voce confiteri, tenetur saltem per signa, aut scripto, si hoc sine periculo et sine magno incommodo fieri possit [2].

440. — *Q.* Quaenam dotes confessionis?

R. Multae sunt dotes confessionis a S. Thoma [3] hisce versiculis comprehensae:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis.

Atque frequens, nuda, discreta, libens verecunda.

Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.

Fortis, et accusans, et sit parere parata [4].

[1] *D' Annibale*, III, 309.

[2] S. Alph., Hom. Ap., Tr. XVI, 27; L. VI. 493.

[3] Pars 3ª Supp. q. 9, a. 4.

[4] Ergo sit *simplex*, idest veritatem aperiens sine admixtione rerum ad confessionem non pertinentium. *Et qui indigent consolatione propter tribulationes, vel consilio propter dubia, post confessionem et absolutionem talia dicant, et non misceantur in confessione, ne contritionis vim diminuant.* Ita S. Antoninus.

Humilis, sive interne ut peccatum propriae malitiae tribuat, et non aliis, sive externe, sine audacia vel jactantia, habitu decenti, et flexis genibus.

Pura, idest cum solo fine obtinendi veniam peccatorum.

Fidelis, seu sine ullo mendacio.

Frequens, juxta poenitentis conditionem et confessarii judicium.

Nuda, idest sine ulla aequivocatione, et palliatione peccatorum.

Discreta, idest prudens tum in explicando peccata honestis verbis, tum in eligendo pio et docto confessario.

Libens, seu plene voluntaria.

Verecunda, idest facta cum pudore et modestia.

Integra, quoad peccata mortalia.

Secreta, scilicet apud solum sacerdotem.

Lacrymabilis, idest non confessio historica, sed dolorosa, nempe cum vero dolore conjuncta.

Accelerata, scilicet non multum dilata post commissum peccatum.

Ex praedictis conditionibus aliae ad perfectionem confessionis tantum pertinent, ideoque nisi agatur de materia gravi, totalis vel partialis earum defectus invalidam non reddit confessionem. Aliae vero pertinent ad ejus validitatem, uti dolor, integritas et fidelitas, in vocibus *lacrymabilis*, *integra*, et *fidelis* contentae; de quibus tantum propterea nobis disserendum venit: at cum de dolore jam egimus, nunc de integritate et fidelitate seu sinceritate.

Quoniam vero ad confessionem rite perficiendam multum interest ut conscientiae *examen* praemittatur, de hoc prius agemus.

Art. II.

De examine conscientiae ante confessionem.

441. — *Q.* Poenitens tenetur ne ad examen ante confessionem?

R. Praemitto: Examen est accurata suipsius *discussio*, juxta Trid., seu conscientiae investigatio de omnibus quae in confessione recenseri debent. Iam vero:

I. Ad examen tenetur omnis poenitens qui sciens et noscens mortalia commisisse, animadvertit quod ex omissione examinis grave periculum subiret ex oblivione materiam in confessione necessariam retinendi; - ratio, quia qui tenetur ad finem nempe ad confitenda omnia sua peccata mortalia, tenetur etiam ad medium ad hunc finem consequendum necessarium. Hinc *per se* graviter peccat qui ex *gravi* negligentia in examine suae conscientiae aliquod peccatum grave omittit, et tenetur iterare confessionem utpote invalidam. Dixi *per se*, quia cum ad peccatum grave advertentia ad gravitatem requiratur, *per accidens* poenitens, rudis praesertim, ob defectum hujus advertentiae a gravi culpa excusatur.

II. Ad examen non tenetur poenitens qui de numero et specie peccatorum bene recordatur. Nec poenitens qui sola venialia habet; iste tenetur tantum curare, ut materiam sufficientem Sacramento subministret. *In praxi* tamen poenitentibus piis suadendum est ut examini conscientiae dent operam saltem per quinque minuta, ad extirpanda scilicet peccata venialia, et fructum ex Sacramento percipiendum.

442. — *Q.* Examen quale esse debet?

R. Examen conscientiae juxta verba Trid. *diligens* esse debet. Non requiritur tamen diligentia *summa*, etsi quis putet per hanc alia peccata se reperiturum; diligentia enim summa confessionem redderet nimis onerosam, et anxietatibus plenam; nec sufficit diligentia *levis*; sed requiritur et sufficit diligentia *mediocris*, qualem vir prudens in arduis negotiis adhibet, vel qualem moraliter

Accusans, seu non excusans, vel minuens peccata.

Et *sit parere parata*, seu poenitens sit obediens confessario in iis in quibus obedire tenetur, ut in fugiendis occasionibus, in adhibendis remediis, in restitutione facienda, in acceptanda poenitentia. Si tamen justa causa obstaret non obtemperandi, bene potest poenitens eam cum debita reverentia confessario exponere, qui si in sua sententia perseveret, tunc poenitens debet obedire, aut, si rationes sunt graves et proportionatae, alium adire confessarium.

—

loquendo docti et timorati adhibere solent [1].

Haec autem diligentia *mediocris* diversa est pro diversis poenitentibus, nempe pro statu et capacitate poenitentis, temporis mora ab ultima confessione et ceteris circumstantiis. Hinc minor diligentia in eo requiritur qui raro peccatum mortale committit, maxime si timoratam habeat conscientiam, quia si aliquod peccatum mortale commisit conscientia facillime eum redargueret — Item in aegrotis non requiritur examen tam accuratum ut in sanis, imo aliquando fere nullum erit exigendum; praestat enim eos etiam imperfecte confessos in statum gratiae per absolutionem restituere, quam dilatis Ecclesiae Sacramentis, damnationis periculo exponere. — In eis vero qui plura mortalia habent major quidem diligentia requiritur, sed semper diligentia humana et discreta, quae ex se non generet fastidium et taedium hujus Sacramenti. Unde a meretrice v. g., a concubinario et similibus, qui confessionem longioris temporis facere debent, minus exacta et distincta inquisitio exigenda est circa singula peccata eorumque numerum, quam si per mensem, vel per hebdomadam tantum in eo peccato fuissent.

Post mediocrem istam diligentiam poenitens non tenetur de anteacta vita ulterius cogitare, et si quid occurrat quod videatur non fuisse in confessione explicatum, nisi certo sciat omisisse, potest sibi persuadere cum ceteris id memoratum fuisse.

Non est autem necessarium peccata scribere ne memoria excidant, imo nec consulendum ob periculum evulgationis, vel scandali consecuturi, et Sacramenti contemptus; et hoc maxime scrupulosis prohibendum est.

Ad examen bene peragendum (quoad illos qui longi temporis confessionem facere debent et plura diversarum specierum mortalia commiserunt), modus aptior est ut praecepta Dei et Ecclesiae atque obligationes proprii status percurrant. Alii suggerunt ut etiam vitia capitalia considerentur; sed haec consideratio vix quidquam praeter confusionem et repetitiones producere solet. — Quoad illos autem, qui a brevi tempore sunt confessi, aut in unam, vel alteram dumtaxat peccatorum speciem labi solent, sufficit si circa haec peccata consueta se examinent, aut considerent summatim quaenam contra Deum, proximum et se ipsos commiserint.

443. — *Q.* Quomodo ergo se gerere debet confessarius, si poenitens examen conscientiae omisit?

R. Confessarius si cognoverit poenitentem conscientiam suam sufficienter non examinasse, et poenitens sit instructus, et agatur de confessione prolixa et implicata, et poenitens commode redire possit, et libenter rediturus sit, benigne eum dimittat ut se examinet. Quod si is affirmet se

[1] Hinc *pro praxi* observari oportet quod plures libri *ascetici*, quod praescriptum est confundendo cum eo quod desideratur ab animabus piis ad perfectionem tendentibus exigunt in examine diligentiam non solum mediocrem, sed summam; quae res saepe saepius perplexitates generat et scrupulos; quare prudens confessarius debitam distinctionem sedulo animadvertat.

in eam rem omne studium contulisse, ordinarie confessarius eum audire debet, ne forte semel dimissus amplius non redeat [1].

Si vero agatur de confessione ordinaria et non implicata, vel etiam implicata sed poenitens sit rudis, vel difficile reversurus sit, tunc Confessarius eum non dimittat, sed opportunis interrogationibus ipsum examinet tum circa ejus peccata, nempe species, numerum, circumstantias, etc.; tum circa ejus statum, nempe si sit occasionarius, habituatus, recidivus, etc.. Examinet autem *discrete* et non sit plus aequo sollicitus de numero cum rudibus, habituatis, et quoad actus internos ; *caute* in rebus lubricis, praesertim cum pueris et puellis.

Quoad vero confessiones praeteritas, si evidenter appareat fuisse sacrilegas, poenitentem moneat ut eas repetat ; si autem irritas, taceat si monitio non censetur profutura, modo poenitens versetur in bona fide, nempe sincere teneat se rite confessum fuisse. At nunquam est repetenda confessio intermedia, si forte valida fuerit [2].

444. — *Q.* Confessarius tenetur ne suis interrogationibus supplere defectui examinis in poenitente ?

R. Confessarius suis interrogationibus tenetur supplere defectui examinis in poenitente duobus in casibus :

1. Si poenitens culpabiliter omisit in examine debitam diligentiam, seu illam, quam poterat et debebat ; cum enim talis defectus examinis in poenitente culpabilis

[1] Cat. Rom. (De Sacr. Poen. 60) ad rem sic habet : « Si sacerdos hujusmodi homines prorsus imparatos cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet ; hortabiturque ut ad cogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur. Quod si forte affirmaverint se in eam rem omne studium et diligentiam suam contulisse, (quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant), audiendi erunt ; praesertim vero si emendandae vitae studium aliquod prae se ferant, adducique possint, ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore diligenti et accurata meditatione compensaturos promittant ».

Attamen cl. Gousset (de Sacr. Poenit. c. III) tenet tutius esse, et poenitenti ad sacrum tribunal imparato accedenti utilius esse, ejusdem confessionis exordia sumere eum interrogando de peccatis quae probabiliter committere potuerit. Potioribus culpis in lucem proditis, si confessor expediens duxerit ad aliquod tempus eum remittere, facilius deinde redibit. Nec nostris ab oculis recedat illud praecitati Catechismi: *Sacerdoti maxime verendum est ne semel dimissi amplius non redeant.* Quolibet vero in casu, tali modo poenitentes excipiantur oportet, qui confiteri nesciunt, nisi confessarii interrogationibus respondendo. Sive de aegrotantibus, sive de bene valentibus agatur, sunt quidam fideles, quorum confessionem ipse confessarius peragere quodammodo debet. Plures occurrere christifideles monet Leo XII in sua Encyclica pro Jubilaeo Romae concesso (1825) qui se sistunt ministris sacramenti Poenitentiae quin ullatenus se disposuerint, tales tamen ut necessariae dispositiones in eorum corde huic praeparationis defectui succedere possint, dummodo sacerdos, visceribus misericordiae Jesu Christi indutus, qui non venit vocare justos, sed peccatores, zelum, patientiam ac mansuetudinem erga illos adhibere sciat. Deinde subdit idem Pontifex, neque eos esse tenendos uti debita praeparatione carentes, qui propter ignorantiam procedentem ex eorum conditione, vel spiritus hebetudine, conscientiam suam satis perscrutati non fuerint, cum inhabiles fere sint ad id suis viribus faciendum absque sacerdotis auxilio ; si tamen confessarii curis respondentes, eos doloris et poenitentiae proferant sensus, qui ad gratiam Dei per hoc Sacramentum adipiscendam necessario requiruntur.

[2] *D'Annibale,* III, 351.

sit, si confessarius huic defectui suis interrogationibus non suppleat, confessio erit sacrilega, aut saltem nulla.

2. Si poenitens, quamquam debite se examinaverit, attamen ex ejus confessione confessarius nequit sufficienter cognoscere statum ejus conscientiae circa pravos habitus, vel circa occasionem peccati et similia, ut ei opportuna remedia praescribat; quia secus confessio vel esset nulla, vel saltem inefficax ad producendum suos effectus [1].

Seclusis his casibus, confessarius non tenetur poenitentem ulterius interrogare, quia confessarius non obligatur ad interrogandum plus quam poenitens teneatur ad se examinandum; sed poenitens, adhibito debito examine, non tenetur, ut diximus, ulterius se examinare: ergo. Nec quis dicat confessarium teneri ulterius poenitentem interrogare ad tuendam integritatem materialem confessionis; nam respondetur quod integritas materialis non semper est possibilis, ideoque non est absolutae necessitatis, bene vero requiritur et sufficit integritas formalis juxta capacitatem poenitentis.

Hinc Catech. Roman. ait.: « Si confessarius, audita confessione, judicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti *omnino* defuisse, absolvi poterit » [2].

[1] Nil facilius est, quam poenitentem absolvere postquam obiter ac generatim se de illa vel hac peccati specie accusaverit, non curando neque numerum, neque species, neque necessarias circumstantias peccatorum, ut solent famuli, aurigae, milites, caupones et alii, qui vitam ducunt aeternae salutis negligentem, procul a concionibus et ecclesia. Sed nihil damnabilius pro ipso poenitente, qui in re praecepta, atque ad salutem necessaria deficit: cum tamen ex Angelico frequenter quae *prae confusione poenitens taceret, interrogatus revelet.* Nihil proximo perniciosius, quatenus poenitentes plerumque non se accusant, si non interrogentur, de scandalo, vel de omissionibus gravissimis in officiis proprii status, v. g. in educatione filiorum, in custodia domus, etc.. Nihil terribilius pro confessario qui illos deficere patitur, Sacramenti necessariam integritatem contemnit, ac perfunctorie rem adeo gravem prosequitur contra praeceptum Ritualis: *Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.* Et cap. *Omnis* de Poenit. legitur: *Sacerdos sit discretus et cautus... diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati.* Iterum S. Th.: *Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione: quasi medicus vulnus et judex causam.* — Scavini, III, 379.

[2] Errant propterea sive confessarii qui opportunas interrogationes juxta statum et capacitatem poenitentis omittunt, sive qui poenitentem vexant nimiis et importunis interrogationibus. Hae nimiae et indiscretae interrogationes non solum inutiles sunt, sed saepius damnosae; tempus enim pretiosum terunt, mentem poenitentis nimis defatigant, minus intentum reddunt ad dolorem peccatorum concipiendum, et confessarium impediunt ne alios poenitentes audiat, cum magno animarum detrimento. Haec autem incommoda magis magisque eveniunt ex nimiis et importunis interrogationibus in materia turpi. Sane, ait Cl. Frassinetti (Dissert. XI), nunquam satis detestari poterimus praxim illam aliquorum Confessariorum, qui, ut ipsi dicunt, pro integritate confessionis servanda, nesciunt imponere modum interrogationibus circa res turpes, praesertim cum mulieribus et puellis. Quaecumque in theologis ipsi legerint spectantia ad distinctionem specificam peccatorum turpium, ad eorum modos, et varietates, perfricata fronte pergunt interrogare. Et dico *perfricata fronte:* quis enim piae, vel saltem sanae mentis Sacerdos, inter sacra Ecclesiae septa, medius inter altaria, super quae immolatur Agnus Dei, in admini-

ART. III.

De integritate confessionis.

§ 1°

De integritate confessionis quoad numerum et speciem peccatorum.

445. — *Q.* Quaenam integritas requiritur in confessione?

R. Praemitto: Integritas confessionis duplex est: materialis et formalis. Integritas *materialis* est accusatio omnium mortalium quorum poenitens reus est. Integritas vero *formalis* est accusatio omnium mortalium quae hic et nunc, spectatis circumstantiis, *moraliter* confiteri *potest* et *tenetur*, licet aliqua omittat ex justa causa. Hoc posito:

I. In confessione *per se* requiritur de jure divino integritas materialis; - ratio, quia alias nec judicium sacramentale recte institui, nec aequitas in poenis statuendis servari posset.

II. In confessione, *per accidens*, seu quando integritas materialis haberi nequit, sufficit integritas formalis; - ratio, quia praeceptum divinum non obligat ad impossibile.

De fide autem est quod jure divino in confessione necessaria est integritas materialis, et in ejus defectu, formalis, ut constat ex can. VII Trid. superius relato.

446. — *Q.* Quaenam pertinent ad integritatem confessionis?

R. Ad integritatem confessionis certum est pertinere:

1. *Numerum* peccatorum mortalium; Trid. enim in canone praedicto ait confitenda esse *omnia et singula* peccata. At *per se* necesse non est declarare in confessione utrum pluries cum eadem an cum diversis personis peccatum fuerit commissum; v. g. qui ter fornicatus sit, necesse non est ut dicat an ter cum eadem vel semel cum tribus. *Per accidens* tamen fieri potest ut talis circumstantia explicanda sit, v. g. ratione scandali, aut damni, aut occasionis proximae.

2. *Speciem infimam*, alioquin non aperirentur peccata prout sunt, cum non omnia in una specie malitiae conveniant (V. dicta vol. I, n. 239). Unde damnata fuit sequens propos.: *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit praecepto confessionis, dicens commisisse cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Qui vero non potest speciem infimam patefacere, tenetur manifestare speciem *supremam*, v. g. si quis sciat se peccasse contra castitatem, nec recordetur de peccato specifico, tenetur tamen confiteri graviter peccasse contra castitatem. Et si ignorat speciem etiam supremam, tenetur confiteri saltem *in genere*, nempe se peccasse graviter, non recordari autem cujus speciei peccati sit reus [1].

stratione Sacramenti, quod est lavacrum ejusdem Sanguinis, quis audeat et non horrescat vocabula adhibere lupanaribus potius consona, praesertim alloquendo mulierculas, ut exquisite exquirat omnium spurcitiarum genera? Faxit Deus ne quis detestabilem hujusmodi praxim sectetur, ut suo malo ingenio indulgeat! Plerumque simplicita-

ti, seu scrupulo tribui solent exosae illae interrogationes; attamen nec scrupulus, nec simplicitas quaevis potest excusare hunc teterrimum abusum rei tam sacrae.

[1] Cum aliquae species infimae minutiores peccatorum a rudibus distingui non soleant, nec possint, confessariorum praxis est ut circa easdem ab interro-

3. *Circumstantias ex quibus novum exurgit peccatum letale,* idest quae speciem mutant, vel aggravant in infinitum, de quibus clarius et fusius dicetur inferius.

4. *Actum externum ;* quia peccata externa ab internis moraliter differunt ; et aliunde absque declaratione actus externi, confessarius munere suo fungi non posset, ut par est, circa monita praebenda , etc..

Quoad *media adhibita,* explicanda sunt in confessione, licet peccatum non fuerit consummatum, quia tunc externum evadit. Si media sunt indifferentia, sufficit dicere in genere ; si autem mala in se, etiam in specie, et quidem omnia si sunt diversae speciei, uti tactus , oscula turpia , etc. (Cf. vol. I, *De peccatis,* n. 242).

5. An vero confitendus sit *effectus ex peccato secutus,* Th. affirmant si effectus secutus inducat censuram vel reservationem, quae nimirum nonnisi effectu secuto incurritur, ut v. g. in abortu ; vel si ex eo nascitur obligatio restitutionis faciendae, de qua judicare debet confessarius, et quoties is legitime interrogat non modo ut judex, sed etiam ut medicus.—Seclusis his casibus, disput. Alii cum S. Alph. [1] affirmant, si effectus fuit saltem in confuso praevisus, quia talis effectus utpote malus et voluntarius in causa, est peccatum in se [2]. Sed alii cum De Lugo negant, quia actus externus , qui denominatur liber a libertate actuali actus interni, est vere et proprie peccatum ; effectus vero non immediate sed postea secutus, in somno v. g., non est proprie peccatum, sed effectus peccati, siquidem non potest esse peccatum actuale in eo qui actualiter non agit ; in confessione autem explicari debent omnia et sola peccata, ideo debet explicari actus externus quando est actualiter, non vero effectus postea secutus [3]. — Cl. D' Annibale vero

gationibus facile pro casibus abstineant, alioquin confessiones, ut plurimum nimis implicatae et difficiles redderentur; ipsi poenitentes has minutas distinctiones vix intelligunt, et saepe a confessione tanquam nimis onerosa deterrerentur. — Casus accidit speciatim quoad peccata cordis, et oris: poenitentes communissime credunt sufficere si dicant v. g. cogitationes turpes in mente habui, quin inter delectationem morosam, complacentiam peccati commissi, nec non desiderium peccati committendi ullatenus distinguant. — Similiter dicunt: sermones turpes feci, nullo discrimine facto inter simplicem narrationem obscoenam, jactantiam, et provocationem ad malum: imo ordinarie vix ac ne vix quidem illas species tum cogitationum, tum sermonum discernere praesertimque recordari possunt, nisi forte circumstantia aliqua valde extraordinaria intercesserit. *Berardi* Praxis, n. 1034 et 40.

Quando poenitens adeo *rudis* est, ut nullius peccati in specie, sive in vita praesenti, sive in praeterita, recordetur, tunc proponat ei confessarius quasdam peccatorum species, et illum interroget utrum neque post ultimam confessionem, neque antea, v. g. proximum offenderit, iratus fuerit, inobediens, negligens in orando etc. — Quod si annuit, bene poterit confessarius absolutionem concedere, excitato tamen prius dolore et proposito cum reliquis actibus. — Si vero nihil recordetur poenitens, statim dicat confessarius: Eliciamus simul actum contritionis de omnibus peccatis totius vitae, maxime contra caritatem proximi, aut religionem commissis, et veniam a Deo petamus ; quando poenitens annuit, etsi antea dixerat, se peccati non recordari, confessarius poterit *sub conditione* identidem absolvere, si nempe a diuturniore tempore poenitens absolutus non fuerit. *Lehmkuhl,* II, 267.

[1] De peccatis, n. 10.

[2] *Marc,* 1692.

[3] *Gury,* 490 ; *Lugo,* Disp. 16, 440.

sic distinguit : Si hujusmodi effectus novum peccatum faciunt, et ex his sint qui ex causa posita sequi possunt et non possunt, affirmantium sententia mihi verissima est, secus negantium probabilis. Proinde si quis v. g. domum alterius incendit, veneno hominem abstulit, abortivum sumpsit et ejecit, sat erit dicere : *Domui alienae ignem admovi : Titio venenum dedi : abortivum sumpsi.* At si propter ebrietatem omiserit sacrum die festo, vel blasphemaverit, vel occiderit, debet significare se, vino indulgendo, haec pericula subiisse, et revera ebrium omisisse sacrum, blasphemasse, occidisse [1].

447.—*Q.* Poenitens qui numerum mortalium certe non novit, quomodo confiteri debet ?

R. — 1. Iste poenitens debet aperire numerum proximiorem sub consueta clausula: *circiter,* vel *plus minusve.* Haec tamen clausula non comprehendit quemlibet excessum vel defectum, sed modicum, qui major, vel minor esse poterit, habita ratione ad ipsum numerum certum. Unde generatim dicunt Th. relate ad *tria* peccata excessum vel defectum esse *unum ;* relate ad *decem,* esse *duo ;* relate ad *triginta* esse *tria ;* relate ad *centum* esse *decem,* etc.. Unde si quis confitetur se commisisse decemmortalia circiter, si postea recordetur ea certo fuisse undecim, non ideo tenetur undecimum iterum confiteri, nam omnia undecim sunt directe remissa, quia in illo *circiter* ex communi loquendi modo jam includitur etiam undecimum.

2. Si poenitens declarando numerum peccatorum suorum notabiliter erravit, et in bona fide id fecit, si postea detegit *minorem* revera fuisse numerum, errorem suum corrigere non tenetur, et obligationi confessionis satisfecit, quia verus numerus in majori fuit comprehensus ac remissus. Si vero agnosceret se *plura* admisisse peccata quam quae confessus est, tunc cum excessus notabilis non comprehendatur in numero declarato cum particula *circiter,* poenitens non satisfecit obligationi confessionis quoad numerum peccatorum, ideoque illum declarare tenetur in subsequenti confessione. Ita omnes.

3. Si propter nimiam multitudinem peccatorum, poenitens nequit eorum numerum confiteri nec sub consueta clausula : *circiter,* vel *plus minusve,* dicat v. g. ter, aut quater blasphemavi in hebdomada, in die, per duos, vel octo annos, etc.

Hinc in poenitente *habituato* et *consuetudinario* confessarius non debet esse nimis anxius in exquirendo numerum peccatorum, quia saepe est impossibile talem numerum certum habere ; plures enim ad importunitatem confessarii solum divinando respondent : *centies, millies ;* sed quis prudens fidem eis praestabit ? Unde melius faciet confessarius, si diligenter statum conscientiae exquirat, et exinde interrogando poenitentem de lapsibus plus minusve in die, vel hebdomada, vel mense, saltem in confuso numerum peccatorum apprehendat durante consuetudine commissorum, quin certum judicium faciat cum periculo errandi [2].

[1] *D'Annibale,* III, 303 (23).

[2] S. Alph., L. VI, 466.

§ 2°

De circumstantiis peccatorum.

448. — *Q.* Circumstantiae peccati pertinent ne ad confessionis integritatem ?

R. Praemitto : Circumstantiae peccati quadruplicis generis sunt : —1° Aliae *speciem mutant,* et sunt quae actum humanum ex una in aliam speciem trahunt, v. g. ex indifferenti, vel bono reddunt malum, puta eleemosyna data ad finem malum. — 2° Aliae *speciem addunt,* nempe adjiciunt actui peccaminoso malitiam specie distinctam ab ea quam actus habet ratione objecti ; sic circumstantia voti castitatis addit pollutioni malitiam sacrilegii. — 3° Aliae peccatum in eadem specie *aggravant in infinitum,* seu *speciem theologicam mutant,* nempe peccatum, quod ex se leve est, faciunt grave, ut v. g. furtum rei levis, quae tamen domino grave damnum affert [1]. — 4° Aliae peccatum *simpliciter aggravant* in eadem specie et hoc vel notabiliter vel leviter, prout notabiliter vel leviter augent malitiam actus peccaminosi, puta ratione durationis, intensitatis, gradus, modi, temporis, loci, personae, etc.. Hoc posito :

I. Circumstantiae quae speciem peccati *mutant* vel *addunt,* si graves sint, necessario confitendae sunt ; - ratio, quia per se novum peccatum constituunt, ideoque numerum peccatorum augent. — Attamen ut poenitens ipsas confiteri teneatur, oportet : 1° Ut hanc malitiam specie diversam cognoverit ; 2° ut haec malitia mortalis fuerit, ut puta si odium contra patrem, matrem, fuerit grave ; 3° ut dicta malitia non solum sit mortalis in se, sed etiam a poenitente ut talis saltem confuse apprehensa fuerit ; - ratio, quia ad peccatum *formale* requiritur cognitio et voluntas, nam secus peccatum in poenitente esset tantum specie materialiter diversum non vero formaliter.

2. Circumstantiae quae peccatum in eadem specie *aggravant in infinitum* seu speciem theologicam mutant, certe confitendae sunt, quia peccatum e veniali reddunt mortale.

3. Circumstantiae vero, quae peccatum *simpliciter aggravant,* et quidem solum *leviter,* juxta omnes non sunt necessario confitendae, quia peccatum veniale tantum sunt.

Si vero aggravant *notabiliter,* an sint necessario confitendae, Th. affirmant duobus in casibus : 1° quando adnexam habent censuram aut reservationem ; 2° quando confessarius earum notione indiget ad cognoscendam poenitentis dispositionem, aut ad imponendam restitutionem ; aliis verbis quando confessarius de illis ex justa causa interrogat ; hinc damnata fuit propos. : *Non tenemur Confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem* [2].

Seclusis his casibus, an circumstantiae notabiliter aggravantes intra eamdem speciem necessario confitendae sint, disput. Th.. Sententia communior et probabilior

[1] *D' Annibale,* I, 294 ; III, 303.

[2] Si tamen satis constaret quod Confessarius ex curiositate vel mero scrupulo interrogaret (exquirendo v. g. an poenitens tale vel tale peccatum valde probrosum in antecessum commiserit), tunc obligatio respondendi non adesset. Imo Suarez docet, quod poenitens, absque mendacii reatu, rotunde denegare posset. *Berardi,* 1034.

cum S. Thoma negat, sive quia Trid. praecipit ut confitèantur solum circumstantiae speciem mutantes, sive quia, ut dicit S. Alph., haec lex has circumstantias confitendi quum dubia sit, obligare nequit [1].

Nec quis dicat, quod sententia tutior tenenda est in materia Sacramenti, ne illud exponatur periculo nullitatis; hoc enim procedit cum agitur de validitate Sacramenti, secus de integritate. Porro relate ad Sacramenti validitatem sufficit confessio formaliter integra, quae in praesenti jam habetur.

Ceterum *in praxi* expedit ordinarie ut circumstantiae saltem notabiliores in confessione declarentur; id enim confert ad majorem animi pacem et humilitatem ideoque ad uberiorem ex Sacramento fructum percipiendum. Dixi: *ordinarie*, quia si agatur de scrupulosis eas confiteri non convenit; et si agatur de materia lubrica omnino reticere expedit.

Sunt et aliae circumstantiae de quibus magis disput. Th. utrum multiplicent peccata ex objectis externis an tantum peccata aggravent, v. g. si quis uno sermone pluribus detrahat, uno malo exemplo plures scandalizet. An hae circumstantiae confitendae sint, quaestio difficilior est. D' Annibale ait: Reor confitendas esse quoties poenitens eas reticendo vix non mentiri *videretur*. Puta: si is qui uno ictu tres occidit, vel rem pluribus communem surripuit, diceret: *commisi homicidium, furtum* [2] (Vid. dicta vol. I, n. 241).

449. — *Q.* Circumstantia *temporis* quo peccatum fuit commissum mutat ne speciem peccati?

R. Circumstantia *temporis* quo peccatum fuit commissum *per se* probabilius non mutat speciem peccati; — ratio, quia haec circumstantia non se habet ex parte peccati, sed ex parte poenitentis, proindeque non habet rationem peccati; nec ad peccatum pertinet. Quare qui confitetur peccatum in praecedenti confessione involuntarie omissum, non tenetur hanc circumstantiam explicare, nisi per accidens hoc requiratur ut confessarius sciat an possit absolvere vel non. — Dixi: *per se*, quia aliquando *per accidens* circumstantia temporis necessario confitenda est si peccati speciem mutet, puta si mulier vivente viro cum alio peccavit, et vidua se confitetur, vel si ipsi peccato ratione temporis adnexa est reservatio.

An vero confitenda sit circumstantia *temporis sacri*, Th. probabilius negant nisi quis peccet in contemptu temporis sacri, aut nisi quaedam speciatim prohibeantur ob reverentiam temporis illius.

450. — *Q.* Circumstantia peccati jam confessi, vel nondum confessi est ne declaranda ad integritatem confessionis?

R. Tribus in casibus certe est declaranda: 1° si haec circumstantia reservationem, vel novam peccati speciem secum ferat; 2° si poenitens versetur in occasione proxima peccandi; 3° si confessarius tali cognitione indigeat ut recte judicare possit de dispositione poenitentis, aut de remediis ei praestandis, aut de obligationibus imponendis.

[1] S. Alph., L. VI, 468.

[2] *D'Annibale*, III, 303, (20).

Seclusis his casibus, disput. Th. Plures affirmant [1], quia secundum suam essentiam est quid valde diversum peccatum mortale jam confessum a nondum confesso; siquidem nondum confessum est materia necessaria Sacramenti, confessum vero est pura materia sufficiens ac libera.—Plures vero sat probabiliter negant, quia circumstantia temporis quo peccatum fuit commissum non mutat speciem peccati. Quare dicunt quod si quis confessionem generalem instituit probabilius non tenetur distinguere peccata nondum confessa a peccatis jam confessis ; ideoque potest sine alia explicatione admiscere peccata nova cum antiquis, etiamsi id de industria faciat ad tegendum tempus quo peccatum commisit, quia utitur jure suo. Nec obstat quod dicat se velle confessionem generalem facere, per hoc enim non dicit se velle sola peccata antiqua confiteri, sed velle etiam illa comprehendere; nam confessio generalis omnia peccata usque ad hanc horam commissa complectitur. Nec refert quod mutetur judicium confessarii qui forte putat peccatum jam esse deletum, dum non fuit adhuc declaratum; quia sufficit ut Confessarius judicium ferat de peccato ut in se est, malitia enim non mutatur, sive jam remissum sit, sive non. Nec refert quod Confessarius intelligat illud esse peccatum antiquum, poenitens enim eum non decipit cum nihil dicat ; nec intentio absolvendi pendet a privata aestimatione Confessarii, qui intendit absolvere ab omnibus peccatis ad judicium delatis. Hoc autem probabiliter valet, etiamsi poenitens praevideat Confessarium putaturum esse peccatum recens jam fuisse alias declaratum *dummodo vi confessionis eum in hunc errorem non inducat,* sed tantum errorem permittat [2]. — Attamen in *praxi* semper ut discrimen illud fiat suadendum est [3].

451. — *Q.* Qui peccatum re-

[1] Bened. XIV, Casus consc., anno 1758 mense aprili.

[2] *Gury,* **Casus Consc. II, 433** ; *Lugo, Suarez; D'Annibale,* III, 309 (60).

[3] Casus — Paulina, industria mulier, si quando gravius peccet modum invenit peccatum cum minori verecundia confitendi, ut ex dicendis patebit.

1° Quondam cum peccati turpis rea evasisset, confessionem generalem summariam a pluribus annis instituit, et peccatum illud recens commissum, et nondum declaratum, cum aliis peccatis jam in praecedentibus confessionibus accusatis miscet et confundit.

2° Alias, culpa lethali recenti inquinata, accusatis venialibus, sic concludit: *Me accuso etiam de tali peccato quod anno praeterito infeliciter patravi.*

3° Alias, recurrente eodem casu, accusatis pariter venialibus, sic concludit: *Accuso me de omnibus culpis in tota vita mea commissis, praesertim de tali peccato turpi.*

Q. Quid de variis industriis Paulinae?

R. In primo casu, videtur Paulina integritati confessionis satisfecisse cum rigore loquendo, quia poenitens, significando se velle declarare peccata totius vitae usque adhuc, nihil excipit, nec confessarium in errorem necessario inducit. Nec obstat, quod peccata non adhuc declarata cum aliis jam confessis misceat.

In secundo casu, Paulina non satisfecit integrati confessionis, quia negavit se recenter peccasse, quod falsum est, et proinde aequivalenter celavit peccatum, hoc ultimo tempore commissum.

In tertio casu, defuit etiam integritati confessionis, quia peccatum recens, ut antiquum, accusavit: haec enim formula in fine confessionis ordinarie prolata: *Accuso me de peccatis totius vitae*, in sensu communiter accepto, significat peccata ante ultimam confessionem commissa. Ergo Confessarius intelligit peccatum a poenitente specifi-

cens ut antiquum accusat satisfacit ne integritati confessionis?

R. Nonnulli Th. putant hoc mendacium esse leve, ideoque integritati confessionis non obstare quia is tantum negat circumstantiam peccati, cumque haec neque aggravet in infinitum, non est necessario confitenda ac proinde mendacium circa ipsam non videtur esse grave [1]. Sed communius tenent mendacium esse grave, ideoque integritati obstare; quia *expressa* temporis determinatio in confessione omnino mutat actum clavis subjiciendum, actus enim quem hodie quis posuit non est idem ac ille quem posuit anno praeterito; ergo, quando quis dicit se peccasse anno praecedenti, non confitetur peccatum recenter commissum, et dupliciter mentitur, scilicet accusando peccatum quod altero anno non fecit, et negando peccatum quod recenter commisit. Nec obstat sententia eorum qui, ut diximus numero praecedenti, asserunt necessario non esse distinguenda peccata nondum confessa a peccatis jam confessis, ipsi enim hanc exceptionem communiter apponunt, dummodo poenitens vi confessionis Confessarium in errorem non inducat: sed tantum errorem permittat. At vero qui circumstantiam temporis in accusatione peccati positive excludit, negat eo ipso se recenter peccasse, quod falsum est [2].

452. — *Q.* Est ne confitenda circumstantia *consuetudinis* peccati?

R. Consuetudo peccati *per se* non est ex praecepto confitenda; nam consuetudo seu habitus malus vitium quidem est, sed ex se non est peccatum, ideoque nec circumstantia speciem mutans. — Dixi *per se,* nam *per accidens* confitenda est duobus in casibus: 1° Si huic consuetudini adjungitur voluntaria negligentia in adhibendis mediis ad vitium emendandum necessariis, quia tunc haec voluntaria negligentia efficit ut voluntarii et imputabiles sint actus etiam indeliberati qui ex consuetudine fiunt. 2° Si confessarius tali cognitione indiget ut recte munere suo fungi possit; uti constat ex propos. contraria damnata superius relata.

453. — *Q.* Est ne confitenda circumstantia personae v. g. si peccans sit Superior?

R. Haec circumstantia per se non est declaranda, cum per se speciem peccati non mutet. — Hinc poenitens in dignitate constitutus bene potest suam dignitatem occultare, etiam fingendo se esse alium, quia confessarius non personam, sed solum culpam personae cognoscere debet.

Dixi: *per se,* nam *per accidens,* si ratione officii, seu obligationis particularis, vel ratione scandali, novam speciem peccati secum ferat tunc haec circumstantia confitenda est, quia semper sunt confitendae omnes differentiae specificae peccatorum. — Hinc circumstantia personae peccantis, aut saltem ejus qualitatis, aperiri debet quando, v. g. ratione voti vel matrimonii, ejus peccatum contra castitatem induit specialem ma-

catum, ad vitam anteactam pertinere, et jam accusatum esse. Ergo Confessio ista integritate caret; ergo iteranda est. *Gury,* Casus Consc. II, 435.

[1] *D'Annibale,* III, 309 (60); *Bucceroni,* II, 715.

[2] *Gury* II, 488.

—

litiam sacrilegii, vel adulterii, vel quando ratione justitiae, vel pietatis quis tenetur curam habere specialem erga subditum quem in peccatum induxit, ut v. g. pater in filios, parochus erga parochianum; non vero confessarius erga poenitentem (nisi peccatum relationem habeat ad confessionem), quia inter confessarium et poenitentem nulla intercedit spiritualis cognatio [1].

An declaranda sit in specie *propinquitas* personarum in peccatis *incestus*, Th. affirmant de 1° gradu in linea recta, et probabilius etiam in transversali, de ceteris probabilius negant (cf. vol. I, n. 733); *item* quoad peccata *odii et injuriae*, Th. communiter affirmant de propinquitate propiori, ob strictum virtutis pietatis vinculum, negant de remotis.

§ 3°

De peccatis dubiis, vel oblitis, aut omissis.

454. — *Q.* Adest ne obligatio confitendi peccatum *dubium?*

R. Praemitto: Dubium potest esse vel de peccato commisso; vel de ejus gravitate; vel de ejus confessione. Hoc posito:

1. In dubio sive positivo sive negativo *de peccato commisso*, nempe quando poenitens dubitat an aliquod peccatum grave commiserit tunc, si praemisso diligenti examine dubium perseverat, an adsit obligatio illud confitendi, disput. Th. — Multi affirmant, quia Trid. dicit accusanda esse omnia mortalia prout sunt in conscientia, et proinde si dubia sint in conscientia, sunt etiam ut dubia confitenda. At sententia probabilior et communior negat, quia in tali casu lex est certe dubia; ergo non debet onus certum pro lege dubia imponi. Trid. vero non obligat poenitentes nisi ad confitendum mortalia quorum *conscientiam habent;* sed habere conscientiam peccati, idem est ac certam notitiam peccati habere; ergo.....

2. In dubio de *peccati gravitate,* nempe quando poenitens est quidem certus de peccato commisso, sed dubitat utrum grave an leve per se sit, iterum disput. Th. — Alii cum S. Th. affirmant per se esse confitendum, quia non poenitentis, *sed confessarii* erit discernere inter lepram et lepram; alias idem esset reus et judex [2]. Sed plures negant, quia, posito vero dubio, non constat de peccato *gravi* commisso, ergo nec de obligatione confessionis constare potest, ideoque possidet libertas [3].

Advertendum tamen, quod in articulo mortis, si quis dubitet an peccatum grave patraverit, sciens nunquam Sacramentum Poenitentiae post tale peccatum suscepisse, tunc, ad effugiendum periculum damnationis, tenetur, non jam peccatum illud confiteri, sed vel absolutionem sacramentalem suscipere confitendo aliam materiam, vel saltem actu contritionis elicere [4].

[1] *Ballerini* ad Gury, II, 487 (*a*).

[2] *D' Annibale*, III, 306 (42). Dixi: *per se*, nam si quis dubitet num peccatum grave sit ex parte advertentiae aut consensus, res varie ex variis personis aestimari debet; aliter enim judicandum est quoad virum timoratae conscientiae, aliter quoad eum qui assuetus est prolabi in mortalia.

[3] *Gury*, II, 478; *Scavini*, 303.

[4] S. Alph., L. VI, 473.

3. In dubio tandem *de peccati confessione,* nempe quando peccatum fuit certe commissum, et certe grave, sed poenitens est in dubio an illud jam confessus sit, adhuc disputant Th. — Sententia probabilior et communior cum S. Alph. affirmat esse confitendum, quia in tali dubio possidet lex confessionis, cui non satisfit per adimpletionem dubiam. Alii tamen distinguunt et dicunt: Si dubium est *negativum,* idest nulla appareat ratio affirmandi illud jam confessum fuisse, tunc certe confitendum est. Si vero dubium est *positivum,* ita ut adsint rationes sat probabiles quod jam confessum sit, tunc non adest amplius obligatio illud confitendi, quia in hoc casu lex confessionis esset jam dubia, quae proinde obligare nequit[1].

Sed quidquid sit de quaestione speculativa circa praedicta dubia, confessarius in *praxi* generatim has teneat regulas:

1am Si poenitens est *scrupulosus* confessarius permittat ut confiteatur tantum peccatum certe commissum, licet dubitet an grave sit vel leve; at omnino prohibeat confessionem aliorum peccatorum dubiorum; gravius enim malum a tali confessione pateretur, quam ex reticentia peccati forte commissi.

2am Si poenites est *timoratae conscientiae,* licet ad confessionem stricte non teneatur, ideoque ei imponi nequeat, tamen suadenda est ei talis confessio ad propriae conscientiae tranquillitatem. Attamen si talis poenitens timoratae conscientiae dubio laborat non circa aliquod speciale peccatum recenter commissum, sed circa quaedam peccata praeteritae vitae, tunc etsi nullo modo memoretur ea peccata se confessum fuisse, tamen, ex eo quod in praeteritum se confessus fuit cum debita attentione et diligentia, tenere debet se illa peccata jam confessum fuisse, ideoque non amplius confiteri debet, secus via scrupulis aperiretur.

3am Si vero poenitens est *laxae conscientiae,* et peccatis mortalibus frequenter soleat plene consentire, confessionem imponat, quia praesumptio stat contra ipsum, neque talis poenitens dubitaret, si non consensisset.

455. — *Q.* Poenitens qui peccatum uti dubium confessus sit, si postea certo cognoscat, tenetur ne illud iterum confiteri?

R. Si poenitens dubius erat de *peccati gravitate,* et illud ut cognoverat confessus sit, amplius non tenetur; hoc commune est apud Th., quia judicium non ad reum sed ad judicem spectat.

Si autem dubius erat *de peccato,* et peccatum uti dubie commissum confessus sit, tunc an teneatur illud iterum confiteri, disput. Th. *Prima* sententia negat[2], quia peccatum illud jam fuit explicatum ut erat in conscientia tempore confessionis, jamque directe absolutum. *Secunda* tamen communior, quam sequitur S. Alph.[3], affirmat, quia licet peccatum fuerit jam directe remissum, tamen expositum non fuit ut erat in conscientia, nec explicata fuit substantia peccati quae consistit in ejus cognita gravitate; ideoque ad supplendam integritatem confessionis opus est illud ut certum manifestare.

[1] S. Alph., L. VI, 477; *D' Annibale,* III, 306 (41); cf. *Génicot.* II, 290.

[2] *D'Annibale,* III, 350 (8).

[3] S. Alph., L. VI, 478.

456. — *Q.* Quid de peccatis in confessione *oblitis* seu inculpabiliter *omissis* ?

R.— 1. Peccatum grave inculpabiliter (nempe ex oblivione, aut alia legitima causa) in confessione omissum per absolutionem sacerdotalem certe est indirecte remissum, quia absolutio certe valida est, nam ad ejus validitatem sufficit integritas formalis. Ergo si Sacramentum validum est, certe suum effectum producit, nempe remissionem peccatorum : sed peccata mortalia remitti non possunt unum sine alio ; ergo vi absolutionis sacramentalis directe remittuntur peccata confessa, et indirecte, virtute nimirum gratiae sanctificantis, peccata inculpabiliter omissa.

2. Peccatum grave in confessione inculpabiliter omissum necessario in subsequenti confessione declarari debet ; ratio, quia praeceptum divinum confessionis obligat clavibus Ecclesiae subjicere, seu confiteri omnia peccata mortalia, ut directe remittantur ; ita ut ipsa contritio perfecta peccata non remittat nisi quatenus saltem implicite votum Sacramenti continet. Unde ad implendum divinum praeceptum confessionis peccatum inculpabiliter omissum et indirecte tantum remissum, clavibus Ecclesiae subjiciendum est, ut directe absolvatur. Et propos. : *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione aperire,* damnata fuit ab Alex. VII, n. 6.

3. Praeceptum divinum confitendi peccata gravia inculpabiliter omissa *moraliter* accipiendum est, ideoque probabilius non obligat *quamprimum,* sed quamdam latitudinem admittit. Usquequo vero extendatur haec latitudo, non conveniunt Th. Plures graves Th. dicunt quod poenitens probabiliter differre potest confessionem horum peccatorum donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur ; hinc ad varios menses, et etiam ad tempus annuae confessionis differri posset. Attamen nulla alia confessio, iis omissis, interponi potest ; quia ad integritatem confessionis pertinet declarare in actuali accusatione omnia peccata mortalia nondum accusata, quae memoriae occurrunt, seu, ut dicit Trid., *quorum habetur conscientia* [1].

Ex dictis patet, quod poenitens qui peccatum in confessione inculpabiliter omisit, non tenetur illud ante Communionem confiteri, si prius menti occurrat, et hoc, probabilius, etsi absque incommodo confiteri possit. Nec tenetur ante Communionem ad actum contritionis perfectae, quia per validam absolutionem jam justificatus est.

Si autem poenitens statim redeat ad confitendum hoc peccatum oblitum, Confessarius, etsi possit absolutionem de hoc peccato differre ad aliam confessionem, melius tamen est, si facile fieri potest, ut novum Sacramentum conficiat et directe ab eo absolvat, tum ad poenitentis solatium et tranquillitatem, tum ob fructum ex Sacramento percipiendum. Adde periculum, ne poenitens eumdem Confessarium amplius adire non possit [2].

[1] Sess. XIV, cap. V ; S. Alph., L. VI, 257 ; *Gury,* II, 495.

[2] *Gury,* II, 396.

ART. IV.

De sinceritate confessionis.

457. — *Q.* Quid de sinceritate confessionis ?

R. Confessio debet esse sincera seu vera, ita ut si veritas deficeret in materia essentiali et necessaria, confessio non esset integra, ideoque irrita ; secus vero si deficiat tantum in materia libera.

458. — *Q.* Mendacium in confessione quodnam peccatum est ?

R. Mendacium potest esse vel in reticentia veri, vel in confessione falsi. Porro graviter peccat poenitens, sive sacrilegii contra virtutem religionis ob reverentiam sacramento debitam, sive mendacii contra virtutem veracitatis : — 1° Si reticet aut negat verum in materia necessaria, quae est solum mortale nunquam rite confessum et directe remissum. — 2° Si reticet vel negat verum etiam in materia non necessaria, sed ad praesens confessarii judicium necessario pertinente, ut si confessarius poenitentem interroget utrum jam alias illud peccatum commiserit, licet jam confessum, ut possit se dirigere ad impertiendam, vel differendam absolutionem ; vel si ipsum interroget de injungenda restitutione ; vel in praescribendis remediis contra relapsus aut occasiones proximas. — 3° Si confitetur falsum in materia gravi et necessaria, vel etiam non necessaria, sed totam materiam confessionis constituente, vel si notabiliter mutet judicium confessarii.

Seclusis his casibus, defectus fidelitatis, idest mendacium, erit solum veniale, sive pertineat ad confessionem, sive non; modo mendacium non sit grave per se[1].

[1] CASUS. — Veronica, Confessario invito, aliquando alios Confessarios adit, verecundiae causa, ut incognita incognito confiteatur. Has autem interpositas confessiones Confessario consueto studiose tegit, sive tacendo, sive dicendo se a 15 diebus ad confitendum non venisse, licet pridie ab alio jam absoluta fuerit. Imo interrogata a Confessario rem suspicante, utrum alio confitendi gratia perrexerit, vel absolutionem receperit, verbis ambiguis primum respondet, sed pressius adacta, negat, restrictione scilicet mentali utendo. Novit enim Confessarium mussitare, irasci, increpare, si resciat aliquam suam oviculam alio fuisse peregrinatam. Hinc quaeritur :

1° *An* Veronica *Confessario mentita fuerit in circumstantiis supra enuntiatis ? et an graviter dissimulatione peccaverit ?*

2° *Quid sentiendum sit de Confessariis, qui, timentes ne forte poenitentes alium Sacerdotem adeant, eos quaestionibus intricatis urgent et premunt, ut rem ab ipsis emungant ?*

R. Ad 1um. *Nego per se loquendo ;* etenim : 1° Veronica non mentita est dicendo : A 15 *diebus non veni*, vel *ad te non accessi ad confitendum*, quia reapse ad hunc Confessarium non venit. Sensus verborum non determinat necessario audientem ad concludendum nullam confessionem fuisse interpositam. — 2° Neque mentita est negando, se apud aliud Confessarium peccata sua deposuisse. Ratio est quia, cum confessio ex institutione divina sit omnino libera ratione Confessarii eligendi, jus habet poenitens Confessarium quemcunque approbatum adeundi. Atqui jure suo privaretur, et libertate careret, si fateri teneretur se alium Confessarium adiisse : nam, inquisitione Confessarii ordinarii molestatus, et timore futurae correptionis, vel ejus contristationis edoctus, jam a libertate exercenda moraliter impediretur : ergo poenitens non tenetur fateri se alium Confessarium adiisse. Ergo interrogationem Confessarii declinare vel dissimulare potest, seu simpliciter negare, utendo restrictione mentalis satis obvia in praedictis circum-

459. — *Q.* Peccat ne poenitens qui 1° exaggerat numerum peccatorum; 2° vel simulat vocem, vestem, etc. ne agnoscatur a confessario; 3° vel in gravem culpam lapsus eam primo alteri confessario confitetur, et postea confessario ordinario solas culpas leves pandit?

R. Ad 1um: Poenitens qui numerum peccatorum mortalium exaggerat *per se* graviter peccat, quia mortalia sibi falso imponit et in re gravi decipit judicem [1]; *per accidens* tamen a gravi culpa ob simplicitatem et bonam fidem excusatur si id faciat ob scrupulos, vel eo fine, ut ipse dicit, ut securus sit quod integre confessus sit.

Ad 2um: Qui in confessione vocem, vestem, etc. simulat, ne a confessario agnoscatur, per se non peccat, modo confessionem integram faciat, nam necesse non est ut poenitens a confessario cognoscatur, sed sufficit ut confessarius praesentem poenitentem absolvere intendat; intentio autem confessarii per se semper ad poenitentem praesentem est determinata [2]. — Sed si hoc facit vel ad finem graviter malum, vel ad extorquendam absolutionem, quam confessarius non esset daturus, v. g. quia poenitens est recidivus, peccat mortaliter.

Ad 3um: Per se non peccat in utroque casu, quia, ut supponitur, in prima confessione totam materiam necessariam et in secunda materiam sufficientem confessus est. — Ceterum *in praxi* inspiciendus est finis. Si enim hoc fecit eo fine ut bonus et sanctus penes confessarium ordinarium appareat, vel ut liberius peccatis suis indulgeat, tunc peccat et quidem graviter si finis est graviter malus, ut certe esset in secundo casu. Si vero hoc tantum fecit

---

stantiis. Ergo Veronica de mendacio non est arguenda. Ergo, nedum dissimulatione graviter peccaverit, sed ab omni peccato excusanda est.

Ad 2um. Graviter corripiendi sunt. Corripiendi, inquam, quia jus strictum fidelium in re gravissima violant et libertatem ab ipso Christo poenitentibus concessam tyrannico modo restringunt, ut eos jugo suo alligatos et concatenatos devinciant. Corripiendi, quia auctores sunt cur fideles libertate conscientiae carentes peccata tegant, et utrumque Sacramentum, Poenitentiae scilicet et Eucharistiae, multiplicatis sacrilegiis, polluant. Corripiendi, quia hac agendi ratione id efficiunt, ut passim Sacerdotes omnes vituperentur, et de zelotypia et perversa aemulatione arguantur.

Quid igitur est, o Sacerdos imprudentissime! quod adeo alicui mulierculae adhaereas, ut, si alio semel divertat, eam velut infidelitatis ream reprehendas? Dic, quaeso, undenam tanta tibi debetur fidelitas? numquid sacro foedere cum devotula fuisti devinctus? Quid times? numquid reformidas ne haec ovicula tuum ovile deserat? Quid tanti foret mali? minimi sane: nam onere eam dirigendi, et de ea in tremendo Dei judicio rationem reddendi careres; dum ipsa probabiliter aeque pingui et etiam pinguiori pabulo nutriretur. Quod si vir poenitens aliquando apud alium sarcinam peccatorum deponat, parum ex hoc commoveris; unde discrimen? Numquid anima viri non tam tibi cara est, quam anima mulieris? Adhuc de una re te interrogatum volo. Numquid tu ipse fidelitatem proprio Confessario servasti? nonne quandoque ad alium sine scrupulo divertisti? Quare igitur beneficium quo uteris pro te ipso, poenitentibus negares? Quid rei respondendum in promptu haberes, si quondam tibi conquerenti et objurganti mulier responderet, sicut novi aliquam repondisse: Quare tu ipse aliquando Confessarium mutas? Proterva quidem, sed non insana responsio!—*Gury*, Casus Consc. II, n. 443.

[1] S. Alph., L. VI, 495.

[2] *Gury*, II. 476.

ob quamdam erubescentiam aut timorem, ne imprudenter et graviter reprehendatur, ne de veniali quidem esset damnandus[1].

460. — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius si poenitens peccatum ipsi notum non deponat?

R.—**1.** Si confessarius illud poenitentis peccatum scit extra confessionem, et noverit *ex propria scientia* v. g. furantem vidit, vel blasphemantem audivit, tunc sine dubio non debet absolvere, si ille negat, quia in hoc casu sacrilege peccatum occultaret, ideoque Sacramento esset indignus; modo non adsit prudens dubium quod ille aut fuerit peccati oblitus, vel alteri confessus, vel justam habeat causam reticendi. Ita Th. communiter.

2. Si vero confessarius id habet ex suspicione, vel *ex aliorum relatione,* nec prudens adest praedictum dubium quod poenitens fuerit peccati oblitus, vel alteri confessus, etc., tunc Th. communiter dicunt quod post diligentem interrogationem regulariter debet absolvere negantem, quia in hoc foro omnino poenitenti credendum est tam pro se quam contra se[2].

3. Si autem confessarius noverit peccatum *ex confessione alterius*, v. g. ex confessione complicis, tunc utique non poterit specialiter poenitentem de illo interrogare, nisi peccatum sit consuetum talibus personis, vel nisi expressam ab altero licentiam habeat, sed tantum poterit *generatim* interrogare; et in hoc confessarius non sit nimius in interrogationibus repetendis, quia tunc adesset periculum revelationis.

Quod si poenitens neget peccatum commissum, et aliunde non adest praedictum prudens dubium quod poenitens fuerit peccati oblitus, vel alteri confessus, etc., tunc disput. Th. quid faciendum erit. — Alii dicunt confessarium posse et debere absolvere poenitentem, cui credendum est sive *stet pro se*, sive *contra se.* — Alii dicunt confessarium debere poenitentem absolvere, sed sub conditione. — Alii vero primam et secundam sententiam excludunt, quia in primo casu licitum est uti notitia confessionis, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum gravamen poenitenti infertur, et in secundo casu, absolutio conditionata licita tantum est quando dubia est dispositio p o e n i t e n t i s, non vero quando ejus indignitas est certa. Unde dicunt quod confessarius in eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid super ipso oret, v. g. dicat *Misereatur*, etc., et dimittat[3].

Ceterum *in praxi* vix casus eveniet in quo confessarius debeat absolutionem denegare poenitenti ob sacrilegam occultationem peccati; siquidem vix unquam certus esse poterit de criminoso poenitentis silentio. Nam praeterquam quod poenitens posset esse alteri confessus, vel peccati oblitus, vel

[1] Quocirca Confessarius de hoc nunquam curiose inquirat, ac multo minus poenitentem conantem forte id dissimulare interrogationibus vexet, neque, si sciat, ostendat sibi id displicere, sed potius probari sibi usum libertatis, quam amplissimam Ecclesia permittit, dum plurium confessariorum copiam fidelibus facit. *Ballerini ad Gury*, II, 475 (*a*).

[2] Sed dumtaxat in rebus dubiis, et prout decet virum prudentem, ideoque nisi contrarium certe moraliter constet. *D' Annibale*, III.

[3] S. Alph., L. VI, 631.

justam habere causam peccatum reticendi, nonne potuisset prior poenitens decipi, vel in malum finem decipere? Quis novit unquam quousque aliquando perveniat humana malitia?[1].

ART. V.

De causis ab integritate confessionis excusantibus, et de manifestatione et inquisitione complicis.

§ 1°.

De causis ab integritate confessionis excusantibus.

461. — *Q.* Quaenam causae excusant ab integritate confessionis?

R. Nulla est causa excusans ab integritate *formali*, cum haec sit declaratio peccatorum quae quis hic et tunc potest et debet confiteri. — Tota igitur quaestio est de integritate *materiali*.

Porro duae causae enumerari solent ab integritate materiali excusantes: impotentia *physica*, nempe cum quis peccata sua absolute manifestare nequit, v. g. ex oblivione inculpabili, ex defectu linguae, temporis etc.; et impotentia *moralis*, nempe quando ex manifestatione peccati prudenter timetur *grave et extrinsecum*[2] damnum spirituale aut temporale imminens poenitenti, vel confessario, vel tertio. Hinc sequentes versus:

Mutus et oblitus, moribundus, surdus et infans;

Qui damnum sibi, presbytero, fratrive veretur;

Quem scrupuli exagitant, aut sacri pacta sigilli.

Excusantur igitur ob impotentiam *physicam:*

1. *Muti*, quibus sufficit ea confiteri quae possint; et, si unum tantum vel alterum peccatum grave signis explicare valeant, sufficit. — An vero scribere teneantur, si sciunt, disput. Th.. Alii cum Gury[3] negant. Sed alii cum S. Alph. affirmant, modo hoc non sit ipsis notabiliter difficile, et absit periculum manifestationis.

2. *Surdi*, qui confessarii interrogationibus respondere nequeunt, nec sciunt, uti debent, sua peccata explicare. Idem dicendum de surdastris, quorum confessio si in ecclesia excipienda sit, ut fere cum foeminis necesse est, in dubio semper consulendum est potius sigillo sacramentali, quam integritati; ideoque confessarius nec de numero, circumstantiis, etc. interroget, et in imponenda satisfactione leve aliquod injungat, ne suspicio gravis culpae ingeratur. Neque forte expedit, foeminas horis intempestis arcessere, quando nemo alius versatur in ecclesia; tum quia non abest fortuitum revelationis periculum, tum etiam quia honestati omnino praestat prospicere[4]. Isti tamen, si absque scandalo et gravi incommodo fieri potest, adduci debent in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur.

3. *Ignari idiomatis:* isti tempore paschali, aut in altera necessitate

[1] *D' Annibale*, III, 334.

[2] Dixi: damnum *extrinsecum*, nam difficultas confessioni *intrinseca*, uti magna repugnantia aut verecundia, vel timor existimationem amittendi apud confessarium, certe ab integritate confessionis non excusant.

[3] Vol. II, n. 503, q. 7.

[4] *Ballerini ad Gury*, 503(*b*).

possunt absolvi, manifestando tantum signis peccatorum suorum dolorem, nec tenentur per interpretem confiteri. — An autem teneantur per interpretem confiteri in morte, Th. probabiliter negant, excepto quod dubitent de sua contritione, quia tunc tenentur, ut cum attritione per Sacramentum gratiam percipiant; sed in hoc casu sufficit ut per interpretem aliquod veniale manifestent[1].

4. *Moribundi*, circa quos Rit. Rom. haec habet: « Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est ».

Excusantur ob impotentiam *moralem*:

1. *Scrupulosus*, qui jugiter praeteritarum confessionum timore vexatur.

2. *Infirmus*, qui confesso uno vel altero peccato, deficeret aut in periculo deficiendi esset; vel si dum ei affertur Viaticum confessarius intelligeret confessiones praeteritas nullas fuisse, et infirmus non posset tunc integre confiteri, nisi cum periculo sine absolutione decedendi, aut scandali adstantium. In hoc casu satis est ut aegrotus eas culpas confiteatur, quibus speciatim angitur, seque ad contritionem excitet, firmiter proponens confessionem absolvere quo citius, moraliter loquendo, possibile fiat.

3. Demum excusat ob impotentiam moralem *damnum*, seu temporale seu spirituale, *grave et probabile* poenitentis vel confessarii vel alterius. Hinc quis excusatur. — *a)* Si ex mora confessionis integre faciendae grave adesset periculum infectionis, quia tunc confessarius potest absolvere poenitentem infectum audito uno tantum peccato: sed si confessarius totam confessionem audire vellet, infirmus integre confiteri tenetur. — *b)* Si immineret naufragium, aut praelium, tunc sufficit cuique tantum veniale confiteri, aut se peccatorem esse in generali, et tunc sacerdos potest omnes absolvere in generali, dicendo: *ego vos absolvo*, etc. — *c)* Si peccatum non posset confiteri sine periculo gravis damni, vel violationis sigilli sacramentalis, ut si confiteatur surdus, aliis adstantibus. — *d)* Si prudenter timet ne a confessario ob declaratum peccatum ad turpia sollicitetur. — *e)* Si confessio materialiter integra sit valde prolixa cum *gravi nota* poenitentis, dum urgeat necessitas celebrandi, communicandi, et non suppetat tempus[2].—Certum autem est quod

[1] Qui tamen per interpretem vult confiteri, non debet prohiberi; et sufficiet praecaveri abusus et scandala, et curare ut interpretes admoneantur de obligatione secreti. S. C. de *Prop. Fide* — Haec autem confessio sic fieri potest: — 1° Interpres avertat faciem a poenitente; 2° recitet ipsi in suo idiomate interrogationes generales a confessario alta voce factas circa praecepta decalogi et ecclesiae; — 3° interea poenitens ad singulas interrogationes nutu significet confessario an peccaverit, nec ne, simulque numerum peccatorum digitis promat ubi se reum cognoscit. *Voit*, n. 574.

[2] Sic, v. g. primae Communionis die, quidam puer se indigne communicare pertimescens, postulat ut sibi liceat reconciliari. Cum nequeat proprium con

ab integritate materiali non excusat prolixitas confessionis, etsi alii facile suspicarentur poenitentem multis esse culpis gravatum; nec excusat magnus concursus poenitentium quamvis adsint poenitentes, qui, si non confessi discedent, non erunt redituri; unde damnata fuit seq. propos.: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis, v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae* [1].

462. — *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ut poenitens ad vitandum damnum vel sibi, vel confessario, vel tertio, peccatum reticere possit?

R. Quatuor conditiones requiruntur, nempe: 1° Ut grave sit malum quod ex confessione illius peccati prudenter timetur; 2° ut desit alius confessarius cui quis sine tali periculo confiteri possit, nec confessio commode possit differri; 3° ut sola omittantur peccata, quorum confessio hoc periculum continet: imo si illud grave incommodum tantum ex circumstantia specifica oriretur, declarandum est peccatum reticita tali circumstantia; 4° ut cessante hoc periculo, peccatum omissum in alia confessione aperiatur; nam ab Alex. VII damnata fuit propositio contraria: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere* [2].

463. — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius si post inceptam confessionem cognoverit poenitentem esse surdum?

R. Si confessarius *circa initium confessionis* advertat poenitentis surditatem, imponat ei ut redeat alio tempore et loco opportuno, ubi loqui libere possint; et interim potest circumstantibus indicare ejus surditatem, quando illa est communiter nota.

Si vero hoc advertat *in progressu confessionis*, et poenitens post plures interrogationes recte non respondeat, tunc si confessarius potest monere poenitentem ut in alium locum opportunum se adducat, quin detur adstantibus magna suspicio quod materiam gravem ille confessus sit, ad hoc tenetur, quia praeceptum integrita-

fessarium adire, qui sacrum peragit, alium praesentem advocat sacerdotem, et confitetur se in praecedentibus confessionibus peccatum tacuisse quod erat, vel ab eo putabatur mortale; et temporis angustiis impeditur quominus eas confessiones reiteret. In hoc casu, cum non possit ipse a sacro convivio abstinere quin aliquid detrimenti patiatur, quin nempe apud adstantes de fama periclitetur, poterit eum confessarius absolvere si paratum se praebeat iterum de iis consulere confessionibus, quae aut nullae aut sacrilegae fuerunt. *Gousset*, De Poenit., cap. III; S. Alph., L. VI, 485.

[1] Attamen haec damnatio cum mica salis intelligi debet; respicit enim casum in quo confessarius propter dictum concursum *passim* dimidiet confessiones, audiendo dumtaxat unum vel alterum peccatum et illico dando absolutionem. Talis profecto est sensus propositionis damnatae, ut videre est apud Sporer. Si autem, dum magna poenitentium affluentia adest, occurreret qui vellet confessionem generalem facere, bene posset confessarius imponere ei ut alia vice redeat simulque eum absolvere, si tunc absolutione indigeat; idque a fortiori admittendum esset, si poenitens absque gravi nota immorari nequiret, aut si alii poenitentes expectantes fremere et clamorem facere inciperent. Vide P. Segneri (Conf. instr. II), Roncaglia (XIX, III, 3), S. Alph. (n. 485), *Berardi*, 1048, III.

[2] S. Alph., L. VI, 487.

tis confessionis obligat semper ac servari potest sine gravi incommodo.

Quod si confessarius hoc facere nequit absque gravi incommodo poenitentis, tunc postquam curaverit peccata intelligere meliori modo quo potest, poenitentem absolvat, absolute quidem si probabiliter censeatur dispositus, secus conditionate si de dispositione dubitat, et in hoc casu poenitentiam levem imponere debet, cum alii eam audituri sint [1].

§ 2°

De manifestatione et inquisitione complicis.

464. — *Q.* Adest ne obligatio confitendi peccatum si illud explicari nequit sine manifestatione complicis?

R.—**1.** Si peccatum confitendum erit solum veniale, vel etiam mortale, sed jam alias rite confessum, conveniunt Th. quod non licet confiteri tale peccatum, quia non adest ratio sufficiens revelandi peccatum proximi.

2. Si peccatum confitendum est mortale, et nondum rite confessum, sed poenitens *commode potest* alium adire confessarium, cui ignota sit persona complicis, tunc Th. communiter dicunt manifestare nomen complicis illicitum esse, et quidem sub gravi si crimen alterius sit grave: at nonnulli dicunt esse tantum veniale crimen alterius manifestare viro probo et prudenti. (Vid. dicta vol. I, n. 1112).

3 Si vero poenitens *commode non potest* alium adire confessarium, ad hoc quidem non tenetur. An vero adsit obligatio tale peccatum confitendi cum manifestatione complicis, disput. Th. [2]. Alii cum Ballerini [3] negant, quia praeceptum naturale servandi famam proximi praeferendum est positivo servandi integritatem confessionis. — Alii tamen probabilius et communius cum S. Alph., Gury, Scavini, etc., affirmant, quia praeceptum integre confitendi, servari debet semper ac licite servari potest; sed talis manifestatio licita videtur, nam proximo non affert grave damnum, cum confessarius ad strictissimum teneatur silentium, et aliunde complex ad hanc revelationem consentire censetur, siquidem facile praesumere potuit socium peccati illud confessario suo pariter declaraturum fore; ergo [4].

465. — *Q.* Quandonam adest grave incommodum adeundi alium confessarium?

[1] S. Alph., L. VI, 644.

[2] Quaestio pendet a facto utrum talis confessio sit alteri graviter nocitura. Alii affirmant, ideoque putant illud peccatum in praesens non esse confitendum; alii negant adesse hoc grave damnum, ideoque tenent peccatum confitendum esse.

[3] *Ballerini* ad *Gury*, n. 499 (*b*).

[4] Eadem quaestio procedit de casu quo quis peccatum suum explicare nequit sine diffamatione alterius qui proprie complex non est, sed objectum peccati, e. g. si quis occidit sororem suam ex crimine gravida.

Attamen (probe notandum) laici, hujus theoriae ignari, plerumque sine haesitatione et peccatum proferunt et alterius infamiam, etiamsi necessarium non sit ad proprium peccatum explicandum. Unde, si quando circumstantiam complicis tacent, generatim mala fide agunt, ideoque ex erronea conscientia sacrilege confitentur. (Cf. *Génicot*, II, 295; *Aertnys*, L. VI, 196, q. 9°; *Marc*, 1702).

R. Hoc grave incommodum adest in sequentibus casibus. — 1° Si urgeat periculum mortis, vel praeceptum annualis confessionis, aut communionis. — 2° Si non celebrando, vel non communicando adesset periculum infamiae. — 3° Si poenitens mansurus esset in mortali ultra biduum, vel etiam ad unum diem, ut aliqui dicunt. — 4° Si credatur complicem cessisse juri suae famae, v. g. si frater peccavit cum sorore quam scit non posse sejungi a comitatu matris ut alium adeat confessarium. — 5° Si solitus quotidie celebrare, vel communicare, grave ipsi esset omittere celebrationem vel communionem. — 6° Si nimis grave esset alteri quam confessario ordinario conscientiam aperire. — 7° Si alias privaretur beneficio jubilaei, vel indulgentiae. — 8° Si hoc facit ad consilium capiendum vel leniendum dolorem, uti uxor, vel mater quae manifestat peccata viri, vel filiorum confessario qui eos agnoscit, et etiam juxta plures propter consolationem quam quis sentit ab amico, vel docto confessario, et alium confessarium quaerere nollet [1].

466. — *Q.* Licet ne aliquando confessario exquirere a poenitente nomen complicis?

R. — **1.** Confessarius sub gravi nunquam licite potest inquirere nomen complicis, etsi hoc faceret ad bonum finem, v. g. ad correctionem, vel ad damnum impediendum; quia exinde, ait Ben. XIV, proximi fama laeditur, arctum sacramentalis confessionis sigillum periclitatur, absterrentur fideles a suis culpis confessario integre manifestandis, rixae et discordiae disseminantur et tota demum perturbatur communitas. At si delictum esset contra bonum publicum, confessarius, licet non possit nomen complicis inquirere, debet tamen poenitentem obligare ut ipsum Superiori manifestet, si hoc necessarium sit ad damnum publicum praecavendum; et si poenitens manifestare recuset indignus est absolutione [2].

2. Confessarius, etsi nomen complicis inquirere nunquam possit, potest tamen, imo tenetur ad integritatem confessionis servandam, inquirere circumstantias *necessarias,* quae nempe speciem mutant, vel quas scire expedit ad poenitentis directionem, v. g. an persona complicis sit voto castitatis ligata vel non, an habitet in eadem domo, ad cognoscendam occasionem, etc., licet sic per accidens veniat in cognitionem complicis [3].

467. — *Q.* Quaenam poenae quoad inquisitionem nominis complicis?

R. — **1.** Confessarius qui nomen complicis exquirit graviter peccat, et si minatur se absolutionem poenitenti denegaturum nisi revelet, *suspensionem* incurrit ab audiendis confessionibus, sed ferendae tantum sententiae.

2. Quisquis vero doceat, vel de-

[1] S. Alph., L. VI, 490.

[2] Attamen si poenitens ex justa causa mavult per confessarium denuntiationem facere, sine dubio is poterit nomen complicis excipere. Pariter si confessarius simul superior sit, cui auctores et complices corrigere spectat, poterit exigere ut sibi, qua superiori revelatio complicis fiat. Expedit vero ut extra confessionem, quantum commode fieri potest, haec denuntiatio fiat. *Lehmkuhl,* II, 340.

[3] S. Alph., L. VI, 491.

fendat hanc detestabilem praxim licitam esse, ipso facto incurrit *excommunicationem* Rom. Pontif. simpliciter reservatam, latam in *docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Bened. XIV*[1]. Porro quum Bened. XIV in Constit. *Ubi primum,* ita habeat: *Quicumque ausus fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim... vel scribere vel loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem, etc.,* patet quod ad incurrendam hanc poenam praesumptio in docendo, vel defendendo requiritur.

Qui vero non ex propria confessione, sed aliunde noverit confessarium nomen complicis inquirere, et quidem sub minis denegandi absolutionem, tenetur eum denuntiare, nisi noverit confessarium id ex simplicitate fecisse[2]. — De vetita vero absolutione proprii complicis in peccato turpi dicetur ubi de absolutione a reservatis.

Art. VI.

De confessione invalida et iteranda, et de confessione generali.

§ 1°.

De confessione invalida et iteranda.

468. — *Q.* Quandonam confessio est iteranda?

R. — I. Confessio est iteranda quando certe moraliter constat ipsam fuisse invalidam; quia per confessionem invalidam praecepto confessionis satisfieri nequit.

II. E contra in dubio tantum de ejus invaliditate, non adest obligatio eam iterandi; - ratio, quia cum actus positus sit, ipse ut validus habendus est, donec non constet invalidum esse, juxta regulam juris: *In dubio standum est pro valore actus.*

Hinc non est cogendus poenitens ad repetendam confessionem, etsi ignoraverit mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis (v. I, n. 338). Neque in dubio an aliquid defuerit — vel *confessionis,* v. g. an satis diligenter conscientiae suae latebras exploraverit; — vel *dolori,* v. g. si de peccato doluerit ob metum poenarum temporalium; aut propositum non habuerit formale et explicitum; — vel *absolutioni,* v. g. an defuerit in confessario jurisdictio, vel formam rite pronuntiaverit. — Imo, etsi confessio fuerit invalida, non est inquietandus qui bona fide tenet, se rite confessum fuisse, et monitio profutura non censetur[3].

469. — *Q.* Quandonam confessio est invalida?

R. Confessio invalida esse potest ex duplici capite, nempe ex parte confessarii, et ex parte poenitentis.

Ex parte confessarii est invalida: 1° si caret jurisdictione; 2° si formam substantialiter vitiat, vel non intendit absolvere; 3° si nullum peccatum audivit; 4° si extra periculum mortis complicem in peccato turpi absolvit.

Ex parte poenitentis vero est invalida: 1° si ignorat veritates necessarias necessitate medii ad salutem; 2° si ex malitia, aut ex negligentia graviter culpabili ali-

[1] Const. *Apost. Sedis,* n. 1°.
[2] Vid. *Marc,* n. 1701.
[3] S. Alph., L. VI, 505; *D' Annibale,* III, 351.

quod peccatum grave omittit confiteri; 3° si debitum dolorem, aut propositum non habet, quod patere solet in eo qui confessarium surdum, indoctum quaerit, vel in eo qui restituere non vult, ut debet, bona aut famam ablatam, vel auferre occasionem proximam voluntariam.

Cum autem saepe dubitari possit an validae fuerint confessiones a recidivis factae, confessarius ad judicium prudenter efformandum, hanc sequatur regulam: si poenitens paulo post confessionem in eadem peccata relapsus sit sine ulla resistentia, ejus confessio invalida censenda est; valida vero e contra si aliquam resistentiam adhibuerit v. g. occasiones vitavit, per aliquod tempus tentationibus obstiterit, etc.[1].

470. — *Q.* Est ne valida confessio integritate carens, v. g. a pueris, vel rudibus facta in confuso, sine distinctione speciei et sine numero peccatorum?

R. Confessio integritate carens si facta sit *in bona fide* valida est; - ratio, quia adsunt omnia essentialia requisita: materialis enim integritas non est de essentia, bene vero formalis. Unde si puer in bona fide sic confessus sit, ejus confessio valida est, et tenetur solum ad explicandas species et numerum omissum, cum id animadvertit.

Monet autem S. Alph. quod si confessarius, dum confessionem audit alicujus ex hisce pueris, vel rudibus, cognoscit *in principio confessionis* hunc in annis praeteritis semper *male*[2] se confessum fuisse, numerum omittendo, et rudis dudum semper conformem vitam duxit, illum non obliget ad confessiones repetendas, quia confessionem accipiendo illius anni, etiam de annis praeteritis judicium sibi efformare potest.

Si vero solum *post confessionem* exceptam advertit poenitentem omisisse numerum explicare, in superioribus annis, tunc si ex confessione praesenti habet distinctam notitiam peccatorum, ita ut sibi efformare possit judicium distinctum de annis praeteritis, nec illum obliget ad repetendas confessiones, ob eamdem rationem super allatam. — Quod si ex confessione praesenti non potest habere notitiam distinctam, sed tantum confusam de culpis confessis, ut saepe contingit in confessionibus longioribus et implicatis, in hoc casu tenetur sumere distinctam notitiam specierum et numeri omissi in confessionibus praeteritis; quia licet confessario sufficiat ad dandam absolutionem notitia confusa status poenitentis, nihilominus semper opus est ut judicium de peccatis distinctum

[1] S. Alph., L. VI, 505.

[2] In praxi non tam facile admittendum est pueros et rudes male se confiteri omittendo nempe speciem et numerum peccatorum. Pueri et rudes, ordinarie loquendo, hoc modo se confitentur: *blasphemavi: missam die festo omisi: mulieres adii: furatus sum*, etc. Hoc modo se confitendo speciem peccatorum etsi confuse jam manifestant; confessarius autem, cognito tempore ab ultima eorum confessione, facile poterit quamdam cognitionem habere etsi indeterminatam de numero peccatorum, unde eorum confessiones bona fide sic peractae validae sunt, ideoque non necessario repetendae. Confessarius sedulo illud principium retineat: Confessiones non esse certe reiterandas nisi certo constet illas fuisse sacrilegas, vel saltem nullas: in dubio autem de earum validitate standum esse pro valore actus.

seu in particulari, semel efformaverit [1].

471. — *Q.* Est ne valida confessio si confessarius peccata non audivit, puta si dormierit?

R. Si confessio facta sit *mala fide*, certe est invalida et sacrilega, ideoque iteranda.

Si autem facta sit *bona fide*, tunc si confessarius nullum omnino peccatum audivit, confessio est nulla, et ideo integre iteranda; sed si aliquod audivit, confessio valida est, sed poenitens in alia confessione peccata non audita confiteri tenetur.

Quod si, finita confessione, poenitens intelligit confessarium aliqua non percepisse propter somnum, aut distractionem, et dubium est circa unum, vel alterum peccatum, illud est repetendum. Si vero nescit quae sint illa quae confessarius non intellexit, tunc tenetur repetere confessionem si brevis est, quia de singulis prudenter dubitare potest; si autem longa fuerit, non tenetur ob contrariam rationem et praesumitur Deum non obligare ad integritatem confessionis cum tanto incommodo [2]; unde satis est confiteri quod dubitat an aliquod ex suis peccatis confessarius perceperit [3].

472. — *Q.* Confessio invalida quomodo iteranda est?

R. Si confessio invalida penes *alium confessarium* iteretur, *integre* est iteranda, quia est nova confessio.

Si vero apud *eumdem confessarium* iteretur, quacumque ex parte veniat defectus prioris confessionis, probabilius necesse non est eam repetere, sed sufficit quod poenitens iterum se accuset in genere de peccatis jam patefactis, et quod confessarius status poenitentis recordetur, aut ad summum illius conscientiae in confuso reassumat notitiam.

473. — *Q.* Quaenam notitia status poenitentis requiritur ut valide et licite absolvi possit?

R. — 1. Ad *validitatem* sufficit ut Confessarius habeat praesentem aliquam materiam etiam minorem, seu satis est si cognoscat poenitentem in aliquo peccasse, sive de vita praesenti, sive de vita praeterita; quia, hoc posito, habetur quidquid ad rationem Sacramenti Poenitentiae requiritur.

2. Ad *liceitatem* requiritur ut Confessarius recordetur, saltem in confuso, status poenitentis; quia Confessarius, in actu confessionis, jam sufficiens judicium de singulis peccatis tulit. — Quod si confessarius non recordetur amplius ne in confuso quidem de statu poenitentis, sed tantum de poenitentia injuncta, tunc multi graves Th. adhuc poenitentem liberant a confessione iteranda, si poenitentia data fuerit in ordine ad absolutionem, quia ex sola notitia poenitentiae injunctae confessarius potest debitum sibi efformare judicium de statu poenitentis.

Imo juxta aliquos Th. Confessarius, licet oblitus sit status poenitentis, et etiam poenitentiae injunctae, potest sine alia notitia poenitentem absolvere, dummodo recordetur poenitentem fuisse dispositum et poenitentiam acceptasse [4]. — Praestat tamen in hi-

[1] S. Alph., L. VI, 504.
[2] S. Alph., Hom. Ap., T. XVI, 41.
[3] S. Alph., L. VI, 499.

[4] *Lugo*, de Poenit. D. 16, n. 636; *Gury*, Casus Consc. II, 678.

—

sce casibus ut confessarius per aliquas interrogationes sibi comparet notitiam saltem confusam de statu poenitentis; vel ipse poenitens aliquam circumstantiam particularem, vel aliquod speciale peccatum indicet, ut confessarius prudenter se gerat [1].

§ 2°

De confessione generali.

474. — *Q.* Quid est confessio generalis, et quinam tenentur ad illam faciendam?

R. Confessio *generalis* ea est in qua poenitens confitetur omnia peccata saltem mortalia totius suae vitae praeteritae, perinde ac si numquam confessus sit. Quod si confitetur peccata tantum alicujus vitae partis, confessio *extraordinaria* proprie vocatur.

Confessio generalis aliis est necessaria, aliis utilis, aliis inutilis, aut etiam damnosa.

I. Est *necessaria,* ideoque *imponenda* illis quorum praeteritae confessiones *certe sacrilegae* fuerunt. Dixi: *certe,* nam in dubio standum est pro earum valore.

Quod si praeteritae confessiones fuerunt tantum *nullae,* et poenitens est in *mala fide,* nempe cognoscit fuisse nullas, illas certe repetere tenetur. — Si autem est in *bona fide,* et Confessarius prudenter judicat monitionem eas repetendi profuturam esse, poenitentem moneat de tali obligatione. Si vero prudenter timet poenitentem ob gravitatem suorum peccatorum nimis repugnare ad ea iterum confitenda, ideoque monitionem non profuturam, sed obfuturam esse, tunc caveat ne poenitentem moneat, eique confessionem generalem non imponat, sed relinquendo eum in sua bona fide, curet ut in actuali confessione rite sit dispositus, eumque absolvat; in hoc casu poenitens recipit directe remissionem peccatorum, quae in praesenti confessione confessus est, et indirecte remissionem peccatorum quae praecedenter declaravit [2].

Insuper notandum est quod si poenitens aliquas confessiones sa-

[1] Quando autem peccata poenitentis *extrasacramentaliter* nota sunt confessario, e. g. ex narratione alias facta aut ex propria experientia, utrum poenitens teneatur ad illa *distincte* iterum manifestanda, distinguo: 1° Si confessarius *distinctam* memoriam illorum peccatorum retineat, dum poenitens generice de illis se accusat, certe sufficit hujusmodi generalis accusatio, quia relata ad distinctam notitiam quam confessarius hic et nunc habet aequivalet distinctae confessioni. 2° Si vero confusam tantum notitiam in confessario maneat, aliqui adhuc dicunt sufficere accusatio generica. Alii tamen cum S. Alph. (L. VI, 502) verius dicunt requiri in hoc casu *distincta* confessio ad integritatem sacramentalis confessionis servandam. — (Cf. *Génicot,* II, 304; *Aertnys*, L. VI, 203, q. 2°; *Marc*, 1709, q. 4°).

[2] In hoc tamen casu si prudens confessarius, quin ostendat confessionem generalem exigere velle, potest aliqua prudenti interrogatione poenitentem adducere ad declaranda peccata male antea confessa, ipsum interrogare tenetur, v. g. interrogando de majori, vel minori frequentia qua in ea peccata prolabatur, et per quale tempus, quot mensibus, quot annis. Dein excitet ad omnia peccata praeteritae vitae detestanda, et illum absolvat; et hoc modo quamdam confessionem generalem obtinere potest quin poenitens advertat. Post paucas autem interrogationes, confessarius angi non debet, si judicium quod de conscientia hujus poenitentis facit, ipsi videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare.

crilegas fecit, et postea harum confessionum sacrilegarum penitus oblitus (uti evenire potest, et quandoque reapse evenit praesertim in pueris et rudibus), ceteras confessiones in bona fide fecit, has repetere non tenetur, sed tantum illas sacrilege factas.

2 Est *utilis* illis (modo scrupulosi non sint) quibus haec confessio ex intensiori dolore et firmiori proposito ex tali occasione concepto, vel ex majori conscientiae tranquillitate notabilem fructum affert, quibus propterea consulenda est, maxime tempore Missionis ; — vel quum primam communionem sunt suscepturi, vel stabilem vitae statum uti clericalem, religiosum, aut matrimonialem sunt inituri ; — vel si confessionem generalem nunquam fecerunt.

Non raro vero evenit, ait Cl. Scavini, ut confessio generalis, quae prius nonnisi utilis videbatur, postea dignoscatur necessaria. Ideo confessarius, data occasione, maxime missionis vel exercitiorum tempore prudenter et industriose cognoscere curet an poenitens in tali casu sit positus. Neque perdat sustinentiam, si multum temporis impendere debeat ; neque enim si multos, sed si bene audierit, rationem reddet Deo [1].

Etsi autem confessio generalis utilis esse possit, confessarius tamen non sit rigorosus in ea exigenda, maxime si poenitens ad eam non inclinet. Et summopere reprehendendi sunt confessarii, qui ab omnibus novis poenitentibus confessionem generalem exigunt praetextu necessitatis, vel ratione directionis, etc. [2]. Et Cl. Ballerini addit : Plane inopes criterii se produnt istiusmodi confessarii dum omnibus, qui malo fato ad eos accedunt, indiscriminatim confessionem generalem indicunt ; neque intelligunt exinde poenitentium conscientiam gravissime interdum turbari, eisdemque non raro praeberi scandalum, perinde quasi confessarii, sacro ministerio abutentes, cum gravi poenitentium onere ac molestia, narrationem totius vitae sine causa exquirant ut curiositati suae satisfaciant.

3. Tandem est *damnosa*, ideoque absolute prohibenda, illis qui, nullo interveniente rationabili dubio de validitate praeteritarum confessionum, semper anxie et inaniter timent se defecisse, vel in conscientiae examine, vel in integritate confessionis, vel in dolore, et quo magis cogitant ad praeterita peccata iterum confitenda, eo magis eorum mens obnubilatur, et perturbatur [3].

475. — *Q.* In confessionibus generalibus est ne melius expedire poenitentes prima vice, an illos remittere ut post aliquod tempus redeant ad finiendam confessionem, et absolutionem recipiendam ?

R. « Sumendum est (ait Cl. Berardi) consilium a circumstantiis. Si occasione S. Missionis plurimae confessiones generales sint

[1] *Scavini*, III, 313.
[2] *Gury*, II, 518.
[3] Horum morbus oculorum morbo comparari potest, qui quo saepius fricantur, eo acerbius recrudescunt. *Si confessio generalis*, ait Salesius, *unum scrupulum tollit, decem alios suscitat.* Huc revocantur qui iterum atque iterum confessione generali confessarii judicio rite peracta, eam de novo renovare volunt nunquam contenti ; qui audiendi non sunt.

audiendae, oportet, per quantum possibile est, expedire poenitentes in prima vice, ne repetitus plurimorum poenitentium accessus sit in causa, cur non suppetat tempus congrue subveniendi aliis magis indigentibus. Adde quod in mente confessariorum magna confusio ingereretur propter nimiam multitudinem harum confessionum imperfectarum; ex quo fieret, ut multi poenitentes redeuntes cogerentur iterum enarrare peccata jam accusata, non sine novo temporis dispendio, et forsan non sine ipsorum poenitentium molestia et aliis incommodis. Occasione itaque sacrae Missionis ordinarie melius est prima vice expedire poenitentes, et tunc reservare interruptionem confessionis ad aliquos casus necessitatis aut specialis opportunitatis, v. g. si aliquis poenitens non judicaretur rite dispositus, aut si quis deberet prius dimittere aliquam occasionem, vel facere restitutionem alicujus magnae summae, vel se reconciliare cum inimico, vel reparare scandala data; item si confessarius inveniret casum valde difficilem, unde habeat necessitatem prius consulendi auctores; item si multis poenitentibus expectantibus, aliqua confessio generalis nimis prolixa evasura esset, et poenitens possit ad illam finiendam alio tempore opportuniori redire.

« Si autem aliqua confessio generalis audiatur extra occasionem sacrae Missionis, tunc facilius convenire potest, ut poenitens per aliquod temporis intervallum sine absolutione relinquatur, eo fine ut interim in contritionis actibus se exerceat et peccatorum suorum poenitentiam agat: unde non solum se melius disponat ad absolutionem, sed etiam majorem factae confessionis salutarem memoriam retinere possit » [1].

476. — *Q.* Quam methodum Confessarius adhibere potest ut facilius memoriter retineat peccata eorum quos inabsolutos dimittit ut iterum ad confessionem accedant?

R. Duplex adest methodus quae tuto adhiberi potest: methodus interrogationum, et methodus poenitentiarum.

1. *Methodus interrogationum.* Primo confessarius inquirat a poenitente, qui alio tempore confessionem inchoaverat, a quo tempore fuerit absolutus. Si respondeat *tot annis,* jam statim deprehendere potest qualis generis sit ille poenitens. Interroget etiam an inchoata tantum, aut ad finem deducta fuerit ejus confessio, et utrum illi aliquid particulare injunctum fuerit? saepe haec pauca sufficiunt, ut memoriam saltem confusa poenitentis resumatur. Quod si non sufficiat, tunc instet dicendo: *Non bene tui recordor; vellesne dicere quid praecipuum erat in tua confessione? an pravas habueris cogitationes,* etc.? Item juvabit plurimum prima vice qua accedunt poenitentes, si confessarius eos instruat de modo semanifestandi, quando iterum redibunt, v. g., *mihi in mentem revocabis hoc vel illud,* puta circumstantiam specialem, vel professionem, etc.; et in his fixus sit confessarius.

2. *Methodus poenitentiarum.* Confessarius moneat poenitentem ut attente audiat retineatque poenitentiam ipsi injungendam et dili-

[1] *Berardi,* Praxis, 1113.

genter adimpleat. Insuper plerumque addat se interrogaturum illum redeuntem, an eam impleverit. Postea imponat poenitentias speciales etsi leves, sed varias pro variis poenitentium statibus seu pro variis peccatorum generibus (ita tamen ut non generetur nimia varietate confusio); sic enim de poenitentia recordando statum poenitentis saltem in confuso agnoscet. Saepe juvat imponere poenitentias quasdam medicinales, ex quarum natura peccatorum memoria in mentem sponte redeat, v. g. actus fidei pro peccatis contra fidem; actus caritatis pro peccatis odii vel vindictae, vel etiam aliquam orationem fundendam pro inimicis; modicam eleemosynam pro variis injustitiis; invocationem B. M. Virginis Immaculatae pro peccatis contra castitatem, etc.. Si tamen poenitens multiplici vitio inquinatus sit, pro uno tantum aut pro altero imponenda esset memorialis poenitentia; secus enim poenitens omnia opera injuncta facile oblivisceretur. Quod si, non obstante omni cura confessarii, poenitens injunctae poenitentiae fuerit oblitus, ad interrogationes prudenter recurrendum erit [1].

477. — *Q.* Quinam modus excipiendi confessionem generalem?

R. Multiplici modo, ait Gury, fieri potest confessio generalis; sed magis expediet, generatim loquendo, si fiat juxta sequentes regulas.

Regula 1ª.—*Ante confessionem:* satagere debet confessarius explicitum cognoscere statum poenitentis, et varias circumstantias ex quibus potest dirigi ad prudenter et fructuose interrogandum. Hinc: — 1° Examinet utrum agatur de confessione *necessaria,* vel non; si enim necessaria sit, multo majori diligentia et cura poenitens audiendus, interrogandus et adjuvandus erit.—Si vero confessio generalis necessaria non est, poenitens ne ex falsa conscientia peccet, prorsus moneri debet: *a)* non tantam requiri diligentiam, imo liberum sibi esse aliqua reticere peccata gravia alias rite confessa et absoluta, modo confessarius eorum notione non indigeat v. g. ad judicandum de dispositionibus poenitentis; *b)* nec sollicitum dein esse debere, quod ex oblivione, plura, vel pauciora omiserit. — Nisi haec duo poenitens firmiter persuasa habeat praestat omittere confessionem generalem, quae profecto nullum fructum pareret, et contra anxietatum jugis scatebra foret. — 2° Inquirat prudenter *de conditione poenitentis,* de ejus aetate, occupationibus, vel officiis, de ejus vivendi ratione, etc., an celebs sit, et si conjugatus sit, a quo tempore, an habeat filios, etc. — 3° Interroget *de statu conscientiae,* an hic et nunc aliquo pravo habitu, vel pravo animi affectu sit irretitus; an antea rite confessus sit, vel sacrilege, quo in casu? quo tempore? quamdiu? an confessiones jam iteraverit, necne? — Ad has autem notiones habendas regulariter expedit prius excipere confessionem particularem.

Regula 2ª. — *In ipsa confessione:* confessarius si reperit poenitentem satis instructum et praeparatum, sinat eum suo modo confiteri, illum opportunis interrogationibus adjuvando. — Si vero poenitens sit rudis, vel non prae-

[1] *Gury,* Casus Consc., T. II, n. 681.

paratus, confessarius fere totum onus confessionis in se assumat. In primis poenitentem admoneat nihil sibi pertimescendum esse quoad difficultatem peccata detegendi; tantum sincere et clare interrogationibus confessarii respondeat. Hac admonitione et exhortatione praemissa, prius petat ab eo peccata quae ipsum maxime premunt, quo securius procedat; deinde, necessaria statim ipse suppleat interrogando de iis quae committere solent poenitentes paris conditionis, secundum ordinem Decalogi, praeceptorum Ecclesiæ et obligationum particularium; nisi peculiaris ratio aliud suadeat.[1]

Regula 3ª. — *In fine confessionis:* non praetermittat poenitentem interrogare *an adhuc aliquid in animo habeat.* Postea curet ut poenitens de omnibus suis peccatis verum dolorem concipiat; dein monita ad perseverantiam necessaria attente praebeat; tan-

[1] *Norma confessionis generalis per interrogationes instituendae:*

Prius poenitens dicat quae scit, nisi malit statim interrogari.

In primis ergo interroget: an praecedentes confessiones sacrilege fecisti? quo tempore? quamdiu? — An in tali statu communicasti? quoties? an culpabiliter poenitentiam gravem omisisti?

Circa virtutes theologicas. An scis mysteria principalia et veritates fidei scitu necessarias? an fidem negasti? contra religionem non es locutus? libros prohibitos non legisti, aut vendidisti, aut aliis commodasti? an forte desperasti? vel praesumpsisti? Praecepta Dei et Ecclesiae neglexisti? Proximo tuo dedisti ne scandalum? prava consilia? occasiones peccandi quaesivisti?

Circa praecepta Dei. Commisistine superstitiones, v. g. ad valetudinem recuperandam, ad amorem in aliis accendendum, vel ad sciendas res occultas?... Fecistine jocum chartarum? Recurristine ad magos?... Adiistine magnetizatores?... Astitistine experientiis tabularum loquentium, aut spiritismi? Legistine libros impios?... Diaria impia?..... Interfuistine comoediis irreligiosis?... Choreis aliisque spectaculis tempore quadragesimae?... Tempore bacchanalium induistine vestes, vel interfuistine spectaculis in irrisionem Religionis?..... Audistine sermones publice factos contra Religionem? Dedistine nomen sectis impiis?... Frequentastine templa aut scholas Protestantium? etc.

Circa secundum praeceptum. Blasphemastine Deum, B. M. Virginem, SS.mum Sacramentum, aut Sanctos?.... Si affirmative, fiat interrogatio ut cognoscatur an fuerint blasphemiae simplices, an vero hereticales. Fecistine unquam aliquod votum qnod postea non adimpleveris?..

Circa tertium praeceptum. Laborastine die festo?... Induxistine famulos aliosve tibi subjectos ad laborandum?..... Omisistine auditionem Missae?.. Interfuistine Missae confabulando et absque ulla attentione?...

Circa quartum. Fecistine inobedientias graves contra patrem aut matrem, v. g. non adeundo scholam, officinam, aut doctrinam Christianam; negligendo studium; commorando extra domum tempore nocturno; adeundo socios perversos; dando nomen sectis; fovendo amores; frequentando ludum aut domos periculosas etc. contra seriam eorum prohibitionem?,. Quamvis graviter irascerentur, fuistine obstinatus, aut dixistine: Nolo facere?... Praebuistine illis aliquam magnam afflictionem ita ut forsan propter te lacrymas effunderent?.... Affecistine illos gravibus injuriis et contumeliis?..... Desiderastine illis mortem?.. Neglexistine opem illis ferre, permittendo ut famem paterentur, medicina carerent, etc?..... Minitatusne fuisti illos percutere, aut eosne percussisti revera?..... Commisistine inobedientias aut irreverentias graves contra magistros, aut alios superiores?

Circa quintum praeceptum. Habuistine odia gravia?..... Processistine ad rixas, percussiones, vulnera?... Cogitastine de aliqua magna vindicta facienda?..... Jecistine imprecationes ex corde?... Offendistine proximum tuum gravibus contumeliis?... Aut exprobrando illi facta dehonorantia?..... Etiam coram aliis?.... Egistine sic etiam contra personas tibi proxime conjunctas?. ... Aut contra aliquem Sacerdotem?..... Expedit ut haec ultima interrogatio fiat, quia multi ex una parte credunt id esse accusandum,

dem, imposita convenienti et salutari poenitentia, ipsum absolutum in Domino dimittat.

CAPUT IV.

De satisfactione

ART. I.

De natura satisfactionis.

478. — *Q.* Quid est satisfactio, et quomodo distinguitur?

R. Satisfactio est *Punitio sui ipsius ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, et ad redimendam poenam graviorem eidem peccato debitam.* Haec definitio convenit satisfactioni sive sacramentali, sive extrasacramentali. Unde satisfactio sacramentalis recte definitur: *Punitio sui ipsius a Confessario in Sacramento Poenitentiae imposita, et a poenitente voluntarie suscepta ad compensandam injuriam,* etc.

Satisfactio sacramentalis alia

et ex alia facile verecundantur. Interdum expedit etiam ut poenitens interrogetur utrum abortum procuraverit?

Circa sextum et nonum praeceptum. Consensistine pravis cogitationibus? desideriis? quae desideria? cum quibus personis? — Verba inhonesta, joca, cantilenas protulisti, aut libenter audivisti? libros obscoenos legisti? — Fecisti ne opera obscoena? tecum? tactibus? pollutionibus? visu? cum aliis? cum solutis? cum conjugatis, vel cognatis? cum personis ejusdem sexus? Hic et nunc adhuc in occasione proxima versaris? Conjugati interrogari possunt an aliquid nunquam contra finem matrimonii commiserint? Uxores an mariti obedientes fuerint in omnibus licitis?

Circa septimum et decimum praeceptum. Commisistine furta gravia?... Furta minuta?... Furta domestica?... Emistine res furtivas?.... Attulistine damna injusta Ususne es fraudibus in ludo?... In pondere et mensura?... Vel decipiendo personas simplices?... Omisistine satisfacere debitis tuis, v. g., non solvendo mercedem operariis, vel pretium pro rebus emptis etc.?... Exercuistine usuras? Fecistine lites injustas?... Omisistine satisfactionem legatorum?... Commisistine aliquam aliam injustitiam?... Habuistine cogitationes de furtis commitendis, aut aliis damnis inferendis?

Circa octavum praeceptum. Jurastine falsum in judicio?... Habuistine vitium jurandi sive verum sive falsum?... Dixistine mendacia damnosa?... Affecistine calumniis proximum tuum?... Fecistine murmurationes graves revelando occulta? Etiam contra Sacerdotes?... Fecistine judicia temeraria?

Circa praecepta Ecclesiae. Manducastine carnem die veneris et sabbati?... Omisistine jejunia quadragesimae et vigiliarum? Omisistine satisfacere praecepto paschali?...Legistine libros prohibitos?

Circa vitia capitalia sufficit si de intemperantiis et ebrietatibus interrogatio fiat; et quoad foeminas, de superbia in vestibus.

Circa munera proprii status, genitores interrogentur an neglexerint mittere filios ad Missam et doctrinam christianam diebus festis; et an in magnis periculis illos reliquerint, v. g., filias, solas cum adamantibus vel cum famulis periculosis, aut filios jam grandiusculos cum filiabus in eodem lecto; praecipue vero an vigilaverint ne filii impiis sectis nomen darent, et ne propter libros ephemerides, socios etc., fidei et religionis jacturam facerent. — Similiter interrogentur mariti an contra uxorem saevitias adhibuerint; divites an eleemosynas facere omiserint; Sacerdotes (intellige si interrogari desiderent) an aliquando Officium praetermiserint, an Missam in peccato mortali celebraverint, et an eleemosynis acceptis Missas non applicaverint; Parochi an sermonem ad populum vel doctrinam christianam omiserint, an infirmis debitam assistentiam non praestiterint, an necessarias correctiones neglexerint, an de scandalis e medio auferendis solliciti non fuerint, an ipsi aliquod scandalum dederint, an Ecclesiae et sacrae supellectilis nitorem ac decentiam non curaverint, an necessarias restaurationes in fundis non fecerint, an beneficii superflua ultra propriam sustentationem in pios usus erogare omiserint. denique an pacem cum aliis Sacerdotibus, vel Parochis conterminis non servaverint. *Berardi,* Praxis.

est *vindicativa*, alia *medicinalis*. Vindicativa habet praecipue rationem poenae. Medicinalis, praeter rationem poenae, tendit etiam ad vitiorum extirpationem per exercitium virtutis peccato confesso oppositae.

479. — *Q.* Quaenam doctrina catholica circa satisfactionem?

R. Protestantes omnem satisfactionem rejiciunt, et nostras satisfactiones dicunt: 1° *esse inutiles*, quia tota poena sive aeterna, sive temporalis, simul cum culpa necessario remittitur; 2° *esse inefficaces*, quia nostra opera bona nullum prorsus valorem habere possunt coram Deo, proindeque utpote inutiles non esse imponendas; 3° *injuriam irrogare Christo*, quia ejus satisfactio est superabundans.

At Ecclesia catholica contra haereticos de fide docet:

1. Quod, remissa per Sacramentum poenitentiae culpa et poena aeterna, non semper tota remittitur poena temporalis. Sic enim definivit C. Trid.: *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit; anath. sit*[1]. — Haec veritas patet: 1° *Ex S. Scriptura.* Et sane David postquam de suo adulterio doluit, dicens: *Peccavi*, audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum;* attamen postea multis cruciatibus afflictus et a facie inimicorum fugiens, reatum culpae, quam patraverat, exolvit. Et S. Paulus ajebat: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea*[2]. — 2° *Ex perpetua Ecclesiae praxi*, quae quovis tempore poenas pro peccatis imposuit; ac *ex SS. Patribus* qui uno ore id asserunt. Ergo. — Dictum est *non semper totam poenam remitti:* nam aliquando vere tota remittitur, si nempe contritio vehementissima sit; contritio enim est actus meritorius et satisfactorius; ergo quo vehementior est, eo magis satisfacit.

2. Quod huic poenae temporali per Christi merita satisfacere possumus operibus poenalibus, nempe poenis vel a Deo inflictis et patienter toleratis; — vel a Sacerdote injunctis, — vel sponte susceptis. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anath. sit*[3]. — Et sane Dominus ipse dixit: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu;* ergo, testante ipso Domino, per opera poenalia, poena, quae pro peccatis incurritur, redimi potest. Ceterum exempla David et Ninivitarum luculentissima sunt; ergo.

Quare Ecclesia definivit quod confessarii possunt et debent salutares et convenientes satisfactiones poenitentibus imponere. *Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea*

[1] Sess. VI, c. XXX.
[2] Coloss. I, 24.
[3] Sess. XIV, c. XIII.

Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem Clavium, et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod, virtute Clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exolvenda remaneat; anath. sit[1].

3. Demum Ecclesia docet quod nostrae satisfactiones, licet finitae, vim tamen satisfaciendi habent per Christi merita; et ab Ipso offeruntur Patri, et per Ipsum acceptantur a Patre: ex quo fit ut nostrae satisfactiones non injuriam Christo afferant, sed gloriam et honorem.

480. — *Q.* Quaenam satisfactionum utilitates ?

R. Plures sunt satisfactionum utilitates. — 1° Nobis ostendunt majorem gravitatem peccati post Baptismum commissi; — 2° magnopere a peccato nos revocant, et quasi fraeno quodam coërcent; 3° cautiores et vigilantiores in futurum nos efficiunt; — 4° medentur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt; — 5° Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, nos conformes efficiunt; — 6° certissimam salutis arrham praebent, quia *si compatimur et conglorificabimur*[2].

481. — *Q.* Quaenam sunt opera satisfactoria ?

R. Opera satisfactoria sunt opera poenalia; nam satisfactio non solum debet esse medicinalis in novae vitae custodiam, sed etiam ultrix in peccatorum commissorum satisfactionem. Haec poenalia opera reducuntur ad jejunium, eleemosynam et orationem. Sub *jejunii* nomine veniunt omnia genera mortificationum sensuum; sub nomine *eleemosynae* veniunt omnia caritatis opera sive spiritualia, sive corporalia; et sub *orationis* nomine veniunt etiam confessiones, communiones, ecclesiarum visitationes, et etiam actus interni caritatis, contritionis, etc. Imo dicunt Th. quod non solum jejunium, eleemosyna, oratio, sed quodcumque opus bonum valet pro opere poenali, quia in statu naturae lapsae, ob pravam inclinationem ad malum, quaecumque actio bona habet rationem sacrificii, et ideo rationem poenae. Hinc perutiliter poenitentibus commendatur ut in expiationem suorum peccatorum Deo offerant labores, adversitates, vitae aerumnas, etc.[3].

482. — *Q.* Omnia bona opera poenitentis per illa verba *Quidquid boni feceris*, etc. quae confessarius profert post verba absolutionis, elevantur ne ad effectum satisfactionis sacramentalis ?

R. Nonnulli negant, sed sententia longe probabilior et communior cum S. Th. affirmat; ratio quia Ecclesia non frustra, sed ad hoc quidem verba illa proferri praescripsit, ut omnia bona opera poenitentis, quamvis ex ejus electione fiant, ad satisfactionis sacramentalis meritum eleventur[4]. Conveniunt tamen fere omnes Th. per hoc non excusari confessarios a speciali et quidem congrua poenitentia imponenda, quum Trid., hoc non ignorans, confessarios jusserit convenientes poenitentias imponere pro qualitate criminum[5].

[1] Trid. Sess. XIV, c. XV.
[2] Trid. Sess. XIV, cap. VIII
[3] S. Alph. Hom. Ap., Tr. XVI, 53.
[4] Quodlibet.. 3, art. 28.
[5] S. Alph., L. VI, 507. — Vid. etiam *Gènicot*, II. 313, 5.°

483. — *Q.* Quinam effectus satisfactionis sacramentalis?

R. Satisfactio sacramentalis confert ex opere operato, quia est pars Sacramenti: 1° remissionem poenae temporalis vel totaliter, vel partialiter, juxta poenitentis dispositiones; 2° confert etiam gratiam sacramentalem, et eo praecipue tendit, ut ait Trid., ut praeterita crimina vindicet, et a futuris cohibeat. Ex quo patet quod quaecumque opera poenalia a confessario imposita, utpote pars Sacramenti, per se multo majoris valoris sunt quam opera poenalia sponte suscepta; prima enim Deo satisfaciunt ex opere operato, secunda tantum ex opere operantis.

ART. II.

De impositione satisfactionis.

484. — *Q.* Confessarius tenetur ne poenitentiam imponere?

R.—**1.** Confessarius, si poenitentem absolvit, tenetur non necessitate Sacramenti, sed praecepti, poenitentiam imponere, nisi a poenitente nulla impleri possit; ita Trid. [1]; - ratio, quia satisfactio sacramentalis cum sit pars integralis Sacramenti, confessarius, ut minister, Sacramenti integritatem licet accidentalem, quantum fieri potest, procurare debet.

2. Confessarius tenetur sub gravi imponere poenitentiam gravem pro peccatis gravibus nondum rite confessis et directe remissis, nisi justa causa excusetur; - ratio, quia poenitentia debet esse culpis proportionata. Ita communiter. — Si vero confessio sit solum de venialibus, aut de mortalibus, sed jam directe remissis, certe aliquam poenitentiam imponere tenetur, et quidem sub gravi juxta aliquos, sed juxta alios tantum sub levi [2].

3. An vero possit confessarius imponere poenitentiam gravem sub obligatione tantum levi, disput. Th.; et sententia communior et probabilior affirmat, quia in Sacramento Poenitentiae confessarius non tantum fungitur vicibus Christi, sed etiam est a Christo constitutus verus judex et legislator, qui ex potestate sibi tradita solvit remittendo peccata, et ligat imponendo praecepta circa obligationem satisfactionis implendae: quilibet vero legislator potest gravem materiam praecipere sub levi [3]. Ergo.

In *praxi* tamen, ait S. Alph, non probarem confessarium qui ex hac sententia probabiliori totam poenitentiam pro peccatis gravibus imponat sub obligatione levi, excepto casu gravis aegritudinis, vel intensissimae contritionis, vel alio casu rarissimo in quo omnino videretur expedire ad salutem poenitentis [4].—E contra autem optime se gerit si pro peccatis gravibus injungit aliquod opus grave sub obligatione gravi, licet sit leve respective ad numerum et gravitatem peccatorum, et deinde si aliam graviorem operam adhuc injungere vult, hanc sub obligatione solum levi injungat, et sic melius consulit bono poenitentis, quia si eam negligit non gravatur gravi culpa, et si adimplet

[1] Sess. XIV, c. VIII.

[2] S. Alph., L. VI, 506; Hom. Ap., T. XVI, 47; *Marc*, 1715.

[3] Confessarius non potest imponere poenitentiam solum de consilio, sed tenetur illam imponere sub aliqua obligatione.

[4] Cf. *Aertnys*, L. VI, 206, q. 2.°

omnia opera injuncta ad meritum satisfactionis sacramentalis elevantur [1].

485. — *Q.* Quaenam quantitas poenitentiae imponenda est?

R. — 1. Quantitas poenitentiae *per se* debet esse culpis proportionata, levis pro levibus, gravis pro gravibus.

2. Gravis poenitentia communiter habetur ea, cujus materia materiae gravi in praeceptis Ecclesiae datis, vel daturis respondet, uti jejunium, auditio missae, vel concionis, exercitium *Viae Crucis,* litaniae Sanctorum, recitatio tertiae partis Rosarii, etc. — Non autem gravis erit poenitentia recitare una vice Ps. *Miserere* vel quinque *Pater* et *Ave.*

3. Proportio, quae esse debet inter peccata et poenitentiam, non debet esse absoluta, sed relativa, spectata scilicet poenitentis dispositione, facultate, utilitate; unde Trid. remittit quantitatem poenitentiae arbitrio confessarii, prout *spiritus et prudentia suggesserit* [2].

Quare *per accidens* poenitentia non medicinalis, sed vindicativa ex sequentibus justis causis minui potest: —1° Si poenitens accessit *valde contritus,* aut si ille prius multas poenales patravit actiones. —2° Tempore *jubilaei,* aut *indulgentiae plenariae*: sed tunc semper aliqua poenitentia imponi debet, ut declaravit Bened. XIV, sive quia nemo securus esse potest indulgentiam lucrari, sive quia semper integrandum est Sacramentum. —3° Si poenitens sit *infirmus corporis,* cum advertat Rit. Rom. infirmo tunc non esse imponendam poenitentiam gravem, sed tantum pro tempore cum convaluerit. Quod si infirmus sit in periculo mortis, aut sensibus destitutus, tunc potest absolvi sine ulla poenitentia, licet semper expedit aliquam levem ei imponere, uti osculari Crucifixum, aut invocare saltem in corde nomina Jesu et Mariae, etc.. Sed non expediat infirmo pro poenitentia imponere ut patienter infirmitatis incommoda sufferat, hoc enim illi esse potest multorum scrupulorum occasio. E contra si infirmus satisfacere potest per eleemosynas, istae sunt injungendae, quia quilibet tenetur illam, quam potest, poenitentiam facere, dummodo tamen absit omne periculum infamiae, quod *in praxi* maxime cavendum est. —4° Si poenitens sit *infirmus spiritu,* adeo ut prudenter timeatur quod ille non adimpleat poenitentiam proportionatam. Proinde expedit ut confessarius poenitenti graviorem poenitentiam tantum consulat, vel comprehendere faciat poenitentiam quam meretur, sed postea eam tantum imponat, quam a poenitente adimpleri prudenter judicabit [3]. Unde conclu-

[1] S. Alph., L. VI, 518.

[2] Sess. XIV, c. VIII.

[3] « Quam imprudenter se gerunt Confessarii, qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poenitentes non esse impleturos. Oh quam plures confessarii indocti inveniuntur (loquor experientia doctus in missionibus in quibus fere triginta annos sum versatus), qui non dubitant absolvere eos, qui vel sunt in proxima occasione peccandi, vel recidivi indispositi, et insipienter putant eos curare, graves eis imponendo poenitentias; ex quo fit, quod illi, etsi poenitentiam acceptent ut absolutionem carpant, quia nullum eis remedium praescribitur ut praeserventur, brevi misere relabuntur, poenitentiam non implent, et ab ejus gravitate deterriti, deinde a confessione abhorrent, et sic in peccatis suis diutius tabescunt ». — Ita S. Alph., L. VI, 510. — Confessarii autem,

dit S. Alph., quod confessarius non debet permittere ut poenitens recedat sine absolutione eo quod nolit accipere debitam poenitentiam, sed potius imponat poenitentiam quam ille libenter suscipiat, et verosimiliter adimpleat [1]. Imo sat probabiliter dicunt plures Th. quod est causa satis justa minuendi poenitentiam, ut poenitens majore amore afficiatur erga hoc Sacramentum [2].

Monent Th. ut in casibus gravioribus confessarius poenitenti significet quaenam poenitentia juxta veteres Ecclesiae canones illi competeret [3]; atque ut satagat voluntarias facere poenitentias, ne diu

observat Cl. Berardi, qui ita se gerunt, omnes poenitentes amittunt; et sic inutiles se reddunt. Praxis, 1130.

[1] Sacramentum poenitentiae non est forum irae et poenarum, sed veniae et misericordiae; et satius est quod poenitens cum leviori poena residuam luat in purgatorio, quam, graviori poena neglecta, damnetur in inferno. *Scavini*, III, 318.

[2] S. Alph., L. VI, 510; Hom. Ap., T. XVI, 49, 50.

[3] *Veteres canones poenitentiales.*

Circa 1um Praeceptum: 1°. Qui a fide desciverit, poenitentiam aget *annis decem.* 2° Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit *annis septem.* 3° Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, poenitens erit *annis duobus.* 4° Respiciens futura in astrolabio, poenitens erit *duos annos.* 5° Qui magos consuluerit, in poenitentia erit *annos quinque.*

Circa 2um Praeceptum: 1° Quicumque sciens pejeraverit, 40 *dies* in pane et aqua, et *septem* sequentes *annos* poeniteat, et nunquam sit sine poenitentia, et nunquam in testimonium recipiatur, et post haec Communionem percipiat. 2° Qui perjurium in Ecclesia fecerit, poenitentiam agat *annos decem* 3° Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, prae foribus Ecclesiae *diebus dominicis septem,* in manifesto dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque praecedentibus *feriis sextis* in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis jam illis septem diebus dominicis *tres, aut duos, aut unum pauperem* pascat, si potest, alioquin alia poenitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiae ingressus interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura. 4° Qui votum simplex violaverit, poeniteat *tribus annis.*

Circa 3um Praeceptum: 1° Qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, poenitentiam aget *tres dies* in pane et aqua. 2° Si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, poenitentiam aget *dies viginti* in pane et aqua. 3° Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die poenitentiam aget *dies septem.* 4° In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non *communicet;* ac praeterea a carne abstineat.

Circa 4um Praeceptum: 1° Qui parentibus maledixerit, *quadraginta dies* poenitens sit in pane et aqua. 2° Qui parentes injuria affecerit, *tres annos.* 3° Qui percusserit, *annos septem.* 4° Si quis contra Episcopum, Pastorem et Patrem suum insurrexerit, in Monasterio *omnibus diebus* vitae suae poenitentiam aget. 5° Si quis Episcopi, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui praecepta contempserit, vel irriserit, poenitentiam aget *dies quadraginta* in pane et aqua.

Circa 5um Praeceptum: 1° Qui presbyterum occiderit, poeniteat *duodecim annis.* 2° Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitae suae tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu; abstineat a carne et vino, dum vixerit; jejunet *secunda et quarta et sexta feria.* 3° Si quis hominem occiderit, ad *januam Ecclesiae* semper erit, et in obitu Communionem recipiet. 4° Qui homicidii auctor fuit ob consilium quod dedit, poenitentiam aget 40 *dies* in pane et aqua, cum septem sequentibus annis. 5° Si quae mulier abortum fecerit, poenitentiam aget *annos tres;* si nolens, *Quadragesimas tres.* 6° Qui nolens filium oppresserit, poenitentiam aget *dies* 40 in pane et aqua, oleribus ac leguminibus: abstinebit ab uxore *dies totidem.* Deinde poenitens erit *tres annos* per legitimas ferias; tres praeterea Quadragesimas in anno observabit. 7° Qui sceleris occultandi causa filium necavit, poenitentiam aget *annos decem.* 8° Si quis per iram subitam, aut

in purgatorio remanere cogatur. — Item consulendus est ut Indulgentias acquirat, et ea ratione suppleat defectui propriae satisfactionis.

486.— *Q.* Quaenam qualitas poenitentiae imponenda est?

R. Circa *qualitatem* poenitentiae:

1. Confessarius caveat ne imponat poenitentias perpetuas, vel nimis diuturnas, aut valde onerosas; nec potest, ut communiter dicunt Th., pro proenitentia imponere ingressum in religionem, et eo minus quod poenitens contrahat matrimonium, quia talis status omnimodam requirit libertatem; nec imponat vota perpetua, imo licet poenitens vovere vellet, v. g. de non relabendo, ei non permittat nisi ad tempus, ut videat quomodo votum observet.

2. Confessarius nequit poenitentiam *publicam* pro peccatis *occultis* imponere, quia indirecte sigillum violaretur. Pro peccato vero publico confessarius tenetur publicam imponere poenitentiam in eo tantum casu, quo poenitens aliter nequit scandalum datum reparare, puta restituendo honorem alicui publice dehonorato. — Secluso hoc casu, si poenitentia publica non sit absolute necessaria, confessarius non debet illam imponere, si poenitens renuat, et alia via scandalum reparare possit, v. g. Sacramenta frequentando, ecclesias visitando, ad aliquam congregationem se aggregando, etc.

per rixam hominem necaverit, poenitentiam aget *annos tres*, 9° Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget *unum annum* per legitimas ferias. 10° Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, *triduo* poenitentiam aget in pane et aqua.

Circa 6um Praeceptum: 1° Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit *tres annos*. 2° Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens,poenitentiam aget 20 *dies*. 3° Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit 40 *dies*. 4° Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, *perpetuam poenitentiam* aget. 5° Qui incestum fecerit (non ita enorme) poenitens erit *duodecim annos*. 6° Qui monialem violaverit, poenitens sit *annos decem*. 7° Si quae mulier cerussa. aliove pigmento se oblinit, ut aliis placeat, poenitentiam aget *annos tres*. 8° Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem,quamscilicet baptizavit, vel quae sibi confessa fuit, debet poenitentiam agere *duodecim annos*. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando *quindecim annos* poeniteat, et postea *Monasterium intret* tota vita sua moraturus ibidem. 9° Pro adulterio *septennii* et *decennii* poenitentia imponitur. Pro osculo seu amplexu impudico *triginta dierum* poenitentia statuitur.

Circa 7um Praeceptum: 1° Si quis furtum de re minori fecerit, poenitentiam aget *unum annum*. 2° Qui furatus est aliquid de Ecclesiae supellectili, vel thesauro, vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiae factas, poenitens erit *annos septem*. 3° Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, *quadruplum* restituet, et poenitentiam aget *dies* 20 in pane et aqua. 4° Qui usuras accipit, rapinam facit, poenitentiam aget *annis tribus* et *uno* in pane et aqua.

Circa 8um Praeceptum: 1° Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit *annos quinque*. 2° Falsarius in pane et aqua poenitentiam agat *quamdiu vivit*. 3° Si quis de proximo detraxerit, poenitens erit *dies septem*, in pane et aqua.

Circa 9um et 10um Praeceptum: 1° Rem alienam nefarie concupiscens avarusque, poenitens erit *tribus annis*. 2° Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, poenitens erit *annos septem;* si presbyter, *quinque;* si diaconus, vel monachus, *tres;* si clericus, aut laicus, *duos*. — S. Alph., L. VI, 530,

3. Potest imponere poenitentiam conditionatam, v. g. aut de jejunando, aut de eleemosyna elargienda, quoties poenitens cadet, sed non expedit eam ad longum tempus imponere, quia postea faciliter negligitur et peccata multiplicantur. Sed si imponitur haec poenitentia conditionata, aliqua alia poenitentia certa, etsi levis, adjungenda est pro securitate integritatis Sacramenti.

4. Potest etiam pro poenitentia imponere cessationem a bono opere, v. g. a jejunio, a Communione, quia talis cessatio utique esse potest actus virtutis, saltem ad experimentum obedientiae erga confessarium. Attamen in *praxi* hoc non expedit, si opus bonum est mere internum, vel defunctis applicandum. Ceterum hoc experimentum non est adhibendum nisi cum animabus devotis; aliunde vero ad experimentum obedientiae alia media non desunt.

5. Potest etiam imponere aliquod opus ad quod poenitens jam tenetur, v. g. interesse Sacro die festivo, jejunare in vigiliis; quia cum tale opus sit satisfactorium, tunc per Sacramentum elevatur ad meritum satisfactionis sacramentalis. Hoc potest fieri quum poenitens dignoscitur valde debilis spiritu. Ceterum, regulariter loquendo, debet imponi aliquod opus liberum, ideoque si confessarius non exprimat, opus liberum imperasse censetur. Conveniunt tamen quod, si confessarius poenitenti imponat adesse Sacro per totum mensem, iste non tenetur die festo duobus adesse [1].

487. — *Q.* Quid in praxi pro quantitate et qualitate poenitentiae considerandum?

R. In *praxi* pro quantitate et qualitate poenitentiae considerandum est quid magis expediat, aut magis utile sit poenitenti. — Hinc prae oculis haec habenda sunt:

1. Pro peccatis sensualibus imponenda sunt opera carnem coërcentia; eleemosynae pro peccatis avaritiae; jaculatoriae preces pro blasphemiis, etc.

2. Quamvis maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, et eleemosynas, nihilominus, ait S. Alph., impositio talis poenitentiae ut plurimum utilis non esset iis qui nihil, aut parum hujusmodi exercitationibus sunt assueti.

3. Ordinarie loquendo, ad rem non sunt poenitentiae multis diversis operibus implicatae, quia memoria retineri nequeunt, nec poenitentiae nimis naturae repugnantes, v. g. signare crucem cum lingua in terra, invisere inimicos, quibusdam pueris imponere ut veniam petant a parentibus, vel aliis ob inobedientiam; sive quia saepe odiosam reddunt confessionem [2], sive quia plerumque omittuntur, cum periculo etiam quod hi pueri, peccatum omissae poenitentiae postea confiteri non audentes, seriem confessionum sacrilegarum inchoent.

4. Poenitentiae utiles generatim pro omnibus hae solent esse: Sacramenta sive Confessionis, sive Communionis frequentare; verbum divinum audire; aggregari ad aliquam congregationem; quolibet

[1] S. Alph., L. VI, 511, 514; Hom. Ap., T. XVI, 53.

[2] Pueris praecipere ut a parentibus veniam petant, *generatim* inconsultum; *speciatim*, v. g. propter furtula etc., sacrilegium est. *D'Annibale*, III, 347 (17).

vespere (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio : *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar ;* Missam audire ; visitare quotidie SS. Sacramentum, et imaginem quoque Mariae SS., ab eis perseverantiae gratiam postulando ; recitare saltem tertiam partem Rosarii, et ter salutationem angelicam, nempe mane, meridie et vespere, dicendo : *Mater mea adjuva me hodie, ne in Deum peccem.* (Hanc poenitentiam, ter recitandi salutationem angelicam cum praedicta supplicatione, S. Alph. plerumque solitus fuit injungere, aut saltem consulere iis, qui eam non solebant frequentare) ; cum cubitum iverint, dicere in lecto : *Si nunc mihi morandum fuisset in inferni igne !* aut dicere : *Veniet dies quo mihi in hoc lecto moriendum erit ;* qui legere sciunt, et potissimum Ecclesiastici, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem [1].

488. — *Q.* Si poenitens statim post absolutionem deferat aliud peccatum, sufficit ne illi eamdem imponere poenitentiam ?

R. Alii affirmant, sed merito alii negant, quia licet opus alias praeceptum bene imponi possit in poenitentiam, ut supra dictum est, non tamen opus praeceptum eodem titulo satisfactionis sacramentalis ; unde quum, quoties nova datur absolutio, novum perficiatur Sacramentum, idcirco est necessaria nova poenitentia, saltem levis, ad illud integrandum [2].

489. — *Q.* Quid si confessarius ex oblivione poenitentiam non imposuerit ?

R. Confessarius, si ex oblivione poenitentiam non imposuerit, debet poenitentem ad se revocare ut ei eam imponat, modo id commode et sine scandalo fieri possit, alias expectabit ejus reditum ; quod si non redeat, ad nihil aliud tenebitur.

Poenitens quoque, qui advertit confessarium nullam sibi imponere poenitentiam, debet eum monere ; quod si jam discesserit, ad eum, si cito potest, redire debebit ut poenitentiam accipiat ad integrandum Sacramentum.

490. — *Q.* Quandonam poenitentia imponenda est ?

R. Poenitentiae impositio consultius est ut fiat ante absolutionem, sive ut servetur ordo judicii, sive ut cognoscatur quomodo poenitens eam acceptet ; potest tamen etiam imponi immediate post absolutionem, tunc enim moraliter cum illa unitur [3]. Dixi *immediate,* quia si multum tempus effluxisset, unio moralis deesset.

ART. III.

De adimpletione satisfactionis.

491. — *Q.* Poenitens tenetur ne poenitentiam acceptare et adimplere ?

R. Quoad poenitentiae *acceptationem :*

1. Poenitens congruam poenitentiam acceptare tenetur, et quidem sub gravi si imposita fuit sub gravi pro mortalibus nondum directe remissis. Ita Th. communiter.

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. XVI, 54.
[2] S. Alph., L. VI, 513, dub. 2.
[3] S. Alph., L. VI, 514, 8. — Vid. etiam *Gènicot,* II, 311.

2. Si poenitentia imposita fuit pro venialibus, aut mortalibus jam confessis, licet alii dicant teneri adhuc sub gravi eam acceptare ad integrandum Sacramentum, probabile tamen est teneri tantum sub levi, ut dictum est de obligatione confessarii in ipsa imponenda.

3. Poenitens, qui congruam poenitentiam recusat, absolvi nequit, quia indispositus; secus si eam recusaret quia ipsam putaret nimis gravem respectu sui peccati, aut saltem suarum virium. Dixi *congruam,* quia si poenitentia evidenter incongrua esset, uti si confessarius ingressum in religionem imponeret, vel infirmo grave jejunium, vel mulieri longam peregrinationem, poenitens potest modeste confessario suam exponere difficultatem, cui si ipse acquiescere nolit, potest discedere absque absolutione, et alium adire confessarium.

Quoad poenitentiae *adimpletionem :*

1. Poenitens, si confessio valida fuit, poenitentiam adimplere tenetur, quia est necessaria ad integrandum Sacramentum.—Quod si confessio invalida fuit, tunc non tenetur ob contrariam rationem. Idem est de poenitentia imposita sine absolutione, nisi sit medicinalis ad praecavendum peccatum, et praeparandum poenitentem ad ipsam absolutionem; vel nisi poenitens ad perficiendam eamdem confessionem pluries accedat, et confessarius singulis vicibus poenitentiam imponat, ut ultimo mitiorem praecipiat.

2. Poenitens graviter peccaret, si poenitentiam gravem pro gravibus delictis nunquam confessis et sub gravi obligatione impositam omitteret. — E contra peccaret tantum venialiter si omitteret partem levem poenitentiae etiam gravis. Ita Th. omnes.

An vero sit mortale omittere poenitentiam gravem, sed impositam pro venialibus, aut mortalibus jam confessis, vel impositam quidem pro mortalibus nondum confessis, sed poenitentia est levis, disput. Th.; sed probabilius dicunt non esse mortale; - ratio, quia in hisce casibus satisfactio imposita non est necessaria in quantum est gravis; unde sicut confessarius non tenebatur illam imponere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi adimplere. Ita S. Alph. [1], qui duos excipit casus, scilicet: *a)* si peccata illa venialia per accidens valde disponerent ad mortale, et poenitentia gravis necessaria esset ad removendum periculum peccandi; *b)* si poenitens pro mortalibus confessis condignam non egisset poenitentiam, quia tunc si iterum ea peccata confiteatur, bene poterit confessarius gravem injungere poenitentiam, et poenitens, si acceptet, tenetur sub gravi eam implere [2].

An autem circumstantiae poenitentiae, v. g. ipsam adimplere flexis genibus, nudis pedibus, etc. importent obligationem gravem, hoc dependet ex gravi, vel levi molestia quam circumstantia vel per se, vel respective ad poenitentem, secum affert [3].

492. — *Q.* Poenitens quando et quomodo poenitentiam adimplere tenetur?

[1] S. Alph., L. VI, 517.
[2] S. Alph., L. VI, 518.
[3] S. Alph. Hom. Ap., T. XVI, 55, 56; Cf. *Génicot,* II, 318.

R. Praemitto : In interpretanda obligatione et executione poenitentiae sacramentalis, imprimis spectanda est voluntas confessarii expresse manifestata, vel rationabiliter praesumpta ex adjunctis, consuetudine, etc. Hinc :

1. Quoad *tempus*, si confessarius tempus determinavit, tenetur poenitens illam adimplere tempore statuto. Qui vero poenitentiam tempore statuto adimplere neglexit non ideo ab ea deobligatus erit ; nam tempus assignatur ad sollicitandam, non ad finiendam obligationem. — Si autem confessarius tempus non determinavit, tenetur poenitens adimplere satisfactionem quum primum commode potest ; unde nulla adest obligatio illam adimplere ante Communionem, et propos. contraria damnata fuit ab Alex. VIII. Nec opus est ut quis sacramentalem poenitentiam impleat antequam rursus confiteatur, sed eam potest continuare et implere, si diuturna sit, aliis interpositis confessionibus.

2. Quoad *intentionem*, poenitentia juxta quosdam impleri debet cum intentione, *saltem virtuali*, praeceptum confessarii implendi : etenim poenitentia sacramentalis fieri debet in ordine ad sacramentum Poenitentiae, cujus est pars integrans : ergo ad illud ordinari debet intentione saltem virtuali. — Alii vero, et quidem probabilius, tenent sufficere intentionem *habitualem* prius ea faciendi quae ea ex obligatione facienda sunt, quam quae ex mera devotione assumuntur ; unde poenitentiam valide implet, qui de ea non cogitans opus injunctum perficit. An vero qui expresse statuat, non pro poenitentia sacramentali, sed pro devotione illud facere, poenitentiae sacramentali satisfaciat, alii negant ; sed alii etiam affirmant, et dicunt nullam omnino intentionem requiri, sed sufficere operis injuncti executionem : et haec ultima sententia probabilis videtur [1]. (V. vol. I, n. 164).

3. Quoad *executionem*, poenitens propria auctoritate nequit sibi alium substituere, qui loco ipsius eam adimpleat, et propos. contr. damnata fuit. Potest tamen per alium satisfacere si per se non potest, et confessarius hoc ipsi concedit ; nam tunc non jam opus, sed hujus procuratio esset satisfactio sacramentalis.

An autem poenitens possit cum socio poenitentiam exequi, si confessarius id non exprimat, disput. Th. Alii negant, quia alias poenitens non totum sentiret poenitentiae onus. Sed alii probabilius affirmant, quia oratio cum socio Deo magis accepta videtur, juxta illa verba : *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* [2].

Conveniunt tamen quod implere eam potest eo tempore, quo aliud praeceptum implet, v. g. dum audit missam die festo Rosarium in poenitentiam impositum recitare potest [3].

493. — *Q.* Dilatio poenitentiae quaenam culpa est ?

R. Ad dignoscendam culpam dilationis, distinguenda est poenitentia medicinalis a vindicativa. — Si poenitentia est *medicinalis*, et poenitens alia remedia suffi-

[1] S. Alph., L. I, n. 163, 164 ; *Lehmkuhl*, n. 358 ; *Berardi, Prax. conf.* n. 1051, V.

[2] Matth., XVIII, 20.

[3] S. Alph., L. VI, 526 ; Hom. Ap., T. XVI, 55, 57, 58.

cientia non adhibet, tunc mora etiam parva grave peccatum constituere potest ratione periculi relabendi. — Si poenitentia est tantum *vindicativa* et est levis, quaecumque dilatio erit solum levis; si vero poenitentia est gravis et pro gravibus delictis nunquam confessis imposita et quidem sub obligatione gravi, tunc probabilius erit gravis si est per longam moram (quam moram alii extendunt ad mensem, alii ad duos, vel sex, et alii etiam ad annum), praesertim si praevideatur impotentia eam postea adimplendi, vel si adsit periculum eam obliviscendi, vel si ex ejus dilatione ipsa notabiliter minuatur; secus erit solum levis.

494. — *Q.* Quid agendum a poenitente si oblitus sit qualis poenitentia sibi fuerit imposita?

R.—1. Poenitens si oblitus fuerit qualis poenitentia sibi imposita sit, tenetur, si commode possit, eumdem adire confessarium, ad sciendum quaenam sit poenitentia, dummodo praesumat quod confessarius de poenitentia injuncta reminiscatur, tunc enim impletio poenitentiae est ei moraliter possibilis.

2. Quod si poenitens commode non possit redire ad eumdem confessarium, aut praesumere nequeat quod de poenitentia injuncta reminiscatur, tunc alii Th. volunt teneri ad repetendam confessionem ad integrandum Sacramentum. — Alii vero communiter et valde magis probabiliter negant, et hoc etiamsi poenitens culpabiliter oblitus fuisset, quia in tali casu poenitentiae adimpletio ex una parte facta est ei impossibilis, et ex altera Sacramentum probabilius fuit sufficienter integratum per impositionem et acceptationem poenitentiae: adimpletio autem pertinere videtur tantum ad praeceptum, non vero stricte ad Sacramenti integritatem; unde an repetenda sint peccata, jam semel directe remissa, ut integretur Sacramentum, lex dubia est[1].

495. — *Q.* Poenitens in mortali existens potest ne poenitentiae satisfacere?

R. Th. communissime contra paucos affirmant, quia, e regula generali S. Thomae pluries repetita, finis praecepti non cadit sub praecepto.

Poenitens vero, qui poenitentiam adimplet in mortali, certe non peccat graviter; sed juxta communiorem sententiam venialiter peccat, quia satisfaciendo in mortali, effectui partiali Sacramenti, nempe remissioni poenae impedimentum ponit[2]. Plures tamen tenent nec venialiter peccare, quia nulla est culpa soli poenarum remissioni obicem ponere[3].

Art. IV.

De commutatione satisfactionis.

496. — *Q.* Quisnam poenitentiam commutare potest?

R.—1. Certum est poenitentem non posse sibi poenitentiam commutare, etiam in opus evidenter melius; nam sicut non potest poenitentia nisi a confessario imponi, ita nec potest nisi ab eo solo mutari.

2. Commutatio poenitentiae certe fieri potest a proprio confessa-

[1] S. Alph., L. VI, 520; Hom. Ap., T. XVI, 59.

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. XVI, 60.
[3] S. Alph., L. VI, 523.

rio quia legislator propriam legem mutare potest. — Ad licitam tamen commutationem requiritur justa causa, v. g. si prima poenitentia imposita videatur difficilis, vel si praevideatur quod poenitens non sit ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem, etc.[1].

3. Commutatio probabilius fieri potest etiam ab alio confessario, quia quilibet alius confessarius potest esse judex ejusdem causae, si poenitens ipsius tribunali se submittat; succesor enim in eadem auctoritate potest quidquid potuit antecessor.

4. Confessarius probabilius non potest commutare poenitentiam a Superiore impositam pro casibus reservatis, quia inferior nihil potest in lege Superioris; excepto casu quod accedat gravis causa, et facilis non sit accessus ad Superiorem, quia tunc praesumitur ejus conniventia[2].

Hic autem notandum est quod, facta commutatione, poenitens primam poenitentiam semper eligere potest, ut plures docent Th.; quia mutatio est in ejus favorem, cui bene renuntiare potest.

497. — *Q.* Pro commutatione poenitens tenetur ne primam confessionem repetere?

R. Si poenitens adeat eumdem confessarium, et iste recordetur, saltem *confuse,* de statu conscientiae poenitentis, certe non tenetur. — Si vero proprius confessarius de statu poenitentis nec confuse recordetur; vel si poenitens alium adeat confessarium, tunc disput. Th.. Sed multi sat probabiliter negant pro utroque casu, et dicunt quod ad commutationem sufficit cognitio prioris poenitentiae, et notio difficultatis ad eam implendam, quia tunc non agitur de judicio ferendo in culpis jam confessis, cum judicium jam efformatum sit, sed tantum de imbecillitate poenitentis ad primam poenitentiam implendam[3].

498. — *Q.* Commutatio potest ne fieri extra tribunal poenitentiae?

R. — **1.** Certum est quod extra tribunal poenitentiae commutatio non potest fieri ab alio confessario, quia confessarius nullam habet potestatem in poenitentem, nisi actu confessionis.

2. Si autem est idem confessarius, tunc alii admittunt id fieri posse, sed infra eundem diem, alii infra biduum, et alii extendunt etiam ad hebdomadam; sed sententia communior et verior tenet id tantum posse admitti si fiat statim post absolutionem antequam poenitens a confessario abscedat, qui tunc tantum videtur moraliter perseverare idem judicium[4].

CAPUT V.

De forma Sacramenti Poenitentiae.

499. — *Q.* Quaenam forma Sacramenti Poenitentiae?

R. Forma Sacramenti Poenitentiae est: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen;* Trid. enim sic habet: « Docet S. Synodus Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ejus vis sita est, in illis ministri verbis sitam esse, *ego te absolvo,* etc.,

[1] S. Alph., L. VI, 528.
[2] S. Alph., L. VI, 529, dub. 2.
[3] S. Alph., L. VI, 529.
[4] S. Alph., L. VI, 429, dub. 3.

quibus quidem, de Ecclesiae sanctae more, preces quaedam laudabiliter adjunguntur ».

Rit. Rom. autem sic habet:

« Cum igitur (Sacerdos) poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.*

Deinde, dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

Dominus noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde[1] *ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Si poenitens sit laicus, idest nec saltem prima tonsura insignitus, omittitur verbum *suspensionis*, quia talis censurae incapax est.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus, omitti potest *Misereatur etc.*, et satis erit dicere: *Dominus noster etc.*, usque ad illud: *Passio Domini nostri*, exclusive.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen* »[2].

500. — *Q.* Quaenam verba formae essentialia sunt; et quale peccatum est omittere verba Rit. Rom.?

R. Verba essentialia sunt: *te absolvo a peccatis tuis;* — imo Th. probabilius et communius dicunt verba *a peccatis tuis* non pertinere ad essentiam; sed quoniam sententia affirmativa est etiam probabilis, haec *in praxi* certo tenenda est, agitur enim de valore Sacramenti, et certe graviter peccaret qui illa omitteret, quia Sacramentum exponeret periculo nullitatis.

Omittere verba *in nomine Patris*, etc. alii dicunt esse mortale; alii nec veniale, secluso contemptu et scandalo; sed communissime tenent esse veniale. Preces *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc., juxta communiorem sententiam sine ulla culpa semper omitti possunt. — Omittere *Dominus noster Jesus Christus* etc. juxta aliquos nullum esset peccatum, sed juxta alios veniale esset, nisi necessitas urgeat.

Omittere *Passio Domini nostri Jesu Christi*, etc. alii dicunt esse

[1] Vox *Deinde* pertinet ad verba Formae, uti eruitur ex Rituali Romano Ratisbonae impresso (editio prima post typicam), et a S. Rituum Congregatione recognito, et approbato die 30 maji 1888. Ratio est, quia haec vox in hoc Rituali charactere nigro est impressa, ideoque haberi non potest uti rubrica. Hinc hodie omnis quaestio finita est.— Vid. decr. S. R. C. 11 martii 1837, n. 2764.

[2] Antequam incipiatur Confessio, Confessarius solet poenitenti benedictionem impertiri, hisce verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua. In nomine Patris, † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

veniale, sed communiter negant. Ordinarie tamen non convenit illa verba omittere, quia per illa probabilius, ut diximus, bona opera poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis elevantur [1].

Elevatio manus et formatio crucis in absolutione impertienda certe non requiruntur ad *validitatem*, quia non pertinent nec ad materiam, neque ad formam. Multi tamen dicunt requiri ad *liceitatem* ex Rubrica, sed solum sub levi [2].

501. — *Q.* Quaenam efficacia formae hujus Sacramenti, seu absolutionis ?

R. Haeretici contendunt sola fide remitti peccata, et verba absolutionis proferri tantum ad excitandam fidem ; ideoque absolutionem esse meram caeremoniam sacram qua declaratur peccata jam esse a Deo remissa , et amplius non imputari.

At contra, ex Trid., de fide est quod forma absolutionis sacramentalis non est nudum ministerium declarandi peccata esse remissa ; sed ex Christi institutione et natura Sacramenti est verus actus judicii , quo Sacerdos, ex auctoritate sibi divinitus tradita, vere et proprie peccata poenitenti remittit. *Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti ;... anath. sit* [3]. Hinc si olim disputatum fuit an forma ad ejus validitatem exprimi possit verbis deprecativis, *absolvat te Deus,* nunc vero ex Florentini et Tridentini decretis certum est quod exprimi debet verbis indicativis, *ego te absolvo,* etc.

Verus ergo sensus verborum absolutionis non est : *Ego te absolutum* declaro , ut volunt haeretici ; sed est : *Ego vere te absolvo,* nempe *Absolvo te, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo ;* vel juxta alios : *Confero tibi sacramentum quantum est ex se absolutivum a peccatis, et collativum gratiae* [4].

502. — *Q.* Per verba *te absolvo* potest ne Sacerdos valide absolvere poenitentem tam a censuris, quam a peccatis ?

R. Th. communiter affirmant , quia nihil prohibet quin verba illa

[1] S. Alph., L. VI. 430.

[2] Ex Rit. Rom., sacerdos in administrando hoc Sacramento uti debet superpelliceo et stola violacei coloris, *prout tempus vel locorum feret consuetudo.*

[3] Sess. XIV, c. IX.

[4] S. Th., p. 3ª, q. 84, a. 3, ad 5. *Billuart*, diss. I, art. 3, § 2.

Cum Sacramenta N. L. efficiant quod significant, et forma absolutionis significet remissionen peccatorum , patet quod qui rite dispositus ad hoc Sacramentum accessit, certus est de obtenta peccatorum remissione et de propria justificatione. Certus, dico, non certitudine *fidei*, quia haec haberi nequit nisi per divinam revelationem ; sed certitudine *morali*. Et quando S. Scriptura dicit quod *nescit homo utrum amore an odio dignus sit,* textus intelligendus est de certitudine fidei. Et si alio loco Sp. S. dicit: *De propitiato peccato noli esse sine metu* , id accipiendum est non quasi debeas dubitare de remissione ; sed quod non debes esse sine metu, ne in idem relabaris. Si aliter illa verba acciperentur , sensum contradictorium continerent : dicerent nempe peccatum esse remissum simul et non remissum, quod contradictionem involvit. Quando vero Ap. Paulus dixit : *Nihil.... mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* , ipse non negat quidem se esse justificatum, sed docet tantum causam suae justificationis non esse testimonium propriae conscientiae, sed esse gratiam Dei ; unde dicit : *sed non in hoc* (seu in proprio testimonio), *justificatus sum.* (I Cor., IV, 4).

—

ex intentione Sacerdotis ad absolutionem tam a censuris quam a peccatis dirigantur.—Attamen Sacerdos qui hoc faceret, nisi periculum sit in mora, peccaret venialiter, quia contra usum Ecclesiae; probabiliter vero nec venialiter, si nulla adsit suspicio quod poenitens aliquam censuram incurrerit.

Quod si poenitens est censura ligatus, tunc Sacerdos *illicite*, et quidem sub gravi, illum absolveret prius a peccatis quam a censuris, quia ageret contra gravem Ecclesiae prohibitionem; *valide* tamen, juxta veriorem sententiam, si poenitens, alias dispositus, bona fide accedat. (V. dicta, *De Censuris*, vol. I, n. 292).

503. — *Q.* Absolutio potest ne valide et licite dari sub conditione?

R. Quoad *validitatem*, si conditio est de praeterito, vel de praesenti, et extat, absolutio valida est. Si de futuro, communiter dicunt invalidam esse. (V. dicta, n. 197).

Quoad *liceitatem*, Th. communiter dicunt quod licite dari potest si adsit justa causa, quae est quando ex una parte, si absolutio negatur, exponitur poenitens periculo gravis damni spiritualis, et ex altera, si *absolute* datur, exponitur Sacramentum periculo nullitatis; unde non sufficit quaelibet levis causa, ut tenent quidam Laxistae, nec requiritur necessitas extrema, seu extremum vitae periculum, ut volunt quidam Rigoristae.

Causa autem justa esset:

1. Ex parte *confessarii*. Si confessarius est in dubio *facti* circa jurisdictionem, et poenitens est in mortali et diu carere deberet absolutione, ut dicetur inferius, ubi *De jurisdictione*.—*Item* si poenitens peccata mortalia confessus sit, et confessarius prudenter dubitat an illum jam absolverit. Posset tamen confessarius, in hoc casu, obtinere declarationem alterius peccati temporis praeteriti, et nova poenitentia imposita, levi tamen, et novo contritionis actu a poenitente ad tutius obtento, illum absolute absolvere, quia tunc omnia adsunt ad validam et licitam absolutionem.

2. Ex parte *poenitentis*. Si poenitens ex una parte dubiam materiam vel dubiam dispositionem exhibet, et ex altera, si absolutione privetur, est in periculo gravis damni spiritualis, tunc *praemissa debita diligentia ad eum, quantum fieri potest, rite disponendum*, si dubium perseverat, sub conditione absolvi potest.

Hinc sub conditione, saltem *animo retenta*, absolvi possunt dubie dispositi et in gravi periculo mortis constituti, uti mulier in partu difficili, nauta aut alius longam navigationem suscepturus, miles ante praelium, infirmus ante operationem chirurgicam valde laboriosam, et a fortiori reus capite plectendus [1]. — Qui versatur in periculo incidendi in perpetuam amentiam, perinde habetur ac si versaretur in periculo mortis [2]. — Semifatui, vel pueri

[1] Sic sub conditione absolvendus est qui repentino et gravi morbo correptus nullum prorsus signum doloris dat; item moribundus qui, absente confessario, visus fuerit oculos ad coelum attollere, aliquam devotam imaginem respicere, sed hic et nunc nullum dat signum doloris, quia confessio revera deest. *D'Annibale*, III, 317 (40).

[2] *D'Annibale*, I, 38.

nondum perfectae rationis compotes, qui si aliquod mortale, vel dubie mortale confessi sint, sub conditione absolvi possunt non solum in periculo mortis, vel tempore annuae confessionis, sed etiam quandoque per annum, ne forte maneant in mortali. — Ii, de quibus prudenter dubitatur, quod si inabsoluti dimittantur periculum erit ne animo dejecti ob denegatam absolutionem a sacro tribunali omnino recedant, et in peccatis contabescant [1]; unde ob hanc causam Gury dicit quod probabiliter conditionate absolvi possunt sponsi dubie dispositi, et matrimonium proxime contracturi.—Si urgeat necessitas communicandi ad vitandum scandalum, vel infamiam, ut facile evenit in prima Communione puerorum, et in Communionibus generalibus praesertim si exiguus sit communicantium numerus [2].

Poenitens tamen peccati mortalis reus, et ob dubiam dispositionem, vel dubiam jurisdictionem sub conditione absolutus, juxta S. Alph., non habet idcirco jus ad Eucharistiam; quia Ap. Paulus praecepit ut nemo accedat nisi probatus, unde si peccatum fuit certum, non sufficit probatio dubia, aut mere probabilis, sed requiritur moraliter certa. At si poenitens est jam ex se determinatus, vel si ex defectu Communionis magnum timeatur malum, tunc relinquatur in sua bona fide et faciat ut ei placuerit, nam accedendo in bona fide gratiam primam etiam consequi potest.

504. — *Q.* Ad validitatem absolutionis requiritur ne praesentia poenitentis?

R. Ad validam absolutionem certe requiritur praesentia poenitentis; unde illicita esset confessio per litteras facta, et invalida absolutio data in absentia poenitentis, et propos. contraria damnata fuit a Clem. VIII [3]. — Haec autem poenitentis praesentia necesse non est ut sit physica, scilicet ut poenitens sit ante pedes confessarii, sed sufficit *praesentia moralis*, nempe sit in ea distantia in qua homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent; quae distantia extendi potest ad 20 circiter passus praesertim quum poenitens nondum discesserit ab aspectu confessarii: unde sine scrupulo confessarius absolutionem impertiri potest poenitenti cum certo scit parum distare. — *In praxi* autem si poenitens a confessionali discessit, eum prudenter revocet ut absolvat, si hoc commode fieri potest. In dubio vero moralis praesentiae et in casu necessitatis, absolutio danda est sub conditione.

Ceterum opus non est ut poenitens verba absolutionis audiat, et eo minus ut eadem intelligat; quinimo consultius est ut in praesentia aliorum poenitentium absolutio submissa voce proferatur, ne, si quis sine absolutione dimittatur, id alii percipiant [4].

[1] S. Alph., L. VI, 432; *D' Annibale*, III, 249 (8).

[2] *Marc*, 1663.

[3] Non constat absolutionem quae *per telephonium* daretur fore invalidam.... Attamen multo probabilius invalidam censemus, eo quod telephonica communicatio, in morali hominum aestimatione censetur medium communicandi cum absente. — Vid. *Génicot*, II, 267.

[4] S. Alph., L. VI, 429.

CAPUT VI.

De obligatione suscipiendi hoc Sacramentum.

505. — *Q.* Obligatio suscipiendi Sacramentum Poenitentiae quotuplex est?

R. Obligatio suscipiendi Sacramentum Poenitentiae duplex est, una ex praecepto divino, altera ex praecepto ecclesiastico.

506.— *Q.* 1° Praeceptum *divinum* confessionis quosnam obligat; 2° et quandonam obligat?

R. Ad 1um: Praeceptum divinum confessionis obligat tantum eos qui *gravis peccati post Baptismum commissi conscii sunt*, ita ut si quis solum venialium conscius esset, nullo unquam in casu, ex divina institutione, secluso scandalo, ad confessionem teneretur.

Ad 2um: Hoc praeceptum obligat aliquando per se, aliquando per accidens.

Obligat certo *per se* in quovis probabili periculo mortis; omnia enim praecepta positiva obligant saltem tempore necessitatis, secus enim nunquam obligarent, frustraque imponerentur. Hinc confiteri tenentur, v. g.: aggredientes periculosum iter, vel conflictum; mulieres in partu difficili et periculoso; habentes signa proximae mortis etiam naturalis, etc. Unde jure naturali tenentur medici infirmos in periculo mortis per se vel per alios monere ut propriae saluti aeternae consulant [1].— An vero obliget *per se* etiam aliquoties in vita, Th. communius affirmant; quia praecepta affirmativa non obligant tantum in extrema necessitate, sed etiam quando eorum adimpletio rationabiliter necessaria judicatur. — Quonam vero tempore et quoties in vita hoc praeceptum divinum obliget, hoc Christus reliquit determinandum ab Ecclesia. Porro certum est huic praecepto divino satisfacere qui praecepto ecclesiastico satisfacit.

Obligat vero *per accidens*: 1° Quando requiritur status gratiae ad aliquod opus peragendum, v. g., ad ministranda Sacramenta vel suscipienda ea quae dicuntur vivorum, et suscipiens vel minister nequit elicere actum contritionis perfectae; imo, etsi possit, tamen quoad susceptionem Eucharistiae confiteri tenetur ex praecepto Ecclesiae (v. n. 327). 2° Quando urget gravis tentatio, quae sine confessione vinci nequit. 3° Quando probabile est se nunquam postea habiturum copiam confessarii [2].

507.— *Q.* Quandonam obligat praeceptum *ecclesiasticum* confessionis?

R. Praeceptum *ecclesiasticum* confessionis, etsi absolute consideratum sit juris divini, tamen *quoad temporis determinationem* est juris ecclesiastici; et inductum fuit a Concilio Later. IV, sub Innoc. III, anno 1215, his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti* [3].

Dicitur: 1° *Omnis... fidelis postquam ad annos,* etc.. Ergo etiam

[1] S. Alph., L. VI, 664.
[2] S. Alph., L. VI, 663, 666.
[3] Hinc Trid.: *Si quis dixerit... ad eam* (confessionem omnium peccatorum) *non teneri omnes et singulos utriusque sexus fideles, juxta magni Conc. Lateranensi constitutionem, semel in anno; anath. sit.* Sess. XIV, c. VIII.

puer qui nondum septennium compleverit, si jam ad annos discretionis pervenerit et graviter peccaverit, ex praecepto saltem divino confiteri tenetur. — In dubio autem de sufficienti usu rationis, si puer aliquod dubie mortale confessus sit, sub conditione est absolvendus, si non ex praecepto annuae confessionis, saltem ne forte diu maneat in peccato mortali [1]. — 2° *Omnia sua peccata ;* sententia autem communis et verior dicit hoc praeceptum ecclesiasticum sicut praeceptum divinum afficere solum qui conscii sunt peccati mortalis, necessario in confessione aperiendi. — 3° *Confiteatur fideliter,* ideoque non satisfit per confessionem invalidam, et tanto minus per sacrilegam ; et propositio : *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae,* damnata fuit ab Alexandro VII, n. 14. — 4° *Saltem semel in anno.* Annum vero alii computant ab initio januarii ad finem decembris ; alii ab una ad aliam confessionem ; communiter autem computant ab uno Paschate ad aliud Pascha ; mos enim invaluit confitendi tempore paschali, quia tunc Communio suscipienda est. Attamen mos iste obligatorius non est ; unde ad satisfaciendum huic praecepto sufficit, juxta Concilium Later. et Trid, semel in anno confiteri. Sed quidquid sit de quaestione temporis, certum est quod si quis in anno jam confessus sit, si tempore paschali conscius sit de aliquo peccato gravi, iterum confiteri tenetur, ut ad paschalem Communionem accedere possit. — 5° *Proprio sacerdoti ;* proprius autem sacerdos est Parochus, vel quivis sacerdos qui absolvendi a peccatis facultatem habet [2].

508.— *Q.* 1° Tenetur ne quis aliquando confiteri ante finem anni ; 2° et si in anno confessus non sit, tenetur ne confiteri quam primum ?

R. Ad 1um. Si quis graviter peccavit, et praevidet sibi in posterum non fore commoditatem confitendi ante finem anni, tenetur praevenire et confiteri priusquam commoditas desit ; ratio, quia tunc jam obligationem contraxit confitendi illo anno.

Ad 2um. Si quis praecepto annuae confessionis quacumque de

[1] Usus, qui aliquibus locis invaluit, non absolvendi pueros nisi quando suscipere debeant primam Communionem, perniciosissimus abusus dicendus est. Et parentes et etiam ipsi Parochi qui sciunt vel dubitant puerum jam capacem esse peccati, tamen sub praetextu quod habet sex vel septem annos, ejus confessionem negligunt, gravem rationem Deo redditurí sunt. Quot pueri sic per annos in statu peccati mortalis remanent !

S. Carolus autem docet quod optima est, et retinenda et inducenda consuetudo puerulos, etsi nondum perfecte ad annos discretionis accesserint, ante confessarium adducere, ut incipiant paullatim instrui, ac manu quasi ad cognitionem et usum hujus Sacramenti transferri. Continuator Tournely observat hac in re cum Navarro, Lugo et Sylvio, Parochum vel Confessarium, qui *simul plures* audiunt pueros doli capaces, aut de quibus dubium sit an dolo capaces sint, gravi sacrilegio reos esse : 1° quia Sacramento utuntur ad risum ; 2° quia pueros illos morali exponunt periculo peccata sociorum revelandi ; 3° quia canon *omnino* praecipit, ut *solus soli* confiteatur. Quod magis tenent de puellulis, quae, si doli capaces, nonnisi ad crates audiendae sunt.

[2] *D' Annibale,* III, 318 (1). — Si Episcopus juberet ne quis confessarius in Paschate poenitentes audiret sine licentia *curati,* talis decreti nulla ratio esset habenda. S. C. Episc.

causa non satisfecit, tenetur satisfacere quam primum ; quia terminus non fuit appositus ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam [1].

509. — *Q.* Qui anno elapso confessus non sit, per confessionem factam anno sequenti satisfacit ne praecepto utriusque anni ?

R. Si poenitens in confessione confitetur peccata mortalia tam elapsi quam praesentis anni, tunc verius satisfacit utriusque anni obligationi ; quia jam per illam unicam confessionem finem praecepti adimplet, qui est ejus reconciliatio cum Deo.

Si vero poenitens in praesenti anno mortaliter non peccavit, et peccata mortalia anni elapsi confitetur, tunc per illam confessionem tantum satisfacit praecepto anni praeteriti. Quare si post hanc confessionem in aliquod mortale inciderit, tenetur iterum ante finem anni confiteri, ut satisfaciat praecepto praesentis anni, prout communiter docent Th., quia illa confessio mortalium prioris anni non habet vim satisfaciendi praecepto anni posterioris.—Idem dic de eo qui in principio confessus sit sola venialia, et ante finem anni aliquod mortale commiserit [2].

510. — *Q.* Quaenam causae excusant a confessione annuali ?

R. A confessione annuali excusat : — 1° Impossibilitas physica, v. g. absentia omnis confessarii. — 2° Incommodum grave quod ab extrinseco prudenter timetur, et independenter ab ipsa Sacramenti institutione, v. g. notabile periculum vitae vel fortunarum, aut si adsit prudens timor violationis sigilli. — 3° Necessitas confitendi per interpretem ; Conc. enim Later. ait : « Omnis utriusque sexus fidelis omnia sua peccata *solus* confiteatur ». Porro illa vox *solus* obligationem excludit confitendi peccata coram alio, ac proinde per interpretem.

[1] S. Alph., L. VI, 668, 671.

[2] S. Alph., L. VI, 669. — Attamen usus universalis habet ut omnes, etiamsi nullum mortale admiserint, confessionem annuam instituant, intendentes huic legi parere... Ergo qui (ut vulgo fit) instituit confessionem tempore Paschatis cum intentione implendi hoc praeceptum, videtur satisfacere saltem per aliquam epikeiam, etiamsi tunc nihil nisi venialia accusanda habuit. (Vid. *Génicot*, II, 323).

PARS II.

DE IIS QUAE AD MINISTRUM SACRAMENTI POENITENTIAE SPECTANT.

Secunda haec pars quinque capitibus constat : 1. De ministro Sacramenti Poenitentiae et de ejus potestate ; 2. de reservatione ; 3. de ministri dotibus ; 4. de generali et speciali agendi ratione cum variis poenitentibus ; 5. de confessarii obligationibus post exceptam confessionem.

CAPUT I.

De ministro Sacramenti Poenitentiae et de ejus potestate.

ART. I.

De ministro ejusque ordinis potestate.

511. — *Q.* Quis est minister Sacramenti Poenitentiae ?

R. Minister Sacramenti Poenitentiae *est solus Sacerdos pollens jurisdictione in poenitentem ;* hinc duplex in eo requiritur potestas, *ordinis* nempe et *jurisdictionis* [1].

Quod autem soli Sacerdotes, etsi in peccato mortali, sint ministri Sacramenti Poenitentiae, est de fide contra Valdenses et Wiclephitas, qui potestatem absolvendi denegabant sacerdotibus malis, et tribuebant laicis probis, et contra Lutheranos, qui docent quemlibet fidelem hanc potestatem accepisse a Christo Domino.

En canon Tridentini : *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : Quaecumque ligaveritis super terram, etc.;... anath. sit* [2].

Et sane : minister alicujus Sacramenti ille est qui ut talis institutus fuit a Christo Domino. Sed Christus solis Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, dixit : *Accipite Sp. S., quorum re-*

[1] Potestas ordinis et potestas jurisdictionis in his potissimum differunt ad invicem : 1° Potestas ordinis est potestas *producendi* in hominibus, per modum *ministerii instrumentalis* a Christo assumpti, aliquem *effectum supernaturalem et sacramentalem* spectantem ad ordinem gratiae ; potestas jurisdictionis est potestas *dirigendi*, per modum *auctoritatis* a Christo communicatae, *actiones fidelium* in finem supernaturalem.—2° Illa proinde refertur *immediate ad fidelium sanctificationem*, et respicit sacramentorum confectionem et administrationem ; haec refertur *ad fidelium directionem* et respicit legum constitutionem aut sententiae prolationem. — 3° Prior causalitate continetur *in charismate supernaturali* collato *immediate a Deo* in sacra ordinatione; posterior vero in *superioritate* quae immediate quidem a Deo confertur Romano Pontifici, a quo postea per superiores hierarchicos in inferiores descendit. — 4° Potestas ordinis utpote characterem imprimens est *inamissibilis*, et in omnibus ejusdem ordinis *aequalis ;* potestas autem jurisdictionis est *amissibilis* et *inaequalis*. (Hurter, Theol. dogm. De Sacr. Poen., n. 631).

[2] Sess. XIV, c. X.

—

miseritis peccata remittuntur eis; ergo. — Quod autem Sacerdotes licet in peccato mortali possint esse ministri absolutionis ex hoc patet, quod efficacia Sacramenti non a probitate ministri, sed ex meritis Christi pendet; ergo [1]. (Vid. dicta num. 202 et seqq.).

Art. II.

De potestate jurisdictionis.

512. — *Q.* Quid est jurisdictio; et quaenam ejus necessitas?

R. Jurisdictio, a *jure dicendo* dicta, prout hic sumitur, definitur: *Potestas solvendi et ligandi in foro sacramentali* [2]. Requiri autem in ministro jurisdictionem, certum est et proximum fidei, ut constat sive ex verbis Trid. [3], sive ex propos. contraria damnata ab Alex. VII, sive ex sua natura, quia absolutio, quum sit sententia judiciaria, necessario ferri nequit nisi in subditum [4].

Jurisdictio est omnino necessaria ad *validam* absolutionem a mortalibus; hoc certum est. — An vero necessaria sit ad *validam* absolutionem a venialibus, senten-

[1] *Ob.* 1ª. Verba Christi: *Euntes docete... baptizantes...* solis Apostolis directa fuerunt. Atqui etiam laici baptizare possunt, ergo a pari.

R. Nego paritatem, quia Christus diversa ratione statuit quae spectant ad Sacramentorum administrationem; dum pro Baptismo omnes homines, pro Poenitentia vero solos Sacerdotes statuit ministros. Quod autem verba Christi hoc diverso sensu intelligenda sint patet ex perpetua et unanimi doctrina Ecclesiae Catholicae, S. Scripturae solius legitimae interpretis; ergo. — S. Th. vero rationem congruentiae affert hujus discriminis: Baptismus enim est magis sacramentum necessitatis, quam poenitentia quoad confessionem et absolutionem, quia in infantibus baptismus nunquam praetermitti potest sine periculo salutis aeternae; sed non est ita de confessione et absolutione quoad adultos, dum contritio perfecta locum Poenitentiae tenere potest. — S. Th. sup. q. 8, a. 1, ad 2.

Ob. 2ª. S. Jacobus ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra...* Ergo...

R. S. Jacobus vel loquitur tantum de confessione ex motivo pietatis et humilitatis facienda, sed quae sacramentalis non est; vel si de sacramentali loquitur, tunc per vocem *alterutrum* non quilibet intelligitur, sed solus Sacerdos, seu homo homini. Et hoc patet ex particula *ergo*, quae hunc versiculum connectit cum antecedenti in quo Apostolus Sacerdotes dixerat esse vocandos ad ungendos infirmos.

[2] Jurisdictio in genere est potestas publica circa aliorum regimen. Haec autem potestas in Ecclesia alia dicitur jurisdictio *fori externi*, quae directe ordinatur ad publicum societatis christianae regimen; alia vero dicitur jurisdictio *fori interni*, quae directe et immediate respicit utilitatem privatam cujuscumque fidelis, et distingui potest in jurisdictionem fori poenitentialis seu sacramentalis, et extra-poenitentialis, prout in Poenitentiae sacramento exercetur vel extra illud. — Cfr. *Génicot*, II, 324.

[3] « Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus haec confirmavit, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem ». — Trid. sess. XIV, c. 7.

[4] *Objectio.* — Sacerdotibus in ordinatione dictum fuit: *Quorum remiseritis peccata...;* ergo remittendi peccata potestatem habent vi ordinationis.

Resp. dist. cons. Habent potestatem incompletam, inchoatam, ligatam, *conc.*; completam ac perfectam, *nego.* Sacerdotes habent quidem veram potestatem ligandi et solvendi, sed illam exercere non possunt, nisi illis assignentur ab Ecclesia subditi in quos illam exercere possint, sicque completa fiat eorum potestas. Simile aliquid foret, si rex aliquibus potestatem judicandi tribueret, relinquens cancellario curam determinan-

tia probabilis affirmat [1]. Certum autem est quod est necessaria ad *licitam* eorum absolutionem, ut constat ex decreto Innoc. XI.

Jurisdictioni proxime cohaeret approbatio.

513. — *Q.* Quid est approbatio?

R. Approbatio, prout hic a nobis sumitur, est *judicium Episcopi aut Superioris ecclesiastici, a Trid. requisitum, de Sacerdotis idoneitate ad confessiones audiendas.* Hinc rigorose loquendo approbatio a jurisdictione distinguitur, quia una potest sine altera existere, et revera aliquando existit; unde qui sola fretus approbatione audit confessiones, nihil agit. — Hodie tamen approbatio et jurisdictio promiscue usurpari solent, quia plerumque uno eodemque actu simul ab Ordinario conferuntur, vel semel obtenta approbatione tribuitur jurisdictio.

514. — *Q.* Ad approbationem requiritur ne examen?

R. Ad approbationem non requiritur necessario examen, sed sufficit prudens Episcopi judicium de habilitate Sacerdotis. — Episcopus autem nequit repellere eos qui ad examen se offerunt, et peccaret si alicui injuste approbationem negaret, quia ipse non est dominus jurisdictionis spiritualis, sed tantum dispensator, non ad libitum, sed juxta christianae prudentiae leges. Nihilominus Sacerdos sine approbatione, licet injuste negata, confessiones audire nequit; et Alexander VII hanc damnavit propositionem : *Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.*

Ordinarius, ideoque et Vicarius Capitularis, ad examen revocare potest ex rationabili causa : 1° Omnes confessarios, et etiam Parochos ab Episcopo antecessore institutos; et Rota Romana decrevit sufficientem causam rationabilem esse libitum, et solam conscientiae quietem Episcopi; imo etiam Parochos a se ipso approbatos ad examen revocare potest, sed solum quando adsit vehemens suspicio de eorum imperitia [2], sive parochiam obtinuerint per concursum, sive praevio examine per nominationem. 2° Sacerdotes alterius dioecesis in sua dioecesi actualiter existentes, etsi transeuntes tantum, si confessiones excipere velint. 3° Etiam regulares, ut inferius dicetur [3].

515. — *Q.* Jurisdictio quomodo dividitur?

R. Jurisdictio in sacramento Poenitentiae necessaria alia est ordinaria, alia delegata. — *Ordinaria* est quae alicui competit ratione officii cui adnexa est cura animarum. — *Delegata* est quae alicui legitime confertur ab eo qui habet jurisdictionem ordinariam in foro externo.

Hoc autem discrimen intercedit inter jurisdictionem ordinariam et delegatam, quod qui ordinaria gaudet, potest suos subditos ab-

di subditos in quos illa judicialis potestas a se concessa exerceretur. (S. Th. quodl. 12, q. 19, art. 30).

Nec dicendum potestatem in ordinatione acceptam esse proinde inutilem, ex eo quod non possit ad actum reduci. Etenim illa potestas non est inutilis quae est fundamentum essentiale jurisdictionis, sine qua jurisdictio conferri non potest: atqui sine Ordinis potestate jurisdictio nullo modo concedi vel exerceri potest: Ergo.

[1] S. Alph., L. VI, 543.

[2] *D'Annibale*, III, 319 (13).

[3] S. Alph. Hom., Ap., T. XVI, 74, 75. Vid. *Génicot*, II, 326.

solvere etiam extra suam dioecesim, quia ejus potestas personam potius quam locum afficit; e contra, qui delegatam tantum habet, ea uti nequit extra dioecesim eam concedentis.

§ 1°

De jurisdictione ordinaria.

516. — *Q.* Quinam gaudent jurisdictione ordinaria?

R. Jurisdictione ordinaria gaudent:—1° Papa pro tota Ecclesia in utroque foro; hanc participant ratione officii sui Major Poenitentiarius, et Legatus a Latere.—2° Archiepiscopus erga subditos suos et suorum Episcoporum, sed quoad istos tunc tantum quando actu eorum dioeceses visitat.—3° Episcopus (modo sit electus et confirmatus, etsi nondum consecratus) pro sua dioecesi, pariter in utroque foro; hanc participant Vicarii generales. qui unam personam moralem efficiunt cum Episcopo. Ad Episcopalem jurisdictionem revocatur jurisdictio quae dicitur *quasi-episcopalis*, quam exercent Cardinales in Ecclesia sui tituli; Abbates in proprio territorio; et Generales Ordinum et Provinciales respectu religiosorum sibi subditorum. — 4° Omnes qui beneficium vel officium habent, cui adnexa sit actualis cura animarum, proindeque obligationem habent audiendi confessiones; sed haec jurisdictio est tantum pro foro interno [1].—Unde certe hac jurisdictione gaudet Parochus etiam amovibilis, sed cum dependentia Episcopo debita. Jurisdictio parochi, etiam Vicarii Foranei, per se extenditur tantum ad suos Parochianos; unde Parochus absolvere nequit fideles alterius parochiae etiam in propria dioecesi, nisi habeat jurisdictionem vel delegatam, vel ex consuetudine, uti est in aliquibus dioecesibus.—*Item* Praelati Ordinum religiosorum vi officii sui jurisdictione gaudent quoad suos subditos, sive professos sive novitios, sive familiares, idque quamvis casu extra monasterium degerent [2].

Disput. vero utrum hac jurisdictione gaudeat Canonicus Poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis, qui est quasi Parochus totius dioecesis, et proinde ex officio suo (non vero ex delegatione Episcopi) confessiones dioecesanorum tam intra quam extra dioecesim valide excipit [3].

517. — *Q.* Quot modis poenitens potest fieri subditus habenti jurisdictionem ordinariam?

R. Poenitens potest fieri subditus habenti jurisdictionem ordinariam triplici modo:

1. Ratione *domicilii*, vel *quasi domicilii*, nempe cum quis inter limites dioecesis vel parochiae intendit habitare in perpetuum, vel per majorem anni partem.

2. Ratione *privilegii status*. Sic omnes qui sunt de familia Cardinalium reputantur eorum subditi; et subjiciuntur ordinariae eorum jurisdictioni. Sic novitii et ipsi famuli regularium, etsi saeculares sint, modo sint veluti de familia, etiam sine Episcopi approbatione, a confessariis regularibus absolvi possunt.

[1] Qui habet jurisdictionem delegatam, vel ordinariam pro foro tantum interno, non potest eam alteri subdelegare, nisi hoc sit ipsi commissum ab Ordinario, et tunc nomine ipsius delegantis jurisdictio subdelegari censetur.

[2] *Scavini*, III, 540; *Lehmkuhl*, II, 375.

[3] *D' Annibale*, III, 318.

3. Ratione *legitimae consuetudinis*. Sic consuetudine universali introductum est ut *peregrini* seu qui in alienam dioecesim pergunt, licet sine animo contrahendi domicilium vel quasi domicilium, a quolibet confessario ibi approbato absolvi possint: quae consuetudo hodie vim legis universalis obtinet, excepto casu quo in alienam dioecesim quis pergat in fraudem reservationis, quia Episcopus in hoc casu non videtur consentire ut confessarius absolvat poenitentem non sibi subditum. Sic consuetudine acceptum est ut *vagi* qui nullibi domicilium habent, subditi sint parochi loci in quo versantur.

518.—*Q.* Quandonam cessat jurisdictio ordinaria?

R. Praemitto: jurisdictio, sive ordinaria sive delegata, si confessio jam incoepta fuit, non cessat nisi post datam absolutionem, quia ex regula juris *ubi semel coeptum est judicium, ibi et finiri debet*. Hoc posito:

Jurisdictio ordinaria cessat: 1° Per *cessationem*, aut *amissionem officii*; v. g. per mortem, dimissionem, destitutionem, translationem. Parochus vero de una in aliam parochiam translatus, non amittit jurisdictionem in primam parochiam, usquedum novus titularis in ejus possessionem venerit. Ita ex jure communi.— 2° Per *excommunicationem publicam*, et nominatim denuntiatam; item per *suspensionem* a jurisdictione, vel ab omni officio; secus si suspensio sit ab Ordine tantum [1].

—

[1] *Marc*, 1750.

§ 2.°

De jurisdictione delegata.

519. — *Q.* Quotnam modis acquiritur jurisdictio delegata?

R. Jurisdictio delegata acquiri potest directe vel indirecte.

1. *Directe* delegatur jurisdictio quando alicui potestas committitur absolvendi poenitentes: quod fieri potest 1° *ab homine*, quando scilicet aliquis potestate ordinaria pollens verbo vel scripto jurisdictionem sacerdoti committit; 2° *a jure*, quando per legem vel Constitutionem R. Pontificiis conceditur certis personis absolvendi facultas; 3° *a consuetudine*, quando ex usu habetur indicium consensus Episcopi a quo jurisdictio haberi debeat.

2. *Indirecte* vero habetur jurisdictio delegata, quando poenitenti conceditur facultas eligendi sibi confessarium, quia electione facta, censetur jurisdictio collata confessario. — Porro hoc privilegio confessarium sibi eligendi gaudent: 1° *Ex jure communi Cardinales*, qui possunt sibi quemcumque ex approbatis eligere, et ab eo ubique absolvi; *Episcopi* qui possunt sibi in confessarium eligere, etiam extra suam diocesim quemlibet sacerdotem suum subditum, eumque ubique secum ducere; at, si sacerdos non est eorum subditus, extra diocesim eligere nequeunt nisi unum ex approbatis. Imo *Romae* Cardinales et Episcopi possunt sibi totique familiae eligere quemlibet sacerdotem idoneum, atque eum etiam extra Urbem ducere, et pro confessario retinere.[2] — 2° *Ex consuetudine*, Reges et Princi-

[2] *Lehmkuhl*, II, 380.

pes gaudentes supremo dominio; item Domestici Romani Pontificis. — 3° *Ex concessione speciali* Summi Pontificis, v. g. tempore Jubilaei, omnes saeculares ac regulares possunt sibi eligere confessarium quemcumque approbatum ab Ordinario loci; et moniales tunc pariter sibi eligere possunt confessarium ex approbatis ad confessiones monialium in illo loco, quamvis pro aliis monasteriis [1].

520. — *Q.* Jurisdictio a quonam Ordinario obtineri debet?

R. Jurisdictio, vel, ut alii dicunt, approbatio, obtineri debet non ab Ordinario Sacerdotis, vel poenitentis, sed ab Ordinario *loci* in quo excipitur confessio, quod hodie indubium est; et Ordinarius ipsam etiam per alium, qui tamen sit clericus, tribuere potest, cum sit actus non ordinis, sed jurisdictioni [2]. — Vicarius generalis potest alios delegare ad confessiones audiendas, etiam invito Episcopo; quia jurisdictionem non habet ad Episcopo sed a jure canonico, quo declaratur ipsum quid unum facere cum Episcopo. Ita sententia communior et verior [3].

251. — *Q.* Quinam consensus Ordinarii requiritur ad jurisdictionem?

R. Ad jurisdictionem habendam requiritur Ordinarii consensus *actualis* signis externis patefactus, vel saltem *praesumptus de praesenti*, dummodo ex circumstantiis certe adesse colligatur: uti si Episcopus missionarium vocaret ad missionem dandam in aliqua parochia, eo ipso approbatum habet ad confessiones illic excipiendas. — E contra non sufficit consensus Episcopi internus, nec praesumptus de futuro, nec ratihabitio, nempe si Episcopus sciret, utique consentiret [4]; haec enim voluntas interpretativa non sufficit ad conferendam pro tempore praesenti jurisdictionem [5].

Imo Sacerdos illicite inciperet confessiones audire antequam consensum Episcopi, per litteras aut per nuntium petitum, receperit, etsi consensus certe obtinendus videatur, quia Sacramentum exponeret periculo nullitatis. Episcopus enim posset facultatem negare, vel litteras, aut nuntium non accipere; valide tamen absolve-

[1] *Marc*, 1751.
[2] S. Alph., L. VI, 548.
[3] *D' Annibale*, III, 318; S. Alph., L. VI, 558.
[4] S. Alph., L. VI., 570.
[5] Quoad missionarios ritus latini penes graecos catholicos degentes, Cl. Vericelli advertit ipsos non indigere licentia Episcopi Graeci catholici. « Satis est (inquit) si coram Episcopo graeco reverenter exhibeat suae missionis, seu sacerdotalis Ordinis litteras; nam hoc sufficit, ut possit uti concessa licentia celebrandi, et etiam confessiones audire. Probatur quia sacerdotes latini apud Episcopos graecos non debent esse pejoris conditionis ac sacerdotes graeci; sed sacerdos graecus peregrinus adveniens, ostensis suis sacerdotii litteris et obtenta ab Episcopo graeco licentia celebrandi, mox potest et celebrare et confessiones audire, quia apud graecos nullus sacerdos est, qui non possit confessiones audire, dum in ipsa ordinatione accipit facultatem celebrandi et jurisdictionem absolvendi: ergo idem pariter dicendum de sacerdote latino cui, hoc ipso quod Episcopus graecus dat facultatem celebrandi, censetur etiam dare facultatem audiendi confessiones. Imo si Episcopus graecus non curat videre dimissorias peregrinorum sacerdotum graecorum, sed sinit eos, nulla expressa data licentia, et celebrare et ministrare Poenitentiam, idem videtur dicendum de sacerdote latino Missionario. Debet autem Missionarius petere licentiam a Vicario Episcopi latini catholici, si ibi adsit ». De Apost. Missionib., t. XV, q. 223.

ret si reapse hanc facultatem jam obtinuerit. — Aliter res esset si Sacerdos sciat patentes confessionis renovatas esse, tunc valide et licite confessiones audit, etsi illas nondum acceperit [1].

522.—*Q.* Sacerdos potest ne absolvere navigantes in Oceano?

R. In novo Codice Juris Canonici haec statuta sunt:

§ 1. Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat, vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

§ 2. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellantibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis. **Can. 883.**

523. — *Q.* Curiones militum (*Cappellani*) possunt ne milites propriae cohortis ubique absolvere sine approbatione Episcopi loci?

R. — 1. Affirmative si specialiter sunt delegati a Summo Pontifice ad curam spiritualem militum, aut a Cappellano Majori a Papa approbato.

2. Si vero hac speciali delegatione carent, tunc distinguendum: Si milites sunt in itinere, vel in castris, possunt eos absolvere ex tacito consensu Episcopi, ut patet ex consuetudine universali. Si autem milites sunt in stationibus, vel in praesidiis, tunc non possunt sine approbatione Episcopi loci, quia nullam habent jurisdictionem (S. C. C. 29 jan. 1707) [2].

524. — *Q.* Episcopus potest ne sub poena invaliditatis prohibere, ne diocesani extra dioecesim pergant ad confitendum?

R. Disting.: Si pergant ad confitendum extra dioecesim apud confessarios regulares certe non potest, quia regulares privilegium habent audiendi confessiones omnium fidelium undequaque venientium.

Si vero pergant ad confitendum apud confessarios saeculares, et quidem *ex industria in fraudem reservationis*, olim prohibere poterat, sed nunc ex dispositione Codicis reservatio omni vi caret. **Can. 900.**

525. — *Q.* Episcopus potest

[1] Sacerdos si primitus delegatur ad confessiones excipiendas, oportet ut ei data vel missa sit pagella subscripta, et licet opus non sit ut ad ejus manus perveniat, necesse tamen est ut ipse notitiam certam suae delegationis habuerit; unde Jurisperiti dicunt quod exercitium jurisdictionis non potest conferri ignoranti, et quamdiu quis ignorat jurisdictionem se habere, non valet quod agit; Superior autem intendit quidem dare jurisdictionem, sed solum incipiendo a momento notitiae. — Si vero agatur de prorogatione (maxime consueta) jurisdictionis, tunc ad actuum validitatem exigitur quidem quod prorogatio data fuerit, sed non exigitur ut ejusdem notitia pervenerit, unde Canonistae dicunt quod ignorans habet exercitium jurisdictionis prorogatae. *Berardi*, Praxis, 1054, V.

[2] *D'Annibale*, III, 318, (3); *Gury*, II, 556.

ne jurisdictioni limitationes apponere ?

R. Episcopus jurisdictionem seu approbationem limitare potest quoad tempus, locum, personas et casus, sive Sacerdotibus saecularibus, sive regularibus. Hinc ab Alex. VII damnata fuit seq. prop.: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.*— Limitationes tamen, quae apponi solent in patentibus litteris, v. g. *de licentia parochi vel rectoris*, vel *nec ante solis ortum, nec post solis occasum*, etc., invalidam non reddunt absolutionem, quia non apponuntur tamquam conditiones, quibus non servatis, nulla sit absolutio, sed solum uti modi convenientes ad licite, vel rite administrandum hoc Sacramentum. — Aliud vero dicendum de his limitationibus *pro masculis tantum*, vel *ad annum*, etc., istae enim afficiunt substantiam, redduntque nullum Sacramentum, si non serventur.

526. — *Q.* Quandonam cessat jurisdictio *delegata* ?

R. Jurisdictio *delegata* cessat: 1° Per revocationem Superioris qui illam tribuit, nam per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur.— 2° Per lapsum temporis praefiniti. — 3° Per mortem delegantis, vel ejus cessationem ab officio, si delegatio fuit particularis, nempe data pro aliqua persona particulari. nec confessio adhuc sit incoepta. Si autem delegatio sit generalis, tunc distinguendum erit: Si delegatio fuit generaliter data, sed cum clausula *ad beneplacitum nostrum, vel ad arbitrium nostrum*, et similibus, tunc cessat per mortem concedentis, vel per renuntiationem, vel per translationem ad aliam sedem, quia ejus voluntas his tribus modis cessat. — Si vero data fuit generaliter absque ulla clausula, tunc sententia communis et praxis est eam non cessare per mortem delegantis, unde per mortem Episcopi, vel per ejus renuntiationem, vel translationem, simplices confessarii non indigent nova approbatione, et illorum facultas usque ad tempus ipsis determinatum perseverat [1].

[1] S. Alph., L. VI, 559.

§ 3.°

De jurisdictione per Ecclesiam suppleta.

527. — *Q.* Quibus in casibus Ecclesia jurisdictionem supplet ?

R. Praemitto: Ecclesia dicitur supplere jurisdictionem quando propter bonum commune extraordinarie in ipso actu illam suppeditat. Dicitur *extraordinarie*, quia tunc delegatio non fit juxta modum consuetum et regulas ordinarias, sed per accidens. Dicitur *in ipso actu*, quia facultas absolvendi ita sacerdoti conceditur, ut illa polleat non habitualiter, sed eo instanti tantum quo absolutionem impertit. Hoc posito.

In novo Codice Juris canonici sic scriptum est: In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno. **Can. 209.**

528. — *Q.* Quomodo Ecclesia jurisdictionem supplet in periculo mortis ?

R. Ecclesia semper custodivit, ut omnes sacerdotes absolvere possint a quibusvis peccatis et censuris quoslibet poenitentes in articulo, vel periculo mortis constitutos, *ne aliquis pereat.* — Dixi : 1° *omnes sacerdotes;* unde etiam sacerdotes haeretici, schismatici, et nominatim excommunicati alio deficiente. Dixi: 2° *in periculo mortis.* Ad hoc autem periculum constituendum sufficere videtur quod adsit prudens timor mortis ex illa circumstantia eventurae. Tale censetur adesse, v. g. in praelio, in procellosa navigatione, in difficili partu, in operatione chirurgica ardua et periculosa , in probabili periculo incidendi in amentiam etc.; sicque sub mortis articulo complectimur ipsum periculi dubium, in quo valet semper eadem ratio: *Ne hac occasione aliquis pereat.*

529. — *Q.* Simplex Sacerdos potest ne poenitentem in periculo mortis constitutum absolvere , si adsit approbatus ?

R. Disput. Th..*Prima* sententia negat, quia Rit. Rom. sic habet: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.* Ecclesia autem in tantum simplici Sacerdoti facultatem tribuit, in quantum adest extrema necessitas, *ne quis pereat*; quam ratio quum absit si adest approbatus , non censetur amplius facultatem tribuere — *Secunda* vero sententia , quam tenent plures gravesque Th.[1] valde probabiliter affirmat, auctoritate fulta Trid., quod ait: *Ne aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.* Trid. autem non distinguit si adsit Sacerdos approbatus, vel non; ergo nec nos distinguere debemus. — Verba autem Rit. Rom. *approbatusque desit confessarius*, videntur non esse intelligenda de necessitate sed tantum de quadam convenientia , nisi dicere velimus quod Rit. Rom. quaestionem dirimere voluit, quod certe dici nequit.[2]

Ceterum, Th. communiter cum S. Alph. dicunt quod simplex Sacerdos, etiam praesente approbato, bene potest absolvere poenitentem in periculo mortis in sequentibus casibus: 1° si approbatus nollet , vel non posset confessionem audire, quia tunc idem est ac si deesset; 2° si approbatus sit nominatim excommunicatus, vel suspensus, quia tunc praeferendus est simplex Sacerdos; 3° si approbatus esset alienae dioecesis, quia iste respectu infirmi minime est approbatus; 4° si moribundus ita horreret confiteri approbato, ut esset in periculo sacrilege confitendus; 5° si approbatus superveniat jam incoepta confessione, tunc enim licet et inchoatam perficere et invalidam iterare; at semel valide absolutus probabilius nequit inculpabiliter

[1] *D'Annibale,* I, 188 (53); *Bucceroni,* II, 773.

[2] Huic sententiae favet responsum Cong. S. Off. (29 jul. 1891): « Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus ». Vix enim in praxi discrimen erit inter eum qui adest, et eum qui facile adesse potuit. — *Génicot,* II, 332.

omissa illi confiteri quippe novum judicium est; 6° tandem si approbatus esset complex infirmi in peccato turpi[1].

530. — *Q.* Ecclesia supplet ne jurisdictionem si adest error communis cum, vel sine titulo colorato ?

R. Praemitto: 1° Error dicitur *communis*, quando omnes, vel fere omnes, in loco ubi excipitur confessio, credunt talem sacerdotem habere jurisdictionem: dicitur vero *privatus*, si error est unius, vel paucorum. — 2° Titulus, nempe causa ex qua jurisdictio promanat, e. g. approbatio, officium curatum (vid. v. I, n. 810), alius est *verus* cui nempe nihil deest, ut jus de quo agitur transferre possit; alius *coloratus*, cui scilicet specie tenus nihil deesse videtur, sed revera occulto vitio laborat, ideoque nihil transfert: alius demum *putativus* seu *existimatus*, qui falso creditur subesse. Itaque si quis ab Ordinario Paroeciam rite obtinuit, *verus*; si simoniace, *coloratus*; si nullimode obtinuit, sed aliis falso persuasit sibi collatam fuisse, *putativus* titulus erit. Dixi ab *Ordinario*, quia titulus ab eo debet proficisci, qui jure poterat hanc decernere potestatem[2]. Hisce praemissis:

1. Ecclesia certo jurisdictionem supplet, si adest error communis cum titulo colorato, quia hoc expostulat bonum commune, ut conveniunt Th.; nec interest quod confessarius cognoscat se jurisdictione carere.

2. An vero Ecclesia jurisdictionem suppleat, si adsit solus error communis sine titulo colorato, sed cum titulo tantum existimato, disput. Th.. Sententia ex S. Alph. communis negat[3]; sed sententia probabilior et verior affirmat[4], quia urget eadem ratio ac in casu quo adest titulus coloratus, nempe ratio boni communis. — Ceterum etiam S. Alph. sententiam affirmativam merito probabilem putat; unde, ait, probabiliter dicunt plures Th. non esse obligandos fideles ad repetendas confessiones bona fide factas apud Sacerdotem qui ex errore communi confessarius reputabatur[5].

3. Non censetur autem jurisdictionem supplere, si error sit privatus quia tunc deest ratio boni communis, nec Ecclesia ordini consueto derogare censetur ob bonum quorumdam tantum privatorum. Et hoc etsi quis titulum coloratum habeat, sed sine errore communi[6].

531. — *Q.* Ecclesia supplet

[1] S. Alph., L. VI, 562, 562; *D' Annibale*, III, 320.

[2] *D'Annibale*, I, 79 (72).

[3] S. Alph., L. VI, 572.

[4] *Gury*, II, 548; *D'Annibale*, I, 79 (74).

[5] Cl. *Scavini*, III, 481, ad tuendam sententiam negativam, declarationem refert qua S. C. C., 11 dec. 1693, invalidas declaravit confessiones exceptas a quibusdam Capuccinis in Dioecesi Patavina sine licentia Episcopi. Sed res non est certa an illo particulari casu adfuerit error *communis*, vel tantum *privatus*, secus lis inter Th. finita esset. Quum autem multi Th. ex recentioribus uti Gury, D' Annibale, Marc, Génicot, et alii dicant errorem communem etiam sine titulo colorato probabilius sufficere, videtur quod casus ille non sit ad rem.—Nihil autem pertinet ad *valorem* absolutionis, quae detur cum errore communi, utrum sacerdos defectum jurisdictionis suae noverit aut ignoraverit. Graviter tamen peccaret qui sciens volens Ecclesiam ad supplendum cogeret, quia potestatem qua caret usurparet.—Cf. *Génicot*, II, 331.

[6] Quae receptissima sententia est. *D'Annibale*, I, 79.

ne jurisdictionem quando haec est probabilis, vel dubia tantum?

R. Praemittio: 1° Jurisdictio *probabilis* dicitur, quae communi usu ad totam probabilitatem *juris* restringitur; *dubia* vero vocatur, cujus incertitudo in aliquo *facto* vel dubio, vel probabili nititur; v. g. si quis dubitet an jurisdictio ei data fuerit, vel an cessaverit. 2° Aliud est Ecclesiam supplere jurisdictionem, et aliud licitum esse uti jurisdictione dubia. Hoc posito:

1. Si jurisdictio est *probabilis* (probabilitate *juris*), sententia moraliter certa affirmat Ecclesiam supplere jurisdictionem; ratio, quia alioquin confessarii saepe forent anxii circa veritatem suae jurisdictionis, et fideles circa validitatem suarum confessionum; et quia sic censent communius Th., nec contradicit Ecclesia.--Quidam tamen cum S. Alph.[1], quanquam teneant validam esse absolutionem, dicunt *non licere* absolvere, nisi adsit causa rationabilis, quia non est praesumendum Ecclesiam velle favere nimiae confessarii libertati.

2. Si vero jurisdictio est *dubia* tantum (dubio *facti*), nec sacerdos dubium purificare potest, tunc an Ecclesia jurisdictionem suppleat, disput. Th.. At sententia communior et verior negat Ecclesiam jurisdictionem supplere, excepto casu *necessitatis*, v. g. si poenitens diu non est confessus, vel debet communicare, vel celebrare ad infamiam vitandam, vel urget praeceptum annuae confessionis; in hoc enim casu necessitatis, si desit alius confessarius licet uti jurisdictione dubia. Sed absolutio dari debet sub conditione *si possum*, et admonito poenitente (si mortalia confessus sit) quod tantum sub conditione absolutum est, ut si forte notum fiat confessarium revera carere jurisdictione, poenitens iterum confiteatur[2].

§ 4°

De jurisdictione Regularium.

532. — *Q.* Regulares a quonam jurisdictionem accipiunt quoad religiosos?

R.—**1.** Regulares cum votis solemnibus, vel qui exemptionis privilegio gaudent, jurisdictionem delegatam a Sede Apostolica per proprios praelatos habent ad excipiendas confessiones *suorum religiosorum*. Unde pro horum confessione, vel novitiorum, vel familiarium saecularium, modo sint veluti de familia, vel etiam alumnorum convictorum, ut probabilius dicunt plures Th., non indigent approbatione Episcopi, sed propri Generalis, vel Provincialis[3]. Dixi: *modo sint veluti de familia*, secus enim si familiares interdiu tantum in monasterio remaneant, et noctu alibi degant, ut sunt operarii, mercenarii quotidiani, ruricolae, etc.[4]

2. Regulares in proprio monasterio nemini alteri confiteri possunt quam designato ab ipso Superiore, qui quemvis sacerdotem, etiam alterius Ordinis aut saecu-

[1] S. Alph., L. VI, 573.

[2] *Lehmkuhl*, II, 388. — Hoc utique per se semper faciendum est, nisi forte gravis ratio sit timendi ne monitio potius in ruinam spiritualem poenitentis tendat. *Lehmkuhl*, II, 390; *D' Annibale*, III, 321.

[3] *Gury*, II, 174 (*a*); *De Varceno*, De poenit., cap. VI.

[4] Vid. *Aertnys*, L. VI, 232.

larem et non approbatum, deputare potest.

Regulares tamen ex virtute privilegiorum, non possunt confessiones audire regularium alterius Ordinis ; nisi qui se confiteri velit licentiam a suis Praelatis habeat se aliis regularibus confitendi. Ita declaravit Clemens XIII in Constitutione *Romani Pontificis*[1].

3. Degentes autem extra monasterium, seu iter facientes, non possunt confiteri nisi socio, si quem *idoneum*[2] habeant ; quem si non habent, confiteri possunt cuilibet Sacerdoti, sive regulari sive saeculari etiam ab Episcopo non approbato dummodo idoneus sit, ut communius dicunt Th.[3].

533. — *Q.* Regulares a quonam jurisdictionem accipiunt quoad saeculares ?

R. Regulares quoad confessiones *saecularium*, seu externorum, probabilius jurisdictionem accipiunt a S. Pontifice mediis suis superioribus, qui eam ipsis communicant potestate propria, uti Episcopi in sua dioecesi, sed tamquam delegati a S. Pont. : egent tamen ad *validitatem* absolutionis , approbatione Ordinarii loci ubi confessiones excipiunt.

Insuper Regulares possunt cum approbatione etiam *jurisdictionem* accipere ab Episcopo loci, eaque fere semper Episcoporum intentio est, cum Regulares approbant. Ita Th. communiter[4].

Hic autem sedulo haec notanda sunt : 1° Regularis ab Episcopo *simpliciter approbatus,* invito superiore suo, *invalide* absolvit ; *valide* e contra, quamvis illicite, qui et *jurisdictionem* ab Episcopo accepit[5]. 2° Jurisdictio semel *illimitate* concessa, non expirat ex eo quod delegatus domicilium mutavit ; unde, si iterum in dioecesim revertitur, aut per eam casu transit, nulla est ratio cur non possit poenitentes absolvere[6].

Episcopus autem si approbationem pro confessione saecularium concessit *omnibus regularibus* ejusdem communitatis, nequit ipsam

[1] Fratres Capuccini extra coenobium non habentes copiam Confessarii proprii Ordinis, ex Bulla Bened. XIV poterant eligere Regularem approbatum tantum a Praelato Ordinis, licet non approbatum ab Episcopo illius loci. Sed Pius Papa IX praedictam dispositionem Bened. XIV modificavit, et Fratribus Capuccinis, sive sacerdotibus, sive laicis, in quocumque loco ex legitima causa degentibus, si ibi non sit coenobium et hospitium, et copiam unius sacerdotis confratris tantum habeant, concessit facultatem confitendi, sive apud Sacerdotem saecularem ab Ordinario approbatum, sive apud Sacerdotem regularem approbatum a Superiore Ordinis, ad quem ille pertinet.

[2] Idoneus est socius si nec excommunicatus, suspensus, irregularis sit, nec sufficienti careat scientia. *Bucceroni*, II, 790.

[3] Hinc, quoad suos, religiosorum *Praesules ordinaria* jurisdictione pollent, quoad ceteros, *delegata.*

[4] *D' Annibale*, III, 319 (13) ; *Gury*, II, 557 ; *Lehmkuhl*, II. 369, etc.

[5] Postulatum fuit : Utrum religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore vel ipso invito , cum sola facultate Ordinarii valide excipiat confessiones saecularium ? S. C. Episc. et Reg. 2 mart. 1866 respondit : *Affirmative.*

Imo ex eadem S. C. talis religiosus *valide* absolvit quamvis suspensus a suo Superiore ab audiendis confessionibus saecularium.

In hisce tamen casibus non posset religiosus uti privilegiis quibus religiosi gaudent, v. g. absolvendi a quibusdam censuris, si haec ab ipso Superiore regulari accipiantur, cum Superior in hypotesi nullam subdito facultatem tribuerit.

[6] *Gury*, II, 561 ; *Lehmkuhl*, II, 381.

generaliter revocare inconsulta S. C. Episc. et Regul. Ita ex Bulla *Superna*. Excipe si agatur de regionibus ab urbe valde dissitis, et gravissima subsit causa; super quod S. Congr. conscientias Episcoporum graviter voluit oneratas.

Si vero approbationem concessit *alicui regulari* in particulari, tunc potest eam quandocumque revocare, si approbatio concessa fuit ad beneplacitum, vel a praedecessore, et ad tempus determinatum. — Quod si concessa fuit, praevio examine, sine ulla temporis limitatione, tunc disput. Th. an facultas adimi possit, et plures negant, nisi justa adsit causa, et causa non censetur justa nisi pertineat ad ipsas confessiones sacramentales [1*].

[1] Regulares nequeunt ad examen revocari, et si forte non idonei reperti fuerint reprobari tantum possunt ab Episcopo (S. C. Ep. et Reg., 19 jun 1806).

[*] Casus. — *Jurisdictio et approbatio delegata.* — 1° Theophilus, Missionarius regularis, Lugduni degens, ibique ab Episcopo approbatus, mutata residentia et dioecesi, post varios annos iterum Lugdunum redit. Statim ac advenit, ad eum confluunt antiqui poenitentes. Ipse vero illico operi se accingit, non cogitans de nova approbatione, neque a Superiore domus, neque ab Ordinario obtinenda.

2° Norbertus, Sacerdos regularis, cum plures annos Tolosae, approbante Archiepiscopo, saluti animarum impensus fuisset, ad aliam domum Ordinis inde valde dissitam a superioribus mittitur. Anno autem sequenti, transiens per dioecesim Tolosanam, ut ad aliquam Missionem remotiorem se conferret, confessiones plures absque nova approbatione excipit.

3° Tiburtius, pariter Regularis, vocatur ab Episcopo alterius dioecesis ad concionandum tempore quadragesimali, et ideo ab eo approbatur. Postea autem pluries per eamdem dioecesim transiens, confessiones excipit, quin novam approbationem obtineat. Hinc:

Quaer. 1° *An religiosus mutans domicilium, eo ipso amittat approbationem ab Episcopo acceptam, si fuerit simpliciter absque limite temporis approbatus, ita ut nova approbatione indigeat, si illuc revertatur?*

2° *An vero religiosus nova indigeat approbatione, si non redeat ad ibidem denuo commorandum, sed per eamdem dioecesim transeat, atque ad audiendas confessiones per transitum casu requiratur?*

3° *Quid vero, si approbatus fuerit pro casu particulari?*

4° *An valide absolverint praedicti Missionarii?*

Solutio:

R. ad 1um *Quaes. Negat.* Ratio est, quia qui approbatur *indefinite* et *illimitate* remanet approbatus usque ad expressam, vel implicitam approbationis revocationem.

R. ad 2um *Quaes.* Negandum etiam videtur, ex rigore principiorum. — Ratio est, quia *indefinite* et *illimitate* approbatus, remanet approbatus usquedum approbatio non revocetur, ut patet ex *Bulla* Superna *Clementis X*, apud *Lacroix*, n. 1502. Atqui in casu approbatio non fuit revocata, ut supponitur; siquidem non revocatur, nisi religioso revocatio manifestetur. Ergo.....

R. ad 3um *Quaes.* Si Regularis pro casu particulari fuerit approbatus, ad hunc casum restringenda est jurisdictio. Sic v. g. missionarius advocatur et approbatur ab Episcopo alterius dioecesis, ut sacram missionem alicubi peragat; approbatio cum ipsa missione cessat, ita ut, si postea per hanc dioecesim transeat, et ad audiendas confessiones requiratur, nova indigeat approbatione.

R. ad 4um *Quaes.* 1° Theophilus valide quidem absolvit ex prima delegatione, quae fuit illimitata, non vero revocata; sed, ratione recti ordinis et obedientiae, veniam prius a Superiore suo postulare debuisset.

2° Norbertus videtur valide absolvisse, ob eamdem rationem; approbatio enim olim ipsi concessa non censetur revocata.

3° Tiburtius graviter erravit, et invalide Sacramentum Poenitentiae contulit, quia pro casu omnino particulari approbatus est. — *Gury*, Casus Consc. de Jurisd., c. XII.

§ 5°

De Confessore Monialium.

534.—*Q.* Confessores monialium quanam approbatione indigent?

R. Praemitto : Moniales aliae habent clausuram, et quidem papalem, et aliae non habent clausuram, vel saltem non habent papalem. Hoc posito :

1. Quoad moniales sine clausura, vel saltem sine clausura papali, ex jure canonico non requiritur *specialis* approbatio Ordinarii ad audiendas earum confessiones, sed sufficit approbatio Episcopi ad audiendas confessiones fidelium [1]. Episcopus tamen potest sibi reservare specialem approbationem pro quibuslibet mulierum congregationibus, e d u c a t o r i i s ; quod si fecerit ejus statuta servanda sunt.

2. Quoad moniales vero proprie dictas, seu quae habent clausuram et quidem papalem, distinguendum est : si istae cum debita licentia extra monasterium etiam ad breve tempus versentur, tunc confessarii non indigent *speciali* approbatione ad earum confessiones audiendas ; unde quilibet confessarius ab Episcopo approbatus, etsi non approbatus pro monialibus, potest has moniales absolvere, quae *per accidens* ad se veniant [2]. Si vero intra clausuram degunt, tunc ut earum confessarii *ordinarii* ipsarum confessionem excipiant, indigent speciali approbatione Episcopi loci, licet moniales sint exemptae et subjectae regularibus. Quae quidem approbatio etiam confessariis regularibus necessaria erit, licet ipsi fuerint approbati pro audiendis saecularium confessionibus, vel pro audiendis confessionibus monialium alterius monasterii. — Confessarii monialium ad triennium deputari possunt [3], quo elapso, nequeunt amplius audire confessiones absque licentia S. Cong., alias suspensi remanent ab audiendis confessionibus. Confessarii vero *extraordinarii* toties approba-

[1] In Dioecesi N. Galliae, in multis parochiis adsunt duae, vel tres et vix quatuor recentiorum Congregationum Sorores, puellarum educationi inservientes. Porro illae Sorores, communiter sed extra clausuram degentes, non habent sacellum privatum, sed ecclesiam parochialem, sicut ceteri, frequentant, ibidem Missae et ceteris Officiis assistentes, sacramenta tum Poenitentiae, tum Eucharistiae recipientes ; illae insuper Sorores saepius de una parochia in aliam transeunt secundum Superiorissae generalis voluntatem. Porro, num in hisce circumstantiis applicanda sit juris dispositio circa triennalem confessariorum mutationem, praesertim, cum in hisce paroeciis unicus tantum adsit praesbyter, nempe parochus ?

R. Sorores, de quibus agitur, posse peragere extra piam propriam domum sacramentalem confessionem penes quemcumque confessarium ab Ordinario approbatum. (S. C. EE. et RR.) *Bucceroni*, Enchiridion, 569.

[2] « Aliquando Moniales, aut ratione sanitatis, aut alia causa obtinent veniam egrediendi ad breve tempus ex earum monasterio, *retento habitu ;* quaeritur : an in tali casu possint exomologesim suam facere apud confessarios approbatos *pro utroque sexu*, quamvis non approbatos *pro Monialibus* ». — *R.* Affirmative, durante mora extra Monasterium. — S. C. EE. et RR. 27 aug. 1852.

[3] Cum aliquando peculiaribus rerum adjunctis evenire possit, ut confirmatio (confessoris monialium) ad aliud triennium non solum utilis, sed necessaria sit ; hinc S. C. EE. et RR. audito Ordinario, et Sanctimonialibus capitulariter per secreta suffragia, in casibus particularibus confirmationem indulget ad secundum triennium ac etiam ad ter-

tione indigent, quoties ad audiendas earumdem monialium confessiones deputantur.

Ex Bulla autem Benedicti XIV, Episcopi, vel Praelati monialium regulares tenentur bis, vel ter, et etiam quater in anno assignare extraordinarium ex approbatis ab Episcopo ad confessiones monialium, qui saltem semel in anno sit saecularis, vel alterius Ordinis; et eo tempore ordinarius nullius, neque abbatissae, neque novitiarum confessiones audiat. Sed moniales non tenentur singulae extraordinario confiteri, tenentur tamen ei se sistere ad audienda monita salutaria. Quod si monialis nolit se praesentare, puniatur a Superiorissa, et educanda, si nolit, ejiciatur. Item in eadem Bulla Bened. XIV statuit quod in periculo mortis cuilibet moniali postulanti concedatur ab Episcopo confessarius particularis; et etiam in vita, si aliqua monialis confessario ordinario confiteri renuat, ei deputetur alius pro certis vicibus. Hortatur tamen S. Pontifex Episcopos ne sint difficiles ad concedendum extraordinarium confessarium si peculiaris monialis aliquando ipsum petit[1]. Idem confirmatum et ampliatum fuit a Leone Pp. XIII.

(V. Decr. *Quemadmodum*, p. 33).

tium triennium, ea tamen conditione, ut pro confirmatione ad secundum triennium consensus vel duarum ex tribus partibus monialium concurrat; et pro confirmatione ad tertium triennium omnium consensus accedat. Ordinarius vero de probitate vitae et prudentia confessoris referre debet, et S. C. certiorem facere de necessitate, vel saltem utilitate confirmationis. V. *Bizzarri*, Collect. Ed. 1885, pag. 13.

CAPUT II.

De reservatione; de absolutione a reservatis; et de vetita absolutione complicis.

ART. I.

De reservatione.

535. — *Q.* Quid est reservatio et quomodo dividitur?

R. Reservatio communiter definitur: *Restrictio, seu limitatio jurisdictionis inferiori sacerdoti ad absolvendum concessae.*

Dividitur: 1° in reservationem *ratione censurae*, et reservationem *ratione sui* seu *peccati*: prima afficit directe poenitentem, secunda confessarium.

Dividitur: 2° in reservationem *Papalem*, *Episcopalem* et *Regularem* prout casus sunt reservati Papae, Episcopo, vel Superioribus regularium.

De reservatione ratione censurae, v. dicta vol. I, n. 281 et seqq. Nunc tantum de reservatione *ratione sui*.

536. — *Q.* Ecclesia habet ne potestatem casus reservandi?

R. Ecclesia potestatem habet casus reservandi;[2] et Trid. de fide definivit: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi*

[1] S. Alph. ajebat: « Quoties aliqua monialis confessarium extraordinarium postulat, toties ipsi concedendus est; nam eo ipso quod extraordinarium quaerit clare significat confidentiam non habere cum ordinario, et si ipsa gravi culpa gravetur, et ei extraordinarium negetur innumera sacrilegia committere potest ». *Tannoia*, vita S. Alph., L. III, cap. 34.

[2] Hoc fusius probari solet a Dogmaticis. — Vid. *Marc*, n. 1767.

servatos ex jure communi, non ratione *sui*, sed ratione *censurae*, vide excommunicationes Ordinario reservatas. Vol. I, pag. 167.

540bis. — *Q.* Praelati regulares possunt ne casus reservare *ratione sui* ?

R. Affirmative, sed, ut declaravit Clemens VIII., non plures quam undecim, sine consensu Capituli generalis pro tota religione, vel Capituli provincialis pro provincia.

ART. II.

De absolutione a reservatis.

541. — *Q.* Quinam a reservatis absolvere possunt ?

R. A reservatis absolvere possunt: ipse reservans; — ejus superior; — vel successor; — delegatus [2].

NOTA: Hic agitur tantum de absolutione a reservatis *ratione sui* ?

542. — *Q.* Quibus in casibus quaevis reservatio omni vi caret ?

R. Quaevis reservatio omni vi caret :

1.° Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domi egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa ;

2.° Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis ;

3.° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit. **Can. 900.**

544. — *Q.* Simplex confessarius potestne absolvere poenitentem a reservatis ab Episcopo ?

R. — 1. Si poenitens est *in articulo; vel periculo mortis*, tunc quivis confessarius, etiam praesente Superiore, absolvere potest, quia in articulo, vel periculo mortis omnis reservatio cessat ; et in hoc casu si infirmus convaluerit, nulli se esistere tenetur, quia a reservatione fuit directe absolutus.

2. Si vero poenitens est *extra periculum mortis*, nec adest gravis causa eum absolvendi, simplex confessarius eum absolvere nequit. Quare si confessarius imprudenter absolverit, vel si poenitens reservata inculpabiliter omiserit, absolutio per se quoad reservata nullius momenti est. — Quod si adsit *gravis causa* eum absolvendi, v. g. ut vitetur scandalum, infamia, ut poenitens satisfaciat praecepto paschali, aut si alias diutius manere debeat in mortali' in his casibus ordinarie Episcopus concedit etiam simplici confessario facultatem hunc poenitentem absolvendi. — Quod si haec specialis facultas desit, tunc confessarius, in sententia communiori et probabiliori, potest ipsum directe absolvere a non reservatis, et indirecte a reservatis, cum onere tamen poenitenti imposito, ut, data opportunitate, Superiori, vel alteri facultatem habenti se sistat, ut directe absolvatur [3].

545. — *Q.* Simplex confessarius potest ne directe absolvere poenitentem, si iste nequeat Superiorem personaliter adire ?

R. Si impedimentum adeundi Episcopum est tantum *ad breve tempus*, simplex confessarius nequit poenitentem absolvere; et si adsi, necessitas illum absolvendi, potest illum directe absolvere a non reservatis, et *indirecte* tantum a reservatis, et ideo cum one-

re ut, cessante impedimento, poenitens se sistat superiori ad absolutionem *directam* ab eo accipiendam.

Si vero impedimentum est *ad longum tempus,* quod communiter censetur a sex mensibus ad quinquennium, tunc confessarius potest poenitentem *directe* a reservatis absolvere, cum onere tamen se sistendi Episcopo, non ut iterum ei confiteatur et iterum absolvatur, cum jam directe sit absolutus, sed ut mandatum ipsius recipiat, eique satisfaciat, prout justitia suadebit. — Quod si impedimentum est *perpetuum* (ultra quinquennium), tunc an confessarius possit poenitentem *directe* absolvere sine onere comparendi coram Superiore disput. Th.. S. Alph. cum aliis negat, sed alii affirmant[1].

Ceterum poenitens qui nequit Episcopum personaliter adire, probabilius non tenetur ipsum adire per epistolam, vel per procuratorem; nec tenetur adire alium confessarium qui speciali privilegio absolvendi a reservatis munitus sit nam Superiori ipsi et non aliis tenetur se praesentare.[2]

546. — *Q.* Ad quid tenetur poenitens habens reservatum, si desit confessarius qui facultatem habeat, et ipse sit in necessitate communicandi?

R.— 1. Si poenitens nullum aliud mortale habeat nisi reservatum, conveniunt Th. non teneri ad confessionem, sed sufficere ut conteratur. At si advertit se non habere contritionem, sed attritionem, tunc tenetur confiteri v e n i a l i a quae habet, vel mortale alias confessum, ut sic a reservato saltem indirecte absolvatur, et in statu gratiae communicet. Sic Th. probabilius; imo hoc poterit semper facere, etiamsi habeat contritionem ut securius accedat.

2. Si poenitens habeat s i m u l mortalia reservata et non reservata, tunc an teneatur ad confessionem disput. Th., sed communiter affirmant, quia ante communionem fieri debet confessio saltem formaliter integra, quando materialiter fieri nequit.

An vero in hac secunda communiori et probabiliori sententia; teneatur hic poenitens confiteri tam mortalia non reservata, quam reservata, sententia probabilior negat poenitentem teneri per se reservata confiteri primum inferiori, deinde Superiori, quia non tenetur peccata confiteri confessa-

[1] *Gury*, II, 575; *Bucceroni*, II, 800.— Censentur habere impedimentum perpetuum: 1. Filii-familias; 2. Regulares, etiamsi reservatio incursa sit ante ingressum in religionem; 3. Senes sexagenarii; 4. Servi; 5. Pauperes, nisi agatur de mendicis vagabundis; 6. Carceribus, vel triremibus perpetuo damnati, et similes; 7. Infirmi laborantes longa et gravi aegritudine licet non mortifera, puta quartana; 8. Cura obstricti alendi, vel administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod relinqui non possit sine publico detrimento; 9. Mulieres omnes excusantur a se praesentando, nec alia ratio assignatur, nisi quia foeminae sunt, sicut etiam moniales; 10. Impuberes, etiamsi post pubertatem absolutionem petant; 11. Collegialiter viventes, ut milites, seminaristae; 12. Denique quicumque Superiorem adire nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali sui, vel suorum. — S. Alph., L. VII, 88, 89.—Haec olim dicebantur de impeditis Romam adeundi, quo casu reservatio Episcopo devolvebatur; sed cum hodie alia sit dispositio juris quoad casus R. P. reservatos, haec, servatis servandis, applicari possunt ad reservationem episcopalem. Cf. *Génicot*, II, 347.

[2] *Lehmkuhl*, II, 414, 4.

rio jurisdictionem non habenti super eis. Dixi *per se*, quia, juxta S. Alph.[1] *per accidens* teneretur si confessarius interroget; nempe si indiget tali cognitione, ut de poenitentis dispositione recte judicare possit, v. g. si esset recidivus in reservatis, vel in occasione proxima recidendi.

547. — *Q.* Simplex confessarius potest ne absolvere *peregrinum* a reservatis ?

R. Si peregrinus confitetur peccatum reservatum *in dioecesi confessarii*, tunc Th. communius dicunt quod simplex confessarius non potest eum absolvere, etsi illud peccatum non sit reservatum in dioecesi peregrini: ratio, quia reservatio directe afficit confessarios et non poenitentem. Alii tamen tenent quod possit eum absolvere, quia tunc confessarius peregrinum absolvit jurisdictione indirecte sibi communicata ab Ordinario peregrini, et quum hic peccatum illud sibi non reservaverit, eo ipso jurisdictionem quoad illud non restrinxit. Sed cum hodie fere omnes teneant jurisdictionem in peregrinos non ab Episcopo poenitentis, sed potius a Rom. Pont. emanare, haec sententia parum probabilis videtur.[2]

E contra si peccatum est reservatum tantum in patria, vel *dioecesi poenitentis*, non autem in dioecesi confessarii, tunc bene potest peregrinus absolvi a quovis confessario, modo in alienam dioecesim non pergat in fraudem reservationis; quod esset tantum quando poenitens fine unico et principali proficiscitur, ut effugiat judicium sui Superioris. Unde bene absolvi poterit si pergit in alienam dioecesim ob aliquem finem honestum, puta negotii agendi causa vel indulgentiae lucrandae, vel ut confiteatur cum minori incommodo aut citius confessionem expediat, vel ut confessarium incognitum, vel prudentiorem inveniat, qui melius ejus conscientiae provideat[3].

548. — *Q.* Reservatio cessat ne per confessionem Superiori factam, sed in qua peccatum reservatum fuit inculpabiliter oblitum, vel confessio fuit nulla, vel sacrilega ?

R. — 1. Si poenitens confessus sit Superiori, *et inculpabiliter oblitus sit* peccati reservati, tunc reservatio cessat, et potest illud postea confiteri etiam inferiori et ab ipso absolvi; - ratio, quia praesumitur Superior poenitentem recte dispositum velle liberare ab omni vinculo peccatorum a quo potest. Plures cum S. Alph. casum excipiunt, quo adesset positiva praesumptio, quod si Superior audivisset peccatum reservatum absolutionem distulisset. Sed Cl. Ballerini cum aliis hanc exceptionem non admittit; hic enim agitur non de possibilitate, sed de voluntate, seu de facto: nempe an de facto velit Superior tollere directe reservationem pro oblitis, quotiescunque absolvit subditum. Sed ex communi sententia talis voluntas probabiliter praesumitur in Superiore: ergo[4].

2. Si confessio fuit *nulla sed inculpabiliter*, Th. etiam communiter affirmant quod cesset reservatio: ratio, sive quia Superior intendit actualiter et absolute poenitentem

[1] S. Alph., L.VI, 265, 585,
[2] Vid. *Génicot*, II, 348.
[3] S. Alph., L. VI, 588, 589.
[4] *Ballerini* ad *Gury*, II, 581 (*a*).

liberare tam a peccato, quam a reservatione, sive quia poenitens jam subjecit peccatum suum judicio Superioris, et ab ipso jam recepit remedia, et poenitentiam, quam semper tenetur adimplere, licet postea percipiat confessionem fuisse invalidam.

Nec valet dicere quod Superior, et tanto minus delegatus non aufert reservationem nisi per absolutionem: quia quoad superiorem, ipse bene potest sine absolutione sacramentali reservationem auferre, et in hoc casu bene praesumendum est auferre velle; et quoad delegatum, licet iste non possit sine absolutione eam auferre nihilominus tunc judicatur posse eam auferre ex voluntate ipsius Superioris, aut saltem virtute consuetudinis communi Th. auctoritate firmatae.

3. Si vero confessio fuit *culpabiliter nulla, seu sacrilega* tunc etiam communius affirmant quod cessat reservatio; ratio, quia pro confessione sacrilega occurrit eadem ratio ac pro confessione inculpabiliter nulla; alius enim est finis confessionis, qui est remittere peccatum, alius finis reservationis qui est ut subjiciatur peccatum judicio Superioris, et hic finis jam obtinetur; et licet Superior ex voluntate interpretativa nollet in hoc casu auferre reservationem, si sacrilegium agnosceret, tamen ex voluntate actuali jam illam auferre vult. — Excipe vero si poenitens in illa sacrilega confessione ipsum peccatum reservatum reticeat, vel omittat, quia tunc non praesumitur Superiorem velle poenitenti non disposito reservationem auferre peccati sibi non delati. [1]

4. Si autem confessio nulla facta sit tempore jubilaei, tunc si confessio est *culpabiliter nulla* seu *sacrilega*, Th. communius et probabilius dicunt quod reservatio non cessat.

Si vero confessio est quidem *nulla* defectu doloris, sed bona fide fuit facta, an cesset reservatio disput. Th.; nonnulli negant, quia facultas absolutionis concessa est sub conditione lucrandi jubilaeum, quod in confessione nulla acquiri nequit; sed multi probabilius affirmant, quia peccata reservantur, ut deferantur habenti jurisdictionem vel ordinariam vel delegatam, qui imponat poenitentiam et absolutionem ferat, quod obtinet in nostro casu [2].

549. — *Q.* Potest ne poenitens absolvi a reservatis, si peccavit in confidentiam licentiae?

R. Aliqui dubitarunt, sed communior sententia affirmat, quia, esto quod Superior nolit ut subditus ansam peccandi capiat occasione licentiae, attamen non intendit postea absolutionem negare poenitenti, quem vere poenitet sui peccati, et illud vitare proponit [3].

550. — *Q.* Licentia data pro reservatis potest ne extendi ad peccata post obtentam licentiam commissa?

R. Si licentia datur pro solis peccatis speciatim nominatis, aut pro numero determinatis, extendi non potest: secus vero si indefinite conceditur. — Excipe tamen si poenitens, cui praesertim licentia concessa est, aliud peccatum

[1] S. Alph., L. VI, 597, 598; cf. *Génicot*, II, 350.

[2] S. Alph., L. VI, 537, q. 2°.

[3] S. Alph., L. VI, 601.

committeret post notabile tempus, v. g. post mensem, aut si licentia concessa fuisset intuitu festivitatis particularis [1].

551. — *Q.* Quomodo se gerere debet simplex confessarius si reservatum audit?

R. Simplex confessarius, si reservatum audit, debet statim a poenitente inquirere si velit Superiorem adire, quo in casu non debet ulterius audire ejus peccata.

Quod si velit ab ipso absolvi a reservato, obtenta facultate, confessarius reliqua peccata audiat, tum ut ei proponere possit remedia a peccatis praeservativa, tum ut intelligat an alia, praeter illud, reservata habeat, ut ab omnibus reservatis facultatem a Superiore obtineat absolvendi. — An vero conveniens sit quod ipse petat facultatem absolvendi a reservatis, res pendet a circumstantiis sive status confessarii sive poenitentis; et saepe hoc caritas suadet, vel etiam cogit. Quod si superiorem adire nequit, et adest causa urgens confitendi, tunc poenitens absolvi potest modo superius relato (n. 545).

552.—*Q.* Personae exemptae incurrunt ne reservationem?

R. Personae exemptae non incurrunt reservationem;-ratio, quia Episcopus nullam in eas jurisdictionem habet.

Quare si Regularis confiteatur sua peccata confessario approbato ab Episcopo in iis casibus in quibus ipsi permittitur, poterit ab hoc communi confessario absolvi a reservatis Episcopo, quia jurisdictio hujus confessarii in Regularem non dependet ab Episcopo, sed approbatio Episcopi est solum conditio a Papa praestituta, qua posita, confessarius ab Episcopo approbatus jurisdictionem habet a R. Pont.

Si tamen Regularis delinqueret in iis quibus subest Episcopo, puta si Episcopus sibi reservasset casum allocutionis monialis ad malum finem, et Regularis monialem ad malum finem esset allocutus, tunc absolvi non posset non solum a supradicto confessario, sed nec a Superiore Regularium, quia in illa materia Regulares Episcopis subjiciuntur.

Hinc moniales, si sint subjectae Ordinario loci, non poterunt a communi confessario absolvi a reservatis, quia non sunt exemptae: bene vero quae subjectae sunt Regularibus absolvi possunt a confessario ab Episcopo approbato ad ipsas confitendas, exceptis casibus quos Episcopus sibi reservaverit in materia clare spectante ad jurisdictionem delegatam.

Art. III.

De vetita absolutione complicis.

553. — *Q.* Quid hic venit nomine complicis?

R. Nomine complicis hic venit quaevis persona, sive vir sive foemina sit, sive puber sive impuber, quae cum confessario etiam antequam ad sacerdotium proveheretur [2] perpetravit peccatum *formale*, *grave* tum *interne*, tum *externe*, et *certum* contra castitatem, licet peccatum non fuerit consummatum, imo licet sit solus tactus

[1] S. Alph. Hom. Ap., Tr. XVI, 145.

[2] S. Poenit. 22 jan. 1879.

turpis, aspectus, aut turpiloquium [1].

Igitur ut peccatum turpe complicitatem importet, requiritur:

1. Ut sit *formale* ex utraque parte. — Hinc non adest peccatum *complicitatis* si confessarius puellam dormientem, ebriam, vel reluctantem impudice tangit (etsi omnino non deberet illam audire, ne in periculum gravius peccandi se conjiciat), quia confessarius tantum peccavit.

2. Ut sit *grave etiam externe* ex utraque parte. Unde nomine complicitatis non venit actus externus qui sit per se solum peccatum veniale, v. g. manus apprehensio, vel veniale sit ex inadvertentia, aut indeliberatione, aut imperfecto consensu, vel licet sit mortale ex parte confessarii, mortale non est ex parte poenitentis, vel vicissim. — Hinc peccatum *complicitatis* non aderit si cum foemina intercessit osculum obiter datum, aut tactus momentaneus manuum vel partium honestarum, licet ab affectu libidinoso procedat, si hunc pravum affectum confessarius non manifestavit, vel etiamsi manifestaverit, si foemina ex parte sua, licet interne consenserit, externe tamen non consensit. Idem dicendum foret si confessarius (quod tamen vix esse potest) foeminam singulariter simplicem ac credulam induxisset ad credendum nullum esse peccatum, si se turpiter ab ipso attrectari sinat, et ipsa bona fide decepta talia in se fieri permisisset, quin formaliter peccaret; in his enim casibus vel non adest peccatum ex utraque parte, vel saltem non est certo mortale.

3. Ut sit *certum* ex utraque parte, et certum sive de gravitate, sive de complicitate: at minime requiritur ut peccatum sit consummatum. — Hinc adesset peccatum complicitatis si confessarius convenit cum poenitente de seducenda muliere, licet postea non seduxerit, quia verificatur hunc poenitentem esse socium iniquae conventionis contra castitatem; — vel si poenitens confessario permiserit, et eo magis si invitaverit, ut peccaret cum propria uxore vel filia, quia permittendo vel invitando participat de crimine confessarii, ideoque complex est, quum complex et particeps unum idemque sint; — vel si confessarius audivit a poenitente turpes sermones, et ostendit eos sibi placere, quia exterius se complacendo de illis participavit, ideoque est complex peccati turpis, etc.

554. — *Q.* Confessarius potest ne valide absolvere complicem?

R. — 1. Confessarius caret omni jurisdictione ad absolvendum complicem, extra casum necessitatis extremae, nimirum in periculo mortis; et conveniunt Th. quod si confessarius, cognito complice, illum advertenter absolvit, absolutio non solum est illicita, sed prorsus invalida.

2. An vero valida sit absolutio si confessarius complicem nullomodo cognoverit, vel inadvertenter absolverit, disput. Th.. Alii negant, quia Bened. XIV dicit quod talis absolutio est prorsus nulla et irrita, et falsa confessarii existimatio dispositionem Rom.

[1] S. C. S. Off. 28 maji 1873. - Nota: Si peccatum in solis verbis aut sermonibus consistit, facilius dubium exurgere potest num peccatum fuerit ex utraque parte mortale.

—

Pont. non mutat. Alii tamen et quidem plures affirmant, modo poenitens bona fide accedat, quia jurisdictio sublata est confessario qui confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi excipere *audeat;* qui autem nec in accessu poenitentis, nec in decursu confessionis poenitentem complicem cognoverit, vel inadvertenter absolverit, confessionem personae complicis excipere *non audet.* Consensit et altera Const., quae praesumptionem et *ausum temerarium* requirit. Ergo si ignorantia complicis fuerit tantum crassa et supina, non vero affectata, absolutio valida erit[1].

555. — *Q.* Est ne valida absolutio saltem *aliorum peccatorum,* si poenitens fuerit in bona fide?

R. Disput. Th.. Alii negant, quia Bened. XIV absolute ait: absolutionem esse nullam non solum quoad peccatum complicitatis, sed etiam quoad *personam* complicis[2]. Sed alii plures affirmant, quia in Bulla Bened. XIV jurisdictio adimitur confessario quoad poenitentem complicem, et, quod potissimum est, *ab hujusmodi culpa, in hujusmodi peccati genere;* ergo non ab aliis, non in aliis; haec autem secunda sententia hodie longe verior videtur et tuto teneri potest; nam S. Poenitentiaria die 16 maji 1877 respondit: Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi... esse in ordine ad ipsum peccatum turpe[3].

556. — *Q.* Confessarius potest ne absolvere complicem jam ab alio confessario a tali peccato absolutum?

R.—1. Si confessio complicis alteri sacerdoti facta nulla aut sacrilega fuerit, vel si in ea confessione, licet valida, poenitens peccatum complicitatis ex oblivione inculpabili non declaravit, tunc in his duobus casibus poenitens a confessario complice absolvi non potest, quia in primo casu peccatum complicitatis non fuit vere absolutum, et in secundo nonnisi *indirecte.*

2. Si vero poenitens a peccato complicitatis vere fuit *directe* absolutus, tunc si alia peccata deponit, confessarius potest illud audire et absolvere. Si autem alia peccata non deponit, tunc disput. Th. an possit illum absolvere. Alii negant, quia privatio jurisdictionis in peccato complicitatis est perpetua, excepto periculo mortis; sed alii verius affirmant, quia illud peccatum non est amplius materia necessaria confessionis, sed libera, ut patet ex Decr. S. O. 29 maji 1867. — Ceterum observat Cl. Gury[4], etsi poenitens ab alio sacerdote directe absolutus fuerit, attamen si quis pudor maneat in sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit, si quis honor Sacramento debitus, nunquam in posterum complicis confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis in directione talis poenitentis facile subesse potest: ideoque fideles in posterum, secluso necessitatis casu, nunquam adeant confessarium peccati complicem.

557. — *Q.* Quaenam poena in absolventes complicem?

[1] *Berardi*, Praxis, IV, 1078; *Scavini*, III, 185; *Alasia*, de Poenit.. c. 10, n. 3.
[2] S. Alph., L. VI, 555; *Gury*, etc.
[3] *D' Annibale*, III, 324, (38); *Bucceroni*, II, 1291.
[4] *Gury*, II, 587.

R. Qui complicem absolvit extra casum necessitatis extremae incurrit excommunicationem Rom. Pontifici speciali modo reservatam, ex *Constit. Apost. Sedis*, n. 10. *Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo si alius sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.*

Ad hanc poenam incurrendam:

1. Requiritur *gravis culpa;* quare poenam evadit confessarius qui complicem bona fide absolvit, quia eum non cognovit, ubi enim deest culpa deest et poena[1].

2. Oportet ut agatur *de confessario*, quia Constitutio loquitur de confessariis; unde poenam non incurrit sacerdos simplex qui non habet facultatem audiendi confessiones, si sacrilege tentaret absolvere complicem.

3. Requiritur ut ille *absolvat*, quia poena lata est in *absolventes;* unde poenam non incurrit confessarius qui complicem tantum auditet inabsolutum dimittit. — E contra incurrit si audit et absolvit etiam *ficte*, nempe fingit absolvere, licet reapse non absolvat (recitando v. g. quamdam orationem vel alia verba pronuntiando, ita ut videatur per signa vel per manuum gestus revera poenitentem absolvere). Ita S. Poenit. die 1 martii 1878.

4. Requiritur quod *poenitens nondum directe sit absolutus ab hoc peccato;* unde poenam evadit si jam poenitens ab alio confessario *directe* absolutus fuit; non vero si indirecte tantum[2].

5. Demum requiritur ut peccatum sit *expresse confessum*. Hinc si poenitens complex confiteatur suum peccatum hoc modo: *Me accuso de omnibus peccatis gravibus vitae meae contra sextum Decalogi praeceptum*, et confessarius eum absolvit, poenam non incurrit, ut eruitur ex responso S. Poenit.[3]. *Item* poenam non incurrit confessarius qui complicem absolvit si poenitens in confessione non declaravit peccatum complicitatis,

[1] Cl. *D' Annibale*, Comment, in Const., num. 80.

[2] *D' Annibale*, III, 324.

[3] Quaesitum enim fuit: « An incurrat censuras in absolventes complicem in peccato turpi latas, qui complicem quidem absolvit, sed complex complicitatis peccatum in confessione non declaravit? Ratio dubitandi esse videtur, quia talis sacerdos, etiamsi complex sacrilege hujus peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab hujusmodi complicitatis culpa, utpote non declarata, nec subjecta clavibus ».

Et S. Poenitentiaria die 16 maji 1877 respondit: *Privationem jurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi, et adnexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit, esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit. Tenetur nihilominus confessarius sacerdoti, qui, hac ratione, complicem, non tamen a peccato complicitatis, absolvit, omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui, et abominabilem abusum Sacramenti Poenitentiae; nec aliter ei beneficium absolutionis imperiri, quam praemissa gravissima adhortatione, ut officium confessarii dimittere studeat, nec non imposita obligatione, ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat; monita eadem persona complice, si denuo compareat, ut de peccato complicitatis, et caeteris invalide confessis, apud alium confessarium se accuset* ». Ex quo responso infertur censuram et privationem jurisdictionis locum non habere, si complicitatis peccatum non subjiciatur clavibus.

idque etiamsi poenitens sacrilege hujus peccati confessionem omitteret et ipse confessarius culpabiliter ab interrogando se abstineret. Poenam tamen certe incurrit confessarius qui ad vitandam poenam inducit directe vel indirecte complicem ad non declarandum peccatum complicitatis, et postea illud peccatum non declarantem absolvit. Proposito enim tali quaesito S. Poenitentiariae, ipsa die 19 febr. 1896 respondit: *Affirmative,* nempe poenam incurrere; quam declarationem approbavit Leo XIII.

Directe autem confessarius inducit poenitentem quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, v. g. quia illud jam novit, et declaratio illius esset inutilis. *Indirecte* vero inducit quando confessarius suadere conatur poenitentem sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde poenitens concludit sibi licere non declarare tale peccatum, et ab eo declarando revera se abstinet.

558. — *Q.* Ignorantia excusat ne a tali poena incurrenda?

R. Ignorantia si est crassa et supina non excusat a tali poena incurrenda, nam Const. *Apost. Sedis* de ausu temerario prorsus silet. Interrogata vero S. C. U. I. - Utrum absolventes complicem in re turpi cum ignorantia *crassa et supina* excommunicationem incurrant? Respondit: *Affirmative.*[1]

559. — *Q.* Confessarius qui absolvit poenitentem cum *dubio* quod sit suus complex peccat ne, et incurrit ne poenam?

R.—1. Confessarius tenetur sub gravi per *aptas* et *prudentes* interrogationes dubium, si potest, purificare. Quod si dubium purificare nequit, tunc nec peccat, nec poenam incurrit, quia in tali dubio non est praesumendum legislatorem velle confessarium jurisdictione privare.

2. Si dubium vero purificare potest, et negligit, tunc certe graviter peccat et poenam etiam incurrit, quia adesset ignorantia crassa et supina, imo affectata; quae a tali poena non excusat[2].

560. — *Q.* Incurrit ne poenam confessarius qui absolvit suum complicem a quo tamen ipse non agnoscitur?

R. — 1. Si poenitens cognoscit quidem quinam sit complex sui peccati, sed per accidens hic et nunc non advertit sacerdotem cui confitetur esse ipsum complicem, certe poenam incurrit confessarius qui talem poenitentem absolvit.

2. Quod si poenitens nullo modo cognoscit suum complicem, e. g. quia sacerdos noctu, immutato habitu, peccavit cum muliere quae casu nunc accedit ad eum ut confiteatur, probabiliter non videtur incurrere excommunicationem confessarius qui hujusmodi complicem absolveret. Nam ex una parte non tenetur se prodere poenitenti cum propria infamia, et ex altera, si inabsolutum illum dimittit alteri confessario, periculum erit ne et confessarius et poenitens in suspicionem veniant delicti a sacerdote commissi: praeterea juxta aliquos, in hoc casu non esset complex formaliter[3].

561. — *Q.* Confessarius absol-

[1] Die 13 jan. 1802.
[2] Cl. *Berardi,* Praxis, n. 1078, III.
[3] Conf. *Génicot,* II, 353; *Lehmkuhl,* II, 935.

vit ne semper valide et licite complicem in *periculo mortis ?*

R. Quoad *validitatem*, confessarius semper valide absolvit complicem in periculo mortis, quia in tali periculo omnibus absolute datur jurisdictio absolvendi, ne quis pereat; quod periculum ex his quae videntur aestimari debet, nempe sufficit quod sit prudenter licet falso existimatum ; ideo rata est absolutio, etsi postea apparuerit nullum periculum adfuisse [1].

Quoad *liceitatem,* confessarius etiam licite complicem absolvit: — 1° si desit quivis alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones ; — 2° si alius sacerdos nequeat vocari vel accedere sine gravi infamia vel scandalo, puta si infirmus sacerdoti complici Viaticum ei deferenti publice petat confiteri, vel si moribundus publice petat se velle parocho complici confiteri, et parochus nullam legitimam et publicam causam possit adducere non accedendi ad infirmum ; in his enim casibus adesset scandalum et periculum infamiae ; — 3° vel si moribundus alteri sacerdoti confiteri recuset, ita ut graviter timendum sit ne aut sine confessione decedat, aut sacrilege confiteatur. — Extra hos casus sacerdoti complici anteponi debet sacerdos simplex, licet non adprobatus, vel licet excommunicatus vel suspensus, modo non sit publice excommunicatus aut suspensus, quia tunc valde indecens esset hunc vocare, sive quia scandalum et infamia vix vitaretur [2]. — Ceterum confessarius complex tenetur talia pericula infamiae aut scandali avertere si potest, et si hoc negligit, *valide* quidem absolvit, *ne quis pereat,* sed tamen nec peccatum, nec excommunicationem effugeret.

562. — *Q.* Praeter periculum mortis dantur ne alii casus omnino extraordinarii in quibus confessarius complicem absolvere possit ?

R. Licet alii Th. negent, plures tamen gravissimi Th. affirmant in sequentibus casibus : 1° si complex toto vitae suae tempore alium confessarium habere nequeat, in hoc enim casu recidimus in periculum mortis ; 2° si complex diu omnino, idque fortasse cum scandalo aliorum, a Communione etiam Paschali abstinere debeat, ut accidere posset in regionibus dissitis, quo vix unquam alius sacerdos accedet ; 3° si diu desit confessarius, cui persona complex sine *evidenti sacrilegii periculo* confiteatur, et simul ex diuturna abstinentia a sacramentis evidens infamiae periculum seu suspicio sequatur. In his autem casibus absolvere posset directe ab aliis peccatis, et indirecte a peccato complicitatis [3]. — At confessarius si poenitentem advertit versari in hisce casibus, tenetur a S. Poenitentiaria facultatem petere absolvendi complicem, quae in hisce casibus gravissimae necessitatis ipsi non denegatur. Haec autem facultas petitur a S. Poenitentiaria sub nomine ficto : dicendo v. g. : Titius sacerdos petit facultatem (quam aliis vicibus nunquam petivit) absolvendi complicem. Causa est... (explicetur causa ob quam persona complex ad alium confessarium mitti nequeat).

[1] Cl. *D'Annibale,* III, 324.
[2] *Lehmkuhl,* II, 937.
[3] *Lehmkuhl,* II, 937; *Berardi,* Praxis, 1078; *Ballerini* ad *Gury,* 91, 587 (*a*).

Ipse sacerdos complex sic in tertia persona scribere, atque obtenta facultate uti potest.—Episcopi (nisi specialem habeant delegationem) hanc facultatem concedere nequeunt [1].

CAPUT III.

De ministri dotibus et officiis.

ART. I.

De ministri dotibus.

563. — *Q.* Quaenam praecipuae ministri dotes?

R. Praecipuae ministri dotes tres sunt: bonitas vitae, — scientia, — prudentia.

§ 1°

De bonitate.

564. — *Q.* Quaenam bonitas requiritur?

R. Confessarius talem morum *bonitatem* habere debet qualem tantum ministerium exigit; - ratio, quia, deficiente hac vitae bonitate, omnes partes boni confessarii adimplere nequit [2].

Et cum *bonitatem* dico, ait S. Alph., non hic intelligo illam solam *habitualem*, quae in simplici gratiae statu consistit, sed *positivam* bonitatem, quae ministrum Poenitentiae decet... Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet; cum mulieribus et adolescentibus saepe versari, eorum confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipere, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat [3]; cum personis praeclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari; et, ut omnia uno verbo complectar, debet esse in caritate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hae omnes partes, ut par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate, quam certe nunquam assequetur ille, cui oratio non est perfamiliaris, nec meditatio est quotidiana; etenim alia via lucem, et gratias huic tanto muneri (etiam ipsis angelicis hu-

[1] *Berardi*, Praxis, 1080; *Gury*, Casus consc., n. 644.

[2] S.Leonardus a Portu Mauritio de bonitate confessarii inter alia haec habet: « Prima dos omnibus indiscriminatim confessariis necessaria, est bonitas seu sanctitas vitae, exemplum enim est medium omnium efficacius ad bonum suadendum, et homines fidem potius praebent iis quae vident, quam iis quae audiunt, facileque possibilem credunt virtutem quam ab aliis, speciatim vero a proprio directore exercitam cernunt. Haec autem bonitas vitae consistit non solum in parte negativa, seu in exemptione ab omni mortali, sed praecipue in parte positiva, seu in exercitio orationis et zeli. Cum confessarium invenio qui habitualiter in gratia Dei vivit, et amore flagrans animas ad Deum adducere pro viribus curat, tunc thesaurum invenio... . Confessarius tepidus qui exercitium non habet orationis, neque mortificationis, munus confessarii nonnisi languide et negligenter exercere potest, ejus enim verba a caritate non inflammantur, nec ejus correptiones a zelo excitantur, nec ejus consilia auctoritate confirmantur ». *Discorso mistico morale*, n. 2, 3.

[3] Nulli dubium quod munus audiendi confessiones mulierum et puellarum maximum continet periculum pro confessariis in procelloso mare hujus mundi, et fatalis est scopulus in quem alliduntur, et ob quem pereunt plures sacerdotes, quia nec sancti sunt ut decet, nec prudentes: scopulus fatalis juvenibus praesertim confessariis, at non ipsis solum, sed etiam aetate provectis si debita sanctitate et prudentia carent. Ita cum S. Alph., Cl. *Frassinetti*.

meris, ut dici solet, formidando) necessarias, obtinere nemo potest. (*Praxis confessarii : Introductio*). — Et alibi, idem S. Doctor exclamat : *Quot confessarii, quia hac positiva sanctitate carebant, in tali exercitio animam propriam perdiderunt !*

§ 2°

De scientia.

565. — *Q.* In confessario requiritur ne scientia ?

R. Confessarius tenetur, et quidem sub gravi, habere illam scientiam quae ad rite munere suo fungendum necessaria est ; - ratio, quia, sine tali scientia, certo periculo se committit hoc munus adimplendi vel cum injuria Sacramenti, vel cum gravi damno poenitentium.

Hinc dicit S. Alph. quod graviter peccat ; — 1° Confessarius qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit, eumque dicit esse in statu damnationis. — 2° Superior qui illum approbat. — 3° Poenitens qui sciens ipsum idoneum non esse ad ejus confessionem excipiendam, ad illum tamen accedit.

Nec Episcopi approbatio confessarium indoctum excusat, si ipse manifeste cognoscit se esse inhabilem : approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *manifeste,* quia si tantum dubitat, bene potest, imo debet acquiescere in sui Superioris judicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat.

Quapropter qui ad tantum officium aspirant non debent sibi tam facile persuadere quod satis idoneos ad illud se reddere possint *sine diuturno studio.* Certe enim toto coelo errare dicendi sunt qui non erubescunt asserere quod pro addiscenda Theologia Morali sufficiat *percurrere* aliquam brevem summulam hujus scientiae, vel tenere principia generalia, quibus omnes casus particulares resolvi possint. Verum quidem est casus particulares ex principiis generalibus resolvendos esse ; sed totum opus, et totus labor est in aptando casibus particularibus, tantis diversis circumstantiis irretitis, hujusmodi principia, utque discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat ; quod certe fieri nequit sine magno et diuturno studio. — Hinc concludit S. Alph. : « Nullus confessarius intermittere debet Theologiae Moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam pertinent, multa, quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt ; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare »[1].

[1] S. Leonardus a Portu Mauritio circa scientiam Theol. Mor. haec duo animadvertit : « 1° Quidam Theologi etiam magni nominis quo praestantiores sunt ac subtiliores in scientiis speculativis, eo deficientiores sunt in scientia morali ; et de se ipsis praesumentes Theol. practicam et casuisticam colere contemnunt, sicque in praxi miserrime errant.

2° Pariter errant confessarii qui ex eo quod aetate sint provecti, et praxim habeant confessiones excipiendi, studio Theol. Mor. valedicunt, autumantes omnes casus sola experientia solvere posse, et uno ensis ictu omnes nodos, seu omnes difficultates proscindere. Isti, si ignorantes, temerarii sunt ; si docti, ipsis cum B. Paulo dico quod nondum didicerunt *quemadmodum oporteat eos*

566. — *Q.* Quaenam scientia requiritur?

R. Illa scientia in confessario requiritur quae necessaria est ut prudens judicium in hoc foro ferre possit; - ratio, quia judex ex officio tenetur bene discernere quae judicat.

Hinc confessarius scire debet: — 1° quae peccata sint mortalia, quae venialia, saltem ex genere suo; 2° species et circumstantias peccatorum necessario explicandas; 3° quae spectant ad restitutionem bonorum et famae; — 4° casus reservatos, ut sciat ad quae sua jurisdictio limitetur; item excommunicationes, censuras et irregularitates saltem communiores; — 5° matrimonii impedimenta et communes statuum obligationes; — 6° quae requiruntur in poenitente ut bene sit dispositus, et quae remedia ad emendationem efficaciora.

Non requiritur vero eadem scientia in omnibus, sed major vel minor pro diversitate locorum, et poenitentium; sic major requiritur ad audiendas confessiones in urbe quam in oppido, major pro confessione ecclesiasticorum, curialistarum, negotiantium, quam simplicium et rusticorum.

Ceterum in *praxi* satis erit si confessarius sciat casus frequentiores solvere, et de difficilioribus saltem dubitare; tunc enim dubitando judicium suspendit, et veritatem, vel libros, vel doctores consulendo, inquirit. In aliquo vero casu magis implicato, praesertim publico vel de facili publicando, non solum consulendi sunt alii viri docti et majoris experientiae, sed si tempus ferat, ad Episcopum, ut securius procedatur, recurrendum erit.

§ 3°

De prudentia.

567. — *Q.* Quaenam prudentia requiritur in confessario?

R. Confessarius non sufficit quod sit pius et doctus, sed etiam prudens esse debet; - ratio quia secus munere suo recte fungi nequit. Si enim prudentia destitutus sit, saepe interrogationes, et correctiones inutiles vel perniciosas adhibebit, saepe remedia inepta, satisfactiones incongruas, saepe dispositis absolutionem negabit, indispositis concedet [1].

Sit ergo confessarius prudens maxime in sequentibus: — 1° In

scire (1. Cor. VIII, 2). Velle autem omnes casus sola experientia solvere maxima praesumptio et temeritas est ». (*Discorso mistico morale*, n. 27).

[1] « Bonitas vitae est dos confessariis maxime necessaria; at sine virtute prudentiae quilibet confessarius deficiet in exercitio sui muneris, cum prudentia sit, ut ita dicam, anima hujus ministerii. Prudentia nobilissima virtus est, quippe quae hominem ducit ad omnia agenda modo, tempore et loco convenienti. Partes essentiales hujus virtutis sunt: circumspectio et cautela; ejus autem actus principales sunt: consilium opportune sumere, et recte judicare. Hoc autem a Deo obtinetur non solum studio, sed praecipue lacrymis et oratione; eo magis quod confessarius cum in excipiendis confessionibus tria officia exerceat: judicis, medici, et doctoris, haec officia modo integerrimo adimplere nequit sine vera prudentia, nempe sine speciali divina illustratione. Verum quidem est quod confessarius uti judex legem non statuit, quinimo se ipsum intra limites legis regere debet, ideoque poenitentem si dispositum absolvere tenetur, secus si indispositum. Nihilominus quum confessarius in foro sacramentali judicium exerceat ad emendationem rei tendens ab aliis judiciis ordinariis et coactivis omnino diversum, maxima prudentia indiget ad

relinquendo poenitentibus suis (exceptis quandoque scrupulosis) libertatem alium confessarium adeundi, vel consulendi: S. Joannes a Cruce appellabat *tyrannum* confessarium qui hanc libertatem poenitentibus denegaret, cum haec libertas non solum utilis, sed quandoque necessaria sit. Hinc S. Th. ait [1]: Peccaret sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiteantur; unde illi, qui nimis solliciti sunt, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. Idem docet S. Alphonsus. (Vide dicenda inferius: *De modo agendi confessarii cum personis devotis).* — 2° Sit prudens in excipiendo confessiones mulierum et puellarum, ut inferius dicetur. — 3° In delectu opinionum. — 4° In interrogationibus faciendis, praecipue in materia de sexto praecepto, et praesertim respectu ad juvenes et mulieres. — 5° In correptionibus et monitionibus faciendis, et in remediis et satisfactionibus imponendis. — 6° In absolutione impertienda, vel neganda, vel differenda. — 7° Praesertim quoad confessionem generalem, quando sit praecipienda, vel permittenda, vel prohibenda, ut dictum fuit n. 476. — 8° Maxime vero prudens sit quoad secretum seu sigillum sacramentale, prout infra fusius dicetur n. 591 et seq.

finem suum, nempe emendationem rei, assequendum. En fatalis scopulus in quem major confessariorum pars impingit, scopulus imprudentiae. Revera, alii confessarii vel ob taedium, vel ob praecipitantiam, vel ob pruritum plures poenitentes audiendi, tempus poenitentibus non dant propriam conscientiam manifestandi, sed ipsos incessanter urgent: *alia peccata confitenda non habetis?* ita ut plures poenitentes hac importunitate devicti, integritati confessionis defficiunt, plura gravia peccata tacendo. Alii, vix aliquod grave facinus audiunt, statim poenitentem acriter redarguunt, animal, vel doemonium appellando, ita ut poenitenti animus deficiat alia peccata confitendi. Alii poenitentes importunis et imprudentibus interrogationibus divexant. Alii demum peccata quidem audiunt, sed uti medici, opportuna remedia, ad peccatorum causas et occasiones tollendas neque proponunt, neque adhibent. En, concludit S. Leonardus a Portu Mauritio, quomodo defectus virtutis prudentiae est fatalis scopulus in quem frangunt plures confessarii ». *Discorso mistico morale*, n. 8, 9.

[1] In 4, dist. 17, q. 3, a 3, q. IV ad VI.

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. XXI, 1.

—

Art. II.

De ministri officiis.

568. — *Q.* Quaenam sunt officia confessarii?

R. Quatuor sunt officia, quae bonus confessarius exercere debet: patris, medici, doctoris, et judicis [2].

I. *De officio patris.* Confessarius est pater spiritualis, qui spiritualem vitam poenitenti tribuit, aut reficit et fovet: in tribunali enim poenitentiae vices gerit optimi omnium parentis, nempe ipsius Christi, et ideo a poenitentibus dulcissimo patris nomine appellatur. Hinc confessarius, ut partes adimpleat boni patris, caritate plenus esse debet: — 1° *In principio confessionis,* benigne *excipiendo omnes,* sive viros, sive mulieres, sive pauperes, sive divites,

quia apud Deum non est acceptio personarum ; imo excipiendo praesertim pauperes, rudes, peccatores, quia majori indigent caritate. Ita fecit Christus : ita omnes sancti Sacerdotes. — 2° *In decursu confessionis* majorem caritatem adhibere debet, et ideo cavere debet ne se impatientem ostendat, vel taedio affectum , maxime ne admirationem ostendat, si poenitens aliquod grave speciale peccatum deponat; et advertat ne poenitentem exasperet, vel perterreat. — 3° *In fine confessionis* specialem cari atem adhibere debet, unde si poenitens non est dispositus, curare debet ut eum disponere possit ad beneficium absolutionis, eum adjuvet ad doloris actum efformandum, suggerat ei remedia salutaria , quibus possit se servare a peccatis. — Si autem poenitens non est absolutionis capax, aut expediens videtur differre absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, et dulcibus saltem verbis a se dimittat. Haec est via qua peccatores allici possunt, nempe cum eis agere quanta maxima fieri potest caritate ; alioquin, si ipsi in confessarium incident qui cum eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent, et effrenate in perditionem ibunt.

2. *De officio medici.* Confessarius est verus animarum medicus, unde tenetur remediis opportunis succurrere spiritualibus infirmitatibus sui poenitentis ; propterea debet : — 1° Cognoscere earumdem infirmitatum originem, causas et gravitatem. — 2° Debet opportunas interrogationes facere poenitenti, v. g. de peccandi consuetudine, de occasionibus peccati. — 3° Cognita morbi origine et gravitate, debet procedere ad debitas correctiones et monitiones, nec non ad disponendum poenitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi. — 4° Hisce peractis, poenitenti remedia opportuniora insinuare debet, et poenitentias magis convenientes debet illi imponere.

3. *De officio doctoris.* Confessarius ut doctoris officio recte fungatur. scientiam sufficientem habere debet ut convenienter poenitentem i n s t r u e r e possit, sive circa res quas scire debet, tum necessitate medii, tum necessitate praecepti, sive circa obligationem compensandi famam, honorem, bona, aut occasionem vitandi, scandalum illatum reparandi,. correptionem faciendi, etc..

4. *De officio judicis.* Postremum confessarii officium est judicis, et hoc importat, ut, sicut judex tenetur prius rationes cognoscere, inde causae momenta discutere, et deinde sententiam proferre, ita confessarius debeat : — 1° cognoscere poenitentis conscientiam ; — 2° ejus dispositiones inspicere ; — 3° absolutionem impertire, aut negare.

CAPUT IV.

De generali et speciali agendi ratione confessarii cum variis poenitentibus.

ART. I.

De generali agendi ratione confessarii cum poenitentibus.

569. — *Q.* Quaenam generalis agendi ratio confessarii cum poenitentibus ?

R.—**1.** Confessarius *excipere* debet poenitentem; sive cum magna

caritate, ut dictum est de officio patris, sive sine personarum acceptione; et si qua acceptio facienda est, haec fiat erga magnos peccatores, et eos qui medico spirituali magis indigent.

2. Poenitentem *audire* debet cum magna patientia, maxime si poenitens rudis est, vel scrupulosus, vel in narratione prolixus, vel saepius recidivus.

3. Poenitentem *interrogare* debet si opus fuerit. Dixi: *si opus fuerit;* nam si poenitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta ejus statum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus, et alio rudis), tunc confessarius non tenetur ultra eum interrogare. — Quod si cognoverit poenitentem non satis diligenter conscientiam s u a m discussisse, tunc, quamvis debitum examinandi conscientiam praecipue ad poenitentem pertineat, nihilominus (quidquid dicant alii Th.) non est dubitandum, ait S. Alph., quod confessarius teneatur poenitentem interrogare prius de peccatis in quae verosimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie et numero. Quare male se gerunt confessarii qui rudes dimittunt ut melius se examinent; talis enim agendi modus, ait P. Segneri, est error intolerabilis, quia hujusmodi poenitentes per quantum laborent, difficiliter se examinabunt ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse confessarius eos examinare; et contra, si dimissi sunt, periculum erit,ne exterriti difficultate se examinandi, a confitendo se retrahant, et in peccatis obdurescant. Qua de re confessarius debet ipse ab hujusmodi poenitentibus peccata exquirere, eos interrogando secundum ordinem praeceptorum, praecipue si sunt famuli, aurigae, muliones, milites, caupones et alii hujus generis, qui vitam solent ducere aeternae salutis negligentes, et rerum divinarum ignorantes, procul a concionibus et ecclesiis. Et pejor error esset, si confessarius ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendae essent confessiones multorum annorum, propter majus periculum, quod tunc subest, nempe quod, si non redeat, peribit.—In interrogationibus confessarius advertat se non teneri tam minute poenitentem interrogare: interroget tantum de peccatis in quibus faciliter poenitens incidere potuit, spectata ejus conditione et capacitate. — Nonnulli confessarii vero interrogant tantum de specie et numero peccatorum, et nihil amplius, et, si vident poenitentem dispositum, eum absolvunt; sin minus, quin aliquid ei dicant statim dimittunt, dicendo: *abi, non possum te absolvere.* Non ita boni confessarii agunt; hi prius indagare incipiunt originem mali et ejus gravitatem, interrogando poenitentem de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis, cum quibus, et quibus rerum circumstantiis. Sic enim melius poterunt poenitentes corripere eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria applicare[1].

4. Confessarius *examinare*, seu *cognoscere* debet conscientiam poenitentis. Et hic multa advertenda sunt: — 1° Melius esse si singillatim examinet peccata statim

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. XVI, 106.

ac ea exponit poenitens, quam si differat examen usque ad finem : quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quae audivit, aut obligandus esset poenitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa. — 2° Errare eos confessarios qui volunt certum judicium facere de peccati qualitate, an sit grave, vel leve, exquirendo a rudibus istis, si pro mortali habeant, an pro veniali ; hi enim multoties respondent ut casus sibi verba suggerit, texte experientia, nam si paulo post iterum interroget, respondent modo omnino a primo diverso. — 3° Circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliquis tenetur, cum non possit haberi numerus certus, curet confessarius statum poenitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est, et deinde interroget de numero, interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense, proponens ei plures numeros, v. g. ter, aut quater, octies, vel decies, ut videat cui numero potius ille adhaeret. Et si poenitens numero majori adhaeret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori. Sed in hoc confessarius advertat ne formet de numero iudicium certum ; notet frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, apprehendendo peccata quotquot sint coram Deo... Ceterum post duas, vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si judicium quod facit sibi videtur esse nimis confusum : nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. — Regulariter loquendo non expedit ut confessarius reprehendat poenitentem in confessionis cursu ne ille exterrefactus omittat aliquod peccatum. Nihilominus expedit aliquando intra confessionem ei proponere malitiam alicujus gravioris peccati, modo statim ei praebeatur animus dicendo : *Sed nunc vis vere vitam mutare? eja ergo, fac ut haec confessio sit bona : noli timere : dic omnia peccata, quoniam ab omnibus te absolvam.*

5. Confessarius *instruere et monere* poenitentem debet tum circa ea quae scire debet necessitate medii, et etiam necessitate praecepti, si ejus ignorantia est vincibilis, vel, si invincibilis, monitio profutura censetur, tum circa obligationes quibus teneri potest, puta occasionem proximam vitandi, scandalum reparandi, famam, aut rem ablatam restituendi, officia proprii status adimplendi, etc. In his tamen monitionibus magna prudentia opus est ne monitio e profutura nocitura evadat.

6. Confessarius *remedia* poenitenti insinuare debet, quae opportuniora judicabit pro illius salute, imponendo poenitentias quae magis conveniunt ejus infirmitati, et quas prudenter judicabit illum fore executurum. Remedia autem quae insinuare debet alia sunt generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari.

Remedia *generalia* omnibus insinuanda, sunt : — 1° Amor erga Deum, quia ipse ad hunc solum finem nos creavit. Et curet pariter, ut poenitens cognoscat pacem interiorem qua donantur qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur qui

alieni sunt a Deo, addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. — 2° Saepe se commendare B. M. V., Angelo Custodi, et alicui Sancto peculiari protectori. — 3° Frequentia Sacramentorum, et si unquam in aliquod mortale inciderit, statim confiteri. — 4° Consideratio veritatum aeternarum. — 5° Dei praesentia, cum urget tentatio, dicendo *Deus me videt.* — 6° Quolibet vespere conscientiam scrutari cum animi dolore et proposito. — 7° Saecularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant; et Sacerdotibus, oratio mentalis, et gratiarum actio post Missam.

Remedia autem *particularia* assignabuntur pro vitiorum diversitate: — v. g. pro illo, qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ei ut quotidie saltem semel dicat Orationem Dominicalem, et Salutationem Angelicam in honorem sanctorum quos blasphemavit, et quolibet mane, dum e cubiculo surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter quolibet mane dicat B. M. V.: *Domina mea, dona mihi patientiam.* — Pro illo, qui aliquo odio tenetur, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, et cum se turbari sentit memoria injuriae sibi illatae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. — Pro illo, qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et pro illo, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum factae erunt proximae. Huic praecipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter salutationem Angelicam in honorem puritatis B. M. V. mane et vespere, repetendo semper coram Ejus imagine propositum non peccandi, et supplicationem ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem confessarius curet ut is frequenter communicet, cum Eucharistia dicatur *Vinum germinans Virgines* [1].

7. Confessarius *disponere* tenetur poenitentem quantum potest, si indispositus accedat. Ad rem S. Alph.: Nescio quomodo excusari possint coram Deo illi confessarii desides, qui ubi cognoscunt poenitentem non esse satis dispositum, eum a se dimittunt, dicendo ei inurbano modo: *discede hinc; te absolvere non possum; redi in posterum.* Ego dico: confessarium, quoties poenitentis confessionem suscipit, sub rigorosa caritatis obligatione, quantum facere potest, teneri ut ad absolutionem eum disponat, ei proponendo illius *peccatorum turpitudinem, gratiae divinae efficaciam, damnationis periculum,* et his similes veritates. Nec sua referre debet quod in hoc tempus insumatur, et quod reliqui poenitentes abibunt, ne tantum expectent, nam tunc non tenetur aliorum bono prospicere, sed tantum poenitentis sui; pro hoc dumtaxat illo tempore Deo rationem redditurus est, non pro aliis. « Satius est, dicebat S. Franciscus Xaverius, paucas confessiones audire, et rite factas quam multas, et temere properatas, et sine fructu ». Quot istorum ad me venerunt indispositi, et ego divino auxilio opitulante disponere curavi: et dispo-

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. XXI, 5, 6.

sitos tuto, et mea maxima consolatione absolutos dimisi! Saltem hoc inserviet ut bene instituatur ad reddendum dispositum poenitentem pro tempore, quo redituras erit[1]. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi poenitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulas ne a Deo veniam de omnibus his?* (quod revera non est verus actus doloris). *Te poenitet ex corde omnium peccatorum?* et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Aliud sane est bonorum confessariorum institutum: hi enim imprimis elaborant ut poenitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant, et prius per attritionis actum eos praeparent, v. g.: *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? in inferno! In illo igne semper cruciandus esses... nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses... ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam aeternitatem... igitur tene poenitet Deum offendisse, propter infernum quem meruisti?* Hinc advertendum est non fieri actum attritionis, si quis diceret, se poenitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet ut dicat se poenitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet ut eliciatur actus contritionis hoc modo: *Fili mi, quid egisti? Peccasti in Deum summum et infinite bonum: peccasti in Patrem, Benefactorem, Creatorem, Redemptorem,* etc. *Detestare ergo, peccata tua, et odio habe super omnia mala,* etc. [2].

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. XVI, 105.
[2] S. Alph. Hom. Ap., T. XVI, 117.

8. Confessarius tandem, his omnibus peractis, *ad absolutionem* procedere debet, circa quam haec observare oportet: 1° Si poenitens sit rite confessus et dispositus, et dilatio absolutionis non videatur profutura, tunc confessarius *tenetur* ex justitia ex quasi contractu erga poenitentem et sub gravi absolutionem ei dare, etiamsi nulla obligatione tenebatur ad confessionem audiendam; ratio, quia confessarius non est dominus, sed minister absolutionis, et poenitens rite confessus et absolutione dignus ex fine institutionis hujus Sacramenti jus ad ipsam habet. Et hic adnotari oportet quod, ut absolutio dari possit, requiritur et sufficit ut confessarius habeat de dispositione poenitentis certitudinem non absolutam sed moralem, nempe prudentem probabilitatem de tali dispositione; alias, ait S. Alph.[3] vix ullus posset absolvi; quam prudentem probabilitatem unusquisque confessarius naturali prudentia et divino lumine implorato sibi efformare debet. — 2° Licet poenitens sit rite dispositus, si confessarius tamen prudenter judicabit dilationem absolutionis poenitenti notabiliter profuturam esse, differre ipsam potest etiam sine poenitentis consensu; imo si hoc remedium dilationis saluti poenitentis necessarium vel utile esse judicabit, confessarius non solum potest, sed juxta S. Alph. etiam *tenetur* absolutionem differre; ratio, quia confessarius non est tantum judex, sed etiam medicus, qui propterea omnia remedia adhibere debet quae saluti poenitentis judicabit opportuniora. Di-

[3] S. Alph., L. VI, 461.

latio tamen absolutionis, si ipsa necessaria, vel saltem utilis videtur, debet esse *brevis*, et aliquando dilatio unius *diei*, vel etiam unius *horae*, aut *quadrantis* sufficere potest ad consequendum finem optatum, qui ex dilatione speratur; nec ultra *octo*, vel *decem* dies dilationem absolutionis protrahere convenit, nisi per exceptionem longior dilatio necessaria videretur pro iis qui tempore paschali confitentur forsan eo fine ut absolutionem carpant, vel pro iis qui in occasione proxima et extrinseca versantur. Verum semper sufficiet dilatio *unius mensis*.—Ceterum si absolutio differri nequeat sine poenitentis incommodo, statim concedenda est, quia tunc dilatio non esset amplius utilis, sed damnosa. In magnis autem urbibus, observat Cl. Marc [1], vel in regionibus impiis, ubi fides collapsa est, vix unquam expedire videtur ut differatur absolutio; secus alibi, ubi fides viva est. — 3° Si poenitens est dubie dispositus, confessarius absolutionem differre debet, donec dubium perseverat; secus Sacramentum exponeret periculo nullitatis, nisi adsit casus gravis necessitatis, tunc enim absolutionem sub conditione impertiri potest, imo etiam debet juxta dicta n. 504. — 4° Tandem, si poenitens certe indispositus sit, confessarius omnino absolutionem negare debet; curet tamen pro viribus ut ipsum dispositum efficiat, secus illum dulcibus verbis dimittat ut libenter et cito redeat.

[1] *Marc*, II, 1816.
[2] S. Alph. Hom Ap., T. ult. 1.
[3] S. Alph., L. VI, 452; Hom. Ap., T. ult. n. 2; *D'Annibale*, I, 172 (64).
[4] In occasione proxima periculum aestimari potest tum a priori, tum a posteriori.—*A priori* (si nunquam antea in ea occasione versatus fueris) si periculum sit vere graviterque probabile. — *A posteriori*, si est moraliter

Art. II.

De speciali agendi ratione confessarii cum variis poenitentibus.

Monitum. — Maxima confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt, aut recidivi. Hi sunt duo magni scopuli in quos major confessariorum pars impetunt et deficiunt [2].

§ 1°

De occasionariis.

570. — *Q.* Quid est occasio, et quomodo dividitur?

R. Occasio est *omne objectum externum, quod continet et praestat periculum peccati.* Dicitur: 1° *Omne objectum externum,* unde neque fragilitas humana, neque passiones, neque pravi habitus occasiones dici possunt; 2° *quod praestat periculum,* ideoque non tantum opportunitatem; 3° periculum *peccati,* adeoque periculum consensus, et non tentationis tantum; nisi forte tentatio vehemens sit [3].

1. Occasio alia est *remota,* alia *proxima.* — *Remota* est quae periculum continet tenuiter probabile; et de hac non loquimur, quia haec ubique reperitur, secus oporteret exire de hoc mundo. *Proxima* est quae periculum graviter probabile continet [4]; et de hac sola hic sermo.

2. Occasio proxima alia est *vo-*

luntaria, quae facile removeri potest ; alia est *necessaria,* vel *physice,* quae absolute removeri nequit, vel *moraliter,* quae quidem absolute removeri potest, sed non sine gravi damno, vel gravi periculo infamiae.

3. Occasio proxima insuper alia est *in esse,* seu *praesens,* quam nempe quis penes se habet, quin actu eam quaerat, v. g. si quis concubinam domi retinet ; et alia est *non in esse,* seu *absens,* quam quis secum non habet, sed eam inquirere debet, uti ebriosus qui cauponam petit.

4. Occasio proxima demum alia est talis *per se,* seu *absolute ;* alia est talis *per accidens,* seu *relative.* Proxima *per se,* seu *absolute,* est illa in qua homines communiter ut plurimum peccant: proxima *per accidens,* seu *relative,* est illa, quae licet respectu aliorum non sit proxima, est tamen talis respectu alicujus in particulari, vel quia in tali occasione frequenter est lapsus, vel quia spectata ejus praeterita fragilitate prudenter timetur ipsius lapsus [1].

Notandum quod aliquando occasio quae respectu aliorum communiter est proxima, respectu hominis valde pii et cauti poterit esse remota.

571. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum poenitente qui est in occasione proxima et voluntaria ?

R.— **1.** Si poenitens non vult occasionem proximam et voluntariam dimittere, confessarius eum absolvere nequit, quia evidenter poenitens adhuc affectum ad peccatum servat. Unde Innocentius XI seq. propos. damnavit : *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest et non vult dimittere,* n. 61.

2. Si poenitens est in occasione voluntaria, sed *non in esse,* seu *absente,* recte docet S. Carolus quod poenitenti firme promittenti se ab ea abstinere, potest semel, bis, et etiam ter absolutio dari. — Quod si deinde occasionem non aufert, et eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat.

3. Si poenitens vero est in occasione *in esse,* seu *praesente,* ait S. Carolus, poenitentem neque prima vice esse absolvendum (quascumque promissiones proferat), nisi prius occasionem removeat. Et hanc sententiam S. Alph. censet, *saltem ordinarie loquendo* omnino sequendam, quia remotio hujus occasionis est valde difficilis, et magnum conatum requirit ; et ideo si occasio non auferatur ante absolutionem, poenitens se decipiet, falso sibi suadendo quod tentationibus resistet, et sic, occasione non dimissa, profecto redibit ad vomitum.

Dixi *saltem ordinarie loquendo ;* nam quibusdam in casibus confessarius bene potest eum absolvere

certum, vel probabile, vel leve; nempe si in ea occasione, v. g. decies constitutus, lapsus fueris octies, aut septies, tunc periculum est *moraliter certum;* si ter, aut quater, est *probabile;* si semel tantum, est *leve.* Quamobrem, ex hoc capite, occasio proxima nec ea solum dicenda est in qua quis constitutus ut plurimum peccavit ceu visum nonnullis; nec ea in qua pariter peccavit et a peccando se abstinuit, ceu visum aliis ; sed ea in qua frequenter peccat. — *D'Annibale,* I, 172, (65); S. Alph. Hom. Ap., T. ult. n. 1.

[1] S. Alph., L. VI, 452.

etiam antequam occasionem abstulerit, nimirum si agatur de moribundo, cui absolutio differri nequit; — vel si agatur de poenitente qui a suo domicilio notabiliter distet, nimis enim durum esset eum cogere domum regredi ut occasionem dimittat et postea iterum redeat ad absolutionem recipiendam; — vel si agatur de poenitente, qui ad eumdem confessarium redire non possit, vel saltem nonnisi post longum tempus; — vel si agatur de poenitente, qui affert signa extraordinaria doloris.

Verumtamen, ait S. Alph., semper ac absolutio differri possit, tunc illam etiam ei differrem, usquedum occasionem in effectu non abstulerit [1].

572. -- *Q.* Quid si poenitens est in occasione proxima, sed necessaria?

R. Si poenitens verum habet propositum se emendandi, et media adhibendi, ad emendationem, capax est absolutionis. — In *praxi* tamen expedit absolutionem differre, praesertim si occasio sit de materia turpi, secus poenitens facile remedia praescripta negliget, et sic cito in eadem peccata relabetur. « Ego, ait S. Alph., semper sic me gessi in *praxi*, et sic pergam me gerere cum iis qui sunt in occasione proxima, quamvis necessaria, et quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; et sic censeo multo magis prodesse poenitentium saluti. Utinam et omnes confessarii sic etiam se gererent, oh quot peccata evitarentur, et quot aliae salvarentur animae! »

Quod si quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relabitur, est quidem omni studio adjuvandus, hortandus, confortandus, ut alia atque alia remedia adhibeat, orationem, mortificationem, frequentiam Sacramentorum, maxime meditationem novissimorum, etc.; sed tamen si, etiam remediis adhibitis, modica superesset spes emendationis, tunc dicit S. Alph., huic omnino negandam esse absolutionem n i s i prius occasionem tollat. Et hic reor instare Evangelii praeceptum: *Quod si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* (Matth. V, 29). Excepto casu quo poenitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, ut posset concipi prudens spes emendationis [2].

§ 2°

De habituatis seu consuetudinariis, et recidivis.

573. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum habituatis?

[1] His, qui morantur in occasione voluntaria, absolutionem prima vice dare convenit, si ea non est *in esse*; si est *in esse*, quidam putant adhuc dari posse; quidam contra nisi prius illam removerint. Et hoc quidem tutius; sed utrum consultius in re praesenti, hoc in aestimatione confessoris esse debet; qui varie ex personis, loco, tempore, causis constituet, prout ei caritas et prudentia suggesserint. *D'Annibale*, III, 337.

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. ult. 7.—Praedicta obligatio poenitenti intimanda est hoc modo: Aut unum aut alterum prorsus faciendum est, nempe aut tandem nonnisi emendatus redire, aut cum maximo incommodo occasionem amovere; prius tamen cum divina gratia in tua est potestate.—*Aertnys*, L. VI, 308, q. 2°. — At hic casus videtur potius hypotheticus. Cf. *Génicot*, II, 374.

R. Praemitto: Habituatus seu consuetudinarius est *ille qui habitum contraxit in aliquo peccato per repetitos et continuos relapsus.* — Et hic advertendum est, quod quinque vices in mense jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum, et bestialitatum multo minor numerus habitum potest constituere: qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dici potest. His praemissis:

Habituatus seu consuetudinarius, qui prima vice confitetur, bene potest absolvi, etsi nulla praecesserit emendatio, dummodo dispositus sit per verum dolorem et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem. Verum si habitus esset valde radicatus, nec adsit gravis causa eum statim absolvendi, tunc confessarius potest ei differre absolutionem ad experiendum quomodo poenitens in praxim deducat media praescripta, et etiam ut ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem.

574.—*Q.* Quinam dicitur recidivus?

R. Recidivus dicitur *ille qui post confessionem, licet admonitus, tamen sine ulla, aut fere ulla emendatione, in eadem peccata relapsus est.*—Itaque ut quis recidivus dicatur, requiritur: 1° ut post confessionem in eadem peccata relapsus sit; 2° ut admonitus fuerit de iis evitandis; 3° ut relapsus sit sine ulla, vel fere ulla emendatione.

Unde qui ante confessionem pluries in eadem peccata relapsus fuit, recidivus non dicitur, sed habituatus; — nec dicitur recidivus, qui post confessionem non in eadem, sed in alia peccata relapsus sit; — nec qui in eadem quidem relapsus sit, sed ante admonitus non fuit a confessario; — nec qui post monitionem, vel aliquatenus emendatus redierit, v. g. per aliquod tempus se continuerit; vel, etsi nihil se continuerit, studuit saltem pravos habitus extirpare, occasiones proximas removere, aut remotas reddere, uno verbo si media a confessario praescripta executioni aliquo modo mandaverit. — Quare isti omnes, utpote non recidivi, si vera signa afferunt doloris, absolvi poterunt [1].

575. — *Q.* Recidivus potest ne absolvi?

R. Tres adsunt sententiae. *Prima* dicit absolvendum esse toties quoties confitetur, nisi ex aliqua circumstantia judicetur indispositus; alias semper dispositus est censendus. Sed haec sententia, ait S. Alph., falsa est, quia ut confessarius possit poenitentem absolvere debet esse moraliter certus de ejus dispositione. Recidivus vero si jam in alia confessione fuit admonitus, et eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, et nullo impleto ex mediis a confessario praescriptis, prudentem suspicionem praebet quod sua poenitentia non sit vera. — *Secunda* omnino opposita dicit hunc nunquam censendum esse dispositum ad absolutionem, nisi diu conversionem suam per emendationem probaverit. Sed haec sententia est intollerabilis rigoris: sola enim temporis probatio non est unicum signum mutatae voluntatis, sed adsunt plura alia signa praesentis dispositionis, quae multo me-

[1] *D'Annibale*, III, 338.

lius manifestant mutationem voluntatis. Unde Th. communiter dicunt, quod *dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura, atque ita poenitens poterit absolvi, licet judicetur relapsurum* [1]. — *Tertia* sententia communis, quam sequitur S. Alph., tenet quod recidivus rediens cum eodem pravo habitu non potest absolvi, nisi afferat signa extraordinaria suae dispositionis.

576. — *Q.* Quaenam sunt signa extraordinaria doloris?

R. Plura sunt haec signa: 1° major dolor manifestatus per suspiria, per lacrymas, modo ex corde proveniant, et non tantum ex humano affectu, ut aliquando contingit, praesertim in mulieribus, vel manifestatus per verba ex corde procedentia, quae aliquando certiora signa quam lacrymae esse possunt; 2° si poenitens notabiliter minuerit numerum peccatorum; vel si relapsus fuerit post magnam resistentiam; vel si ante confessionem per plures dies se abstinuerit a culpis mortalibus in quas prolabi assuetus erat; 3° si adhibuit diligentiam pro emendatione, et media praescripta a confessario executioni mandaverit; 4° si ipse petit a confessario remedia, aut nova media ad emendationem; vel si nunquam monitus ab aliis confessariis, nunc sincere promittit illa media adhibere; 5° spontanea confessio, nempe si non accedit impulsus a parentibus, a domino, et venit omnino sponte et vere inspiratus a divino lumine, ad solum finem ut divinam gratiam recipiat, praesertim si ad confitendum grave sustinuerit incommodum, v. g. longum iter, magnum conflictum internum, aut externum; 6° si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam praesertim tempore missionis, aut spiritualium exercitationum, ob mortem amici, ob metum alicujus imminentis flagelli, terraemotus, pestis, etc.; 7° si poenitens confiteatur peccata antea per verecundiam reticita; 8° si poenitens, antequam accedat, restitutionem rei, vel famae adimplevit, etc.

Ex dictis patet quod signa extraordinaria doloris non sunt quid rarum, magnum et difficile. Imo dicendum est quod nostris praesertim temporibus poenitentes recidivi, qui ad confessarium redeunt, semper vel fere semper unum vel alterum habent ex praedictis signis, vel saltem facile habere possunt post monita et exhortationes pii et fervidi confessarii. Hodie vero semper aut fere semper adest hoc signum, nempe confessio spontanea. Unde concludit S. Alph., quod semper ac aliquod adest signum, quo prudenter judicari possit poenitentem mutasse voluntatem, bene absolvi potest [2].

E contra non dat signa veri doloris poenitens: 1° si redeat eodem vel quasi eodem numero peccatorum gravatus, nec ullum conatum ad emendationem adhibuerit; 2° si nihil fecerit, et omnino neglexerit remedia quae ei suggesserit confessarius; 3° si accedat necessitate coactus, quia nempe urget praeceptum paschale, vel praeceptum parentis, domini, superioris, etc.; 4° si excuset gravitatem suorum peccatorum, si cum confessario contendat, si

[1] S. Alph., L. VI, 459.

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. olt. 12, 13.

congruam poenitentiam recuset, etc.[1].

577.— Q. Quomodo Confessarius se gerere debet cum recidivis?

R. — 1. Si recidivus redeat of-

[1] Igitur, ait Cl. Gousset, ut recidivus absolvatur non est expectandum donec pravum habitum omnino exuerit; sed sufficit si, ad eum eradicandum operam impendens, lapsuum numerum imminuerit. At vero hujusmodi peccatorum imminutio, haec vitae mutatio esse debet sensibilis, notabilis; verumtamen plus minusve, prout actuales dispositiones, quas poenitens praesefert, plus minusve satisfacientes sunt. Sacramentum enim poenitentiae est inter media aptissima ad praemuniendum contra ipsum relabendi periculum, praesertim cum agatur de pravo habitu contra sextum; estque pro consuetudinariis et recidivis id, quod sunt medicinae pro infirmis lenta febri laborantibus, cujus accessus sunt plus minusve frequentes, quae ordinario perfectam et stabilem valetudinem non pariunt, nisi saepius repetitae; diuturna est reconvalescentia ab hujusmudi morbo. Non est confundendus fructus u n i u s confessionis, cum fructu plurium; remedium, semel tantum adhibitum, eumdem effectum sortiri nequit, ac si saepius adhibitum fuerit. Uti efficax habetur remedium, quando semel receptum febrim suspendit, etsi non impediat quominus post aliquot dies adhuc revertatur, et perfecta valetudo expectanda tantum sit a remedii repetitione, quod una cum febri etiam pravos eliminet humores, unde febris gignitur; ita Deus non tribuit unicuique confessioni omnipotentem virtutem, quae omnes producat effectus. Unaquaeque confessio valide peracta omnia delet peccata, sed non omnes tollit consequentias, uti infirmitatem et inclinationem ad relapsum: imminuit quidem, sed non omnino vim adimit habitui pravo. Salutaris hic effectus, juxta ordinarium providentiae morem, repetitis confessionibus reservatur, quae paullatim peccatorem liberant a peccatorum consequentiis, eumque ita roborant, ut solida et constanti animae valetudine in posterum fruatur.

Legimus etiam apud S. Alphonsum (Praxis Confess. n. 77): « Deus male habituato magis succurrit, et ideo plusquam a dilatione absolutionis sperari potest emendatio a gratia Sacramenti, quae illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media, quae ipse adhibebit ad habitum extirpandum. Et Card. Toletus (Lib. V, c. 13) loquendo praecise de peccato pollutionis, censet ad tale vitium vitandum non esse remedium efficacius, quam saepe se munire Sacramento Poenitentiae, et subdit hoc sacramentum maximum esse fraenum hujusmodi peccatum committentibus; et qui eo non utuntur non sibi promittant emendationem, nisi per miraculum. Revera S. Philippus Nerius (ut legitur in ejus vita) praecipue hoc medio frequentis confessionis utebatur pro recidivis in tali vitio. Huic quoque confert quod ait Rit. Rom. agendo de poenitentia: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulère, ut saepe confiteantur et, si expediat, communicent.* Dicendo *facile recidentibus*, certe intelligit loqui de iis, qui nondum pravum habitum extirpavere. Aliqui auctores, qui per solam rigoris viam videntur velle animas salvas facere, dicunt recidivos pejores fieri cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his magistris meis, an recidivi, qui sine absolutione dimittuntur, carentes gratia sacramenti, omnes emendentur? Quot ego miseros novi in exercitio missionum, qui, dimissi sine absolutione, vitiis et depravationi se abjecerunt, et per plurimos annos omiserunt confiteri! »

Quoad media dimetiendi recidivorum emendationem, attendendum est morali poenitentis conditioni et circumstantiis, in quibus versatur; tum etiam modo quo peccatum committitur, et tentationum vi atque frequentia et relapsuum numero. Ex hisce omnibus inferri potest, an relapsus sint effectus malitiae aut fragilitatis. Qui v. g., peccat ex habitu vetustiori, a quo difficilius liberatur; qui naturali inclinatione magis est ad malum proclivis; qui ut ad peccatum induceretur majori tentationum numero in eodem temporis spatio lacessitus fuit; is, paribus lapsibus, majorem meretur indulgentiam, quia in eo plus invenitur fragilitatis et minus malitiae quam in altero qui diversis in circumstantiis et magis ad virtutem opportunis pecca-

ferendo *signa extraordinaria* doloris, certe absolvi potest; quia tunc prudenter judicatur satis dispositus, et adest spes emendationis[1].

2. Si vero recidivus redeat, offerendo tantum *signa ordinaria* doloris; nempe si solum asserat se poenitere, et emendationem proponere, tunc confessarius omnem curam adhibere debet ut poenitentem ad recipiendum beneficium absolutionis melius ac certius disponat. Quo peracto, vel ponitens est *certe* dispositus, et absolvi potest; vel est *dubie* tantum dispositus, et tunc si absolutio differri potest sine gravi incommodo, differi debet. Si vero absolutio ei differri nequeat sine notabili ejus animae detrimento, ut v. g. si agatur de moribundo, qui omni quo potest modo est adjuvandus; vel de eo qui non tam facile opportunitatem habiturus sit iterum confitendi; vel de quo prudenter timeatur, quod non amplius ad confessionem redibit, etc., tunc absolvi potest, et generatim debet, sed sub conditione, ut dictum fuit n. 504.

3. An vero tali poenitenti recidivo, sed hic et nunc disposito, absolutio differri expediat, Th. dicunt certe non expedire quando dilatio afferre potest magis detrimentum, quam profectum; vel si ob dilationem poenitens subire deberet aliquam infamiae notam, aut periculum.

Extra autem hos casus, Th. alii aliter dicunt; unde bene ait Cl. D' Annibale: quaestio haec *ex spe* emendationis expedienda videtur;

verit. Quando agitur de actibus qui fiunt faciliter et prompte, ut interior consensus cogitationibus odii aut impuritatis, ordinarie loquendo in iis minor habetur malitia, quam in actibus externis. Item inter actus exteriores minorem habet locum malitia in peccatis operis,quam in iis quae manibus consummantur, minorem in peccato a se, quam in peccato seductoris. Ex quo infertur posse quidem absolvi poenitentem, qui, cum habuerit habitum proferendi mala verba sex aut etiam ultra sex vicibus in die, nonnisi semel, aut bis in die per integram hebdomadam protulerit; et e contra opportunius differendam esse absolutionem ei qui, cum semel quotidie peccare opere consueverat, bis, aut tribus vicibus intra hebdomadam relapsus sit; nam ille primus majores quam alter adhibuit conatus ad se corrigendum. Interea hic si in talibus versetur circumstantiis, in quibus dilatio eum exponeret majori spirituali detrimento, veluti si timendum sit, ne animo cadat, vel si nequeat ad eum confessarium redire, vel si recepturus sit Matrimonii sacramentum, quod differre nequeat, tunc indulgentia est adhibenda et absolvendus, postquam omnia fuerint peracta, quae caritas suggerit, ut ad vividiorem peccatorum dolorem poenitens excitaretur.

Attendenda est etiam poenitentis aetas; et, ceteris paribus, cum adolescentibus major indulgentia adhibeatur; tum quia sunt naturaliter infirmiores et mobiliores, eadem levitate a bono ad malum, et a malo ad bonum transeuntes; tum quia timendum est, ne absolutionis dilatio, praesertim ubi fides languida est, eos exanimet, ratione conatuum qui sunt adhibendi ad superandum humanum respectum, qui nimium a Sacramentis alienare solet. Attamen confessarius in hisce casibus misericordiae indulgens poenitentem non absolvat, nisi postquam eum ad contritionem ita excitaverit, ut prudenter judicet illum et sua detestari peccata et sinceram habere intentionem mores immutandi. Art. XI, § 2°, *De recidivis*.

[1] Cl. Gury dicit quod recidivus, si signa tantum ordinaria affert, etiam potest absolvi, si absolutio non potest facile differri; quo in casu confessarius curare debet ut eum meliori modo disponat. Sed animadvertit Cl. Ballerini, quoad signa, quae Gury ordinaria vocat, fere ea sunt, quae S. Alph., extraordinaria appellat; quare in re convenire videntur.

ex hac enim pendet salus aeterna poenitentis; spes autem in aestimatione confessarii esse debet. — Et S. Alph. sic habet: Dicendum quod in hoc puncto *certa regula statui nequit,* sed confessarius juxta occurrentes circumstantias se gerere debet: Deo se commendet, et secundum quod se sentit inspiratum, sic faciat. Ipse vero ita censet: Si poenitens relapsus est ex *fragilitate intrinseca,* ut in peccatis irae, blasphemiae, pollutionis, tunc dico cum sententia communissima Doctorum, raro expedire differre absolutionem recidivo, si ille est dispositus; nam sperari debet magis gratiam Sacramenti quam dilationem absolutionis illi prodesse posse. — E contra si poenitens relapsus est ex *occasione extrinseca,* sive voluntaria, sive necessaria, tunc dilatio absolutionis magis profutura erit; nam experientia constat quod isti recidivi ex occasione externa, capta absolutione ab aliquo confessario parum cauto, minime postea attendunt ad occasionem removendam, et sic statim deterius relabuntur.

Ceterum certum est, quod in hac materia dandi, vel differendi absolutionem tam errant qui plus justo sunt faciles, quam ii qui sunt difficiles ad absolvendum[1].

Hinc ad rem optime scribit Cl. D' Annibale[2]: Nec probandi sunt illi quibus hoc remedium (dilatio absolutionis) absolute placet; vel absolute displicet; sed varie aestimari debet ex rerum adjunctis, et maxime: 1° Ex *peccatis,* quasi morbis; nam quis aeque indulgeat, v. g. his qui furta, et his qui actus odii iteraverint? 2° Ex *personis,* quasi aegrotis; nam remedia quae aliquibus prosunt, aliis possunt nocere propter diversas infirmorum dispositiones. 3° Demum, si quid judico, ex *tempore;* sane olim opinio communis fuit, dilatam absolutionem regulariter prodesse magis quam obesse; at hac nostra aetate vereor ne contra accidat.

§ 3°

De modo se gerendi cum pueris.

578. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum pueris?

R.—1. Confessarius cum pueris adhibere debet omnem caritatem, et modos suaviores, quantum fieri potest: ideoque ipsos libenti animo excipiat et audiat, etsi ad primam Communionem nondum admissos. Hi pueri speciali indigent cura parochi et confessarii, sive ut a primis annis vitia e cordibus suis evellant, sive ut in eorum cordibus virtutes inserant.—Igitur pessime se gerunt parochi et confessarii qui hos pueros, eo quod ad primam Communionem nondum sunt admissi, confiteri renuunt. Nonne hi pueri jam usu rationis praediti in peccata venialia, imo et aliquando etiam mortalia prolabi possunt? Igitur ipsos non confiteri, sicque in statu peccati aliquando mortali, ideoque in statu perditionis eos relinquere, nonne est perniciosissimus abusus, imo vera crudelitas? — Alii vero confessarii hos pueros quidem confitentur, eorum peccata audiunt, opportunas interrogationes et correptiones non omittunt, et ad dolorem suorum peccatorum ipsos

[1] S. Alph. Hom. Ap., T. ult. 14, 15.

[2] *D' Annibale,* III, 342, (39).

excitant, at post haec omnia quid faciunt? pro absolutione meram benedictionem ipsis impertiuntur. At vero talis agendi modus nonne est vera irrisio, et crudelis animarum proditio? Illi pueri, confessione rite peracta, si dispositi sunt, jus strictum ad absolutionem habent; et post confessionem domum paternam petunt gaudentes, quia pro certo habent se a confessario a propriis peccatis absolutos fuisse; at proh dolor! domum redeunt iisdem peccatis gravati, quia pro absolutione meram benedictionem acceperunt. Crudelis deceptio! Benedictio pro absolutione! signum crucis pro Sacramento!

2. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis jam habeant, prout si distincte confitentur, vel interrogationibus adaequate respondent, et appareat quod ipsi jam comprehendant peccato offendisse Deum, et meruisse infernum, tunc, si satis videantur dispositi, absolvantur. Et, si in peccatis sint recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti. Si autem dubium sit, an puer perfectum usum rationis habeat, prout si ille in actu confessionis non maneret compositus, sed oculos in girum ageret, manibus jocaretur, impertinentia interponeret, tunc, si adest gravis causa illum absolvendi, ut si deponat aliquod dubium mortale, vel si urgeat praeceptum paschale, aut periculum mortis, absolvendus est sub conditione. Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus. Recole dicta n. 504, et 577.

3. Confessarius pueros interrogare debet, an sciant veritates fidei; et si nesciant, tunc se gerere debet ut dictum fuit Vol. I, n. 340.

4. In materia turpi sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longe, et verbis generalibus, et prius, an dixerint mala verba? an jocati fuerint cum aliis pueris, aut puellis? an jocos illos clam exercuerint? Deinde interroget, an commiserint res turpes? multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, v. g. *et nunc dic mihi, quoties haec fecisti? quinquies, decies?* Interroget cum quo dormiant, et an in lectulo manibus jocati fuerint? Et a responsis procedat ad ulteriores interrogationes, sed caveat ab exquirendo a puellis, vel a pueris, an adfuerit seminis effusio: cum his enim melius est deesse integritati materiali confessionis, quam esse causam ut apprehendant quae nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi.

5. Circa statum ab aliquo adolescente eligendum, ejus vocationem bene examinet, et maxime expendat finem, an sit rectus, vel non. Et si poenitens in aliquam religionem ingredi cupiat, confessarius ante omnia bene ponderet, an observantia floreat in illa religione; nam si illud Institutum sit relaxatum, ordinarie loquendo, melius erit quod in saeculo remaneat, quia in tali Instituto se gereret sicut se gerunt alii, et decursu temporis parum illud bonum, quod prius exequebatur, facile negligeret, ut pluribus misere accidit. (Vide *Monita*, etc., Vol. I, pag. 367).

6. Quoad puellas quae virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, et edoctas in vitae spiri-

tualis regulis, et praecipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius festi [1]. (Vide *Monita*, etc., Vol. I, pag. 350).

7. Curet etiam quam maxime ipsis insinuare peculiarem devotionem erga B. M. V., ut recitent quotidie rosarium, et ter *Ave*, mane et vespere, semper hanc precem adjungendo : *Mater mea, libera me a peccato mortali.*[2]

§ 4°

De modo se gerendi cum mutis et surdis.

579. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum mutosurdo ?

R. Confessarius curet : 1° antea instrui ab illius familiaribus de ejus vitiis, et de modo tenendo, ut eum intelligat et ab eo intelligatur ; — 2° ad ejus confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum aliquod signum suorum peccatorum et doloris, meliori modo quo potest ; — 3° cum jam perceperit aliquod ejus particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere, et quidem absolute si habet quamdam moralem certitudinem de sua dispositione, secus sub conditione ; — 4° mutus, etsi scribere sciat, tamen non tenetur confiteri per scripturam, si magnum deberet subire laborem ad suam confessionem scribendam, aut si adesse posset periculum manifestationis, quia in hisce casibus scriptura esset medium extraordinarium ; seclusis his casibus, S. Alph. contra alios dicit, quod mutus tenetur ad confitendum per scripturam ; qui enim tenetur ad finem tenetur etiam ad media ordinaria. Recole dicta n. 461.

Quod si poenitentis surditas solum in actu confessionis cognoscitur, quomodo tunc gerere se debeat confessarius, v. dicta n. 463.

§ 5°

De modo se gerendi cum mulieribus.

580. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum mulieribus ?

R. Confessarius sit summe cautus et prudens in confessionibus mulierum. Haec praesertim observet :

1. In actu confessionis non ostendat eas agnoscere ; aliquae enim, quae religiosae haberi volunt, aliquando advertentes se nosci a confessario, non faciunt integram confessionem. Imprudentia quoque est conjicere oculos in poenitentes cum e confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri.

2. Extra confessionarium non immoretur ad colloquendum cum ipsis in ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis, et praecipue ad illarum domos nunquam accedat, uno excepto casu gravis infirmitatis ; et tunc nonnisi vocatus accedat, relinquat januam apertam, sedeat in loco ubi ab aliis videri possit, et nunquam oculos in faciem poenitentis defi-

[1] S. Alph. Homo Apost., T. ult. 37-40.

[2] *Marc*, 1848, 6°.

gat. Hac prudentia utatur praesertim erga personas spirituales, cum quibus est periculum majoris adhaesionis.

3. Demum non adeo sit mulierum confessionibus addictus, ut per hoc viros ad se venientes audire recuset. Probi enim confessarii, qui confessiones audiunt unice ut Deo placeant, animas indigentes praeferunt animabus devotis, quibus audiendis et auxiliandis, quando confessarius vult, tempus non deerit.

4. Quod si confessarius deprehendat quod aliqua poenitens affectum erga se ipsum conceperit, videat in primis, de quo affectu agatur. Interdum est mere spiritualis, quatenus poenitens quae proprio spirituali profectui serio attendit, amat illum qui animae suae bonum procurat, et tunc non est cur de repulsa loquamur, et solum adhibendae sunt cautelae ne affectus spiritualis in carnalem transeat. Idem dic si poenitens aliquibus quidem erga confessarium subjiceretur tentationibus, sed illis consentire non soleret. Attamen prudentia exigere potest ut poenitenti id manifestanti confessarius suggerat ut alteri sacerdoti prudenti rem totam exponat, ejusque consilio pareat.

Interdum e contra affectus ex levitate vanaque sympathia procedit, aut etiam omnino carnalis est. Hujus signa sunt speciatim si poenitens (personis fide dignis hoc referentibus) de pulchritudine confessarii, aut de amore quo erga illum afficitur, loquatur; si ab eo solo Communionem recipere velit; si zelotypiam ostendat contra alias; si ejus imaginem petat; si ejus visitationes exoptet; si munuscula vel dulciara ei praebeat; si, quin sit scrupulosa, singulis diebus pro confessione accedat multumque in confessionali immorari satagat; si semper eum videre nimisque frequenter cum eo esse procuret, etc.. In his casibus magna severitas necessaria est: et, si sermo brevis et durus non sufficiat, hujusmodi periculosissimae mulierculae, sin minus claudendo eis in faciem confessionalis ostiolum, saltem aliquo praetextu arceri debent[1].

§ 6°

De modo se gerendi cum personis piis

MONITUM.

Quod olim dixit Dominus Jeremiae: *Ecce constitui te super gentes ut evellas, et dissipes, aedifices et plantes*; idem nunc repetit singulis confessariis, qui non solum debent evellere vitia e suis poenitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est tradere quod poterit inservire confessariis tyronibus ad dirigendas animas spirituales ad perfectionem. Certe non sunt expellendi peccatores, ut superius diximus, sed opus multum Deo acceptum etiam est sponsas illi adornare, animas scilicet spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. *Acceptior est ejus oculis anima sola perfecta, quam mille imperfectae.*[2] Unde, cum videt confessarius poenitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis et di-

[1] *Berardi*, Praxis, n. 1083, 1135.

[2] S. Alph., *Praxis*, n. 121.

vini amoris introducat, illi repraesentando meritum quod habet Deus ut ametur, graditudinem quam debemus Jesu Christo qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis, necnon periculum in quo versantur omnes animae, quae vocatae a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt.

Quapropter multum interest sequentia inquirere.

581. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum personis piis?

R.—1. Confessarius caveat ne sollicitum se ostendat ut aliqua persona sub ejus directione se constituat, imo non debet esse facilis ad acceptandos eos qui proprium directorem deserere vellent, nisi adsit justa causa; ex hoc enim saepe dissipationes, perturbationes, et quandoque etiam scandala oriuntur. Et advertat, ad mutandum confessarium non satis esse quod poenitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere; ut enim ait S. Teresia, saepe haec est daemonis tentatio. Justa vero causa mutandi confessarium esse potest defectus bonitatis vel scientiae. Ceterum, ait S. Teresia, quod de dubiis poenitens bene potest alios doctos directores consulere, imo aliquando hoc omnino expedit.

2. Confessarius caveat ne suis poenitentibus spiritualibus, praesertim foeminis, prohibeat quominus accedant ad alium confessarium; et cum advertat accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; imo ipsis imponat ut aliquando, saltem semel vel bis in anno, apud alios confiteantur; excipe si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat ne, si alium adeat qui ejus conscientiam ignoret, notabiliter sit inquietandus.

3. Confessarius evitet partialem se ostendere cum aliquo poenitente; et nunquam absque necessitate de aliorum confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quaerat eos ab aliquo errore commisso excusare.

4. Confessarius curet ut poenitens veram pietatem et devotionem a falsa secernat. Vera enim devotio et sanctitas consistit non in multiplicitate exteriorum exercitationum, sed in caritate Dei et in exercitio virtutum, quae amorem Dei servant, fovent, atque perficiunt.

5. Confessarius dirigere non debet omnes poenitentes pios uno eodemque modo, sed attendere etiam debet naturali eorum indoli. — Hinc *phlegmatici* excitandi sunt ne tepidi fiant; e contra *cholerici* refraenandi ne excedant: at etiam dirigendi sunt ad nobiliora et excelsiora in Dei servitio. In *melancholicis* cavendum ne tristitia et solitudine absorbeantur, ne graviori oneri supponantur; in *sanguineis* multum cavendum ne subitaneo aliquo affectu et ardore permoti aliquid supra vires assumant, atque insistendum ut in omnibus deliberate, sed post deliberationem etiam constanter agant, nam ad perfectionem non est per saltum attendendum.

6. Confessarius praeter naturalem poenitentium indolem, investigare debet instinctum seu ductum Spiritus Sancti in poenitentibus suis, et illud non antevertere, sed sequi: haec erat sapientissima regula S. Ignatii Loyolae, S. Vincentii a Paulo, etc.. Ideoque res plena periculi esset omnes una eademque via ad perfe-

ctionem dirigere velle, nam dona Spiritus Sancti varia et multiplicia sunt.

7. Quoad *media* ad perfectionem consequendam, haec praecipue animam spiritualem doceat. — Collocare omnem suam fiduciam in Deo, et omnino diffidere de se, et de suis bonis propositis. — Habere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique unice placendi. — Habere magnam uniformitatem divinae voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, et pluries in die se Deo offerre. — Alienare se ab omnibus rebus, et renuntiare propriae aestimationi et voluntati. — Attendere semper divinae praesentiae: dirigere intentionem placendi Deo in quacumque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali: speciatim vero attendere orationi mentali. — Alere specialem devotionem erga Ss. Eucharistiam, Passionem et Ss. Cor D. N. J. C., erga B. M. V., S. Josephum, Angelum Custodem, Sanctos tutelares, etc. — Singulis mensibus unam diem, et singulis annis octo vel decem recessui spirituali destinare.—Cavere a quocumque etsi minimo defectu deliberato, seu apertis oculis commisso. Commisso autem aliquo defectu, non tristari, sed cito se humiliare, et ad Deum confugere cum brevi actu doloris, et renovato proposito ab illo defectu se emendandi, se in pace remittere, atque ita agere etiamsi centies in die quis caderet.— Omnes virtutes colere, praesertim humilitatem, patientiam, caritatem et mansuetudinem in proximum; maxime vero exactam obedientiam regulis et praeceptis Superiorum et Directoris spiritualis.

8. Quoad *mortificationem* sensuum et macerationes corporales, duo excessus evitandi sunt: unum illorum qui omnem animae progressum collocare videntur in hisce mortificationibus et macerationibus corporalibus; alterum illorum qui omnes omnino mortificationes externas videntur reprobare tamquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocantes. Hos ergo duos excessus prudens confessarius evitare curet.—Hinc quoad mortificationem sensuum curet ut poenitens sese exerceat tum in mortificatione linguae, v. g. non se defendendo, non respondendo injuriis, facile cedendo, non se laudando, conversationes otiosas declinando, et a verbis inutilibus abstinendo; tum in mortificatione oculorum, maxime vero in mortificatione in rebus periculosis, speciatim quoad conversationem cum personis diversi sexus.

Quoad vero macerationes corporales. confessarius valde prudens et cautus esse debet. In primis exigat ut poenitentes nihil faciant sine ejus obedientia et dependentia. In initio illas non suadeat, nec permittat, nisi prius poenitens magnum eorumdem desiderium ostenderit, easque enixe petierit; dein prius parum concedat et raro; secus enim, decrescente, uti solet, fervore, periculum aderit ne poenitens omnia dimittat, et devotioni ipsi totaliter valedicat. Videndum est etiam quanta sit poenitentis virtus et maxime utilitas, ne usus harum macerationum corporalium, uti disciplinae et cilicii, eum in superbiam, quasi jam esset sanctus, elevet. Praecipue vero observandae sunt circumstantiae sanitatis, occupa-

tionum, et status poenitentis. Sic mortificatio circa *somnum necessarium* non est permittenda: somnus enim non solum corporis, sed etiam animae functionibus necessarius est. Septem vel saltem sex horae somni *regulariter* necessariae sunt omnibus.

Mortificationes, quae facilius permitti, imo suaderi debent, sunt quae sanitati certe non nocent, uti mortificatio propriae voluntatis, mortificatio linguae, oculorum et gulae in iis quae non sunt necessaria, vel utilia. Quare confessarius de cilicio, vel disciplina requisitus priores mortificationes suggerat et suadeat. Quod si cilicium permittendum esse videretur, illud concedat tantum ad tempus, ad paucas diei horas, vel ad unum alterumque diem hebdomadae, sed invigilet ne sanitati nocent. Sic de flagellatione, vulgo *disciplina*, curet ut solum tergum, et fortasse humeri, brachia flagellis feriantur: praecipue vero inter flagellandum vitanda sunt regio genitalium, molliores lumborum partes, totus venter, et in mulieribus etiam ubera. Quod si efficerentur vulnera, a flagellatione, antequam sanarentur, abstinendum esset. Sic plures probati auctores.

NOTA: Quoad scrupulosos, vide dicta Vol. I, n. 70.

§ 7°

De modo se gerendi cum personis donis extraordinariis a Deo donatis; vel e contra a daemone speciatim vexatis.

582. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum personis donis extraordinariis a Deo donatis?

R. Si persona pia dona extraordinaria enarret, v. g. visiones, extases, etc., confessarius caute procedat; sicuti enim periculosum esset hujusmodi visiones, extases, etc. uti vera dona divina imprudenti credulitate accipere, ita damnosum animae et Deo injuriosum esset talia dona imprudenter respuere et contemnere. Deus enim in quolibet vitae statu sibi speciali praerogativa animas eligere potest, quibuscum intima utatur familiaritate. Quare confessarius non omnis harum rerum notitiae expers sit oportet. Hinc:

1. Confessarius attente observet an res enarratae, visiones, extases, etc., imaginationi, phantasiae, vel debilitati nervosae, aut hysterismo, aut naturali deliquio (quod cum extasi confundi non debet) tribui possint; et tunc de illis rebus non erit curandum: non enim supponendae sunt causae supernaturales, quando causae naturales (juxta quas omnia sat bene explicari possint) jam subsistant.

2. Si haec hypothesis admitti nequeat, tunc, ad distinguendum an de veris donis Dei agatur, vel de malitiosis ipsius poenitentis fictionibus (quarum signum etiam ab incohaerentiis et contradictionibus habetur), aut de illusionibus diabolicis, recolendum est quod dona Dei cognoscuntur ab effectibus.

3. Si poenitens libenter et leviter res manifestet, quae ad propriam laudem videntur esse, aut si ex donis extraordinariis propriam laudem quaerat, vel si occultet quae timet a confessario non approbari, vel si contristetur cum confessarius non approbat, signa mala sunt, vel ut minimum dicam, suspecta. — E contra si

poenitens enarret quidem res illas candide et simpliciter, sed cum quadam verecundia, rubore et difficultate, sollicitus, ne quisquam alius, praeter animae suae directorem, quidquam sciat, haec humilitas optimum signum erit.

4. Experimentum obedientiae maxime necessarium est. Quare si confessarius poenitenti dicat ut de rebus illis non curet, illasque tamquam diaboli illusiones signo crucis impedire satagat, et poenitens obediat, et quidem jugiter, et cum plena quiete et tranquillitate, tunc de bono spiritu jam non erit dubitandum; excipe nisi revelationes, locutiones etc., imprudentias suaderent.

5. Demum director pro regula firmissima habeat se gerendi semper juxta dictamina christianae prudentiae, eo magis quia in ipsis Dei donis aliquando diabolus immisceri potest. Rigoroso secreto omnia occulta servet, et ipsi personae directae nec specialem existimationem nec anxietatem sciendi quid acciderit, ostendat. Caveat denique ne propter aliquos ejusdem defectus ei credere desinat [1]. — Ceterum in hisce adjunctis, si occurrant, legi oportet Scaramelli, *Directorium mysticum,* vel S. Alph., *Praxis Confess.*.

583. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum personis a daemone speciatim vexatis?

R. In directione animarum piarum interdum invenitur casus obsessionis, aut infestationis diabolicae. Hic quoque director non facile credulus erit; quandoquidem multa hysterismo, phantasiae, et forsan malitiosae poenitentis ipsius imposturae, tribui possunt. — Sed neque erit omnino incredulus; dari enim interdum veras daemonum obsessiones, etiam inter christianos, certum est non solum ex doctrina catholica, quae semper contra istas invasiones tot exorcismos habuit, sed etiam ex factis manifestissimis quae a testibus fide dignis relata, aut etiam a directore ipso visa vel audita esse possunt.

Obsessio proprie dicta est quando diabolus residet in corpore alicujus stabiliter, et tunc habetur veri energumeni casus, qui in personis piis vix unquam accidit. Signa hujusmodi obsessionis indicantur in Rituali; et obsessio erit evidens si persona obsessa idioma ab exorcista adhibitum non cognoscente, daemon juxta ea quae ab exorcista ipso dicuntur respondeat, v. g. si jussus abire, dicat: *nolo;* vel comminatus de poena, respondeat: *nihil refert,* aut: *noli me vexare,* etc. (Vide dicta v. I, n. 598).

Infestatio vero (casus frequentior) est quando diabolus non residet in corpore (nisi forte ad brevia intervalla) sed ab extrinseco animam aliquam modo quidem extraordinario persequitur, obsidet, affligit et tentat, prout in S. Job, in S. Maria Magdalena de Pazzis, in B. Angela de Fulgineo, in Ven. Maria Crucifixa, etc. contigit. Daemon tunc in forma visibili apparere, aut alia signa manifesta suae praesentiae dare solet. Finis ejus est ut anima Deum derelinquat et ei se det, nempe ut vitae spirituali valedicat, peccata mortalia committat et damnetur; et ad hoc magnas et furiosissimas tentationes et machinationes parat, melancholiam extremam, taedium orationis: tentationes contra Deum,

[1] *Berardi,* Praxis. De advertentiis adhibendis quoad personas pias. n. 1136.

contra veritates fidei : abominationem contra Sacramenta, et interdum contra confessarium, cum maximis tentationibus illum omnibus contumeliis afficiendi, aut percutiendi : interdum media externa adhibet ad illam animam torquendam : interdum immittit in tentationem suicidii : interdum inducit persuasionem quod tentationibus vere consensit, et peccata mortalia vere commisit, etc.

Confessarius in hisce casibus totis viribus curabit ut poenitens firmissime et constantissime resistat et nunquam consentiat. Ad hunc finem fiduciam in Deo suadebit, qui non sinit ut quispiam ultra vires tentetur, et orationem meliori modo possibili directam Deo, B. Virgini, Sanctis Protectoribus et Angelo Custodi inculcabit. Animum addet dicendo quod dimicat pro Deo, quod Deus e coelo illum aspicit, et eo magis illum aspicit, et eo magis illum amat, quo magis suffert et strenue dimicat ; quod purgatorium suum in hoc mundo facit ; et quod praemium extraordinarium in Paradiso sibi comparat. Dicere poterit : *vae, vae, si diabolo cedas !* S. Alph.[1] dicit quod conversio esset difficillima. Exigat ut omnia ipsi manifestet, quamvis forte essent tentationes contra se ipsum. Efficiat ut intelligat quantum directione et obedientia indigeat, ne daemon illum decipiat, et in extremam ruinam conjiciat. Bonis modis utatur, et horroris signa non det. Corrigat autem si etiam a longe, v. g. quaerendo solatia mundana, aut non obediendo, cedere incipiat. Attamen non credat esse facile quod sive blasphemiae, sive impuritatis vera peccata commiserit, idque quamvis diceret sibi videri quod consenserit. Utique persona etiam in his conflictis sufficientem possessionem sui liberi arbitrii et cognitionem malitiae habere, et sic vera et formalia peccata committere potest ; sed ut plurimum (loquendo semper de animabus piis) Deus id non permittit, et valde facile est quod propter defectum sufficientis cognitionis, aut libertatis peccatum mortale locum non habuerit... Quamvis autem confessarius inclinaret ad credendum veram culpam adfuisse, caveat ne hanc suam persuasionem (nisi vere sit certus) poenitenti ostendat ; secus enim in barathrum desperationis, et sic in omnia delicta (quod, ut dixi, est finis a daemone intentus) miserrimam animam corruere faceret. Tunc tamen augebit exhortationes, ut fortis maneat et resistat[2].

Curabit insuper director, ut persona sic a daemone infestata faciat cum tentatione proventum ; nempe se profundissime humiliet, Dei dispositionibus se resignet, etc..

Curabit praeterea ut liberationem obtineat. Media praecipua sunt oratio fervens, jejunium et actus profundissimae humilitatis. Dein veniunt exorcismi, de quibus vide instructiones in Rituali. Isti si fiunt solemniter utendo forma Ritualis, tunc venia Episcopi exigitur ; sed possunt etiam fieri privatim neque utendo forma Ritualis, et tunc non requiritur venia Episcopi. Juvat in primis praeceptum exeundi seu a molestia ces-

[1] Praxis Confess., n. 113.

[2] V. Scaramelli, *Dir. mist.*, n. 158, 130.

sandi. Hoc dari debet in nomine Dei Patris, Jesu Christi, Spiritus Sancti, B. M. V. Immaculatae, et Ecclesiae Catholicae. Oportet ut praeceptum magno imperio detur, et multoties repetatur. Juvat quam maxime daemonem vituperare, appellando illum scelestissimum, iniquissimum, proditorem, homicidam, crudelem, tyrannum, superbum, impium, etc.. Nihil dico de signo crucis, de usu aquae benedictae, de retentione Reliquiarum et Evangelii, etc.. Ipsa persona infestata exorcismos privatim facere potest. (V. I, n. 596).

Denique confessarius (maxime si agatur de mulieribus) prudentiam semper adhibeat; caveat nempe, ne compassione ductus aliquas imprudentias committat; et reminiscatur quod daemon non solum poenitentis, sed etiam confessarii ruinam, et scandalum publicum machinari potest.

Pro casu autem, quo poenitens jam manifeste se diabolo dederit, illumque desiderare atque invocare et cum ipso horrendum commercium ex animo habere soleat, confessarius juxta ea quae docet S. Alph. [1] se gerere deberet.

§ 8°

De modo se gerendi cum sacerdotibus.

584. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum sacerdotibus?

R.—**1.** Si sacerdos sola venialia habet, nulla difficultas adest. Notandum dumtaxat quod non solet expedire ut circa peccata ab eodem non accusata examinetur, aut longis exhortationibus detineatur.

[1] Praxis Confess. n. 197; *Berardi*, Praxis, p. 1115, 1118.

2. Si sacerdos (quod absit) de culpis gravibus verba faciat, plures advertentiae haberi debent. Adverti debet in primis quod sacerdotes magnae verecundiae in accusandis quibusdam peccatis subjici solent, et proinde modo incipiunt a longe, dicendo, v. g.: *Pravae cogitationes mentem mihi conturbaverunt;* modo quibusdam verbis generalibus utuntur, dicendo, v. g.: *Demum me accuso de omnibus modis, quibus contra castitatis virtutem peccavi, nempe sive cogitatione, sive verbo, sive opere;* modo denique peccatum quidem explicite confitentur, sed multis excusationibus ejusdem gravitatem imminuere satagunt. — In *primo casu* confessarius caveat ne dicat: *Eja age, nihil est;* sed potius animum addat poenitenti, ut fateatur consensum, et peccata operis quae forsan commisit. — In *secundo casu* interroget an et quot vicibus peccaverit opere, etc., et semper animum addat ne verecundetur. — In *tertio casu*, nempe quoad excusationes, dissimulare poterit; dummodo non eo usque res procedant, ut poenitens videatur credere esse levia quae gravia sunt; (facile enim est quod etiam sacerdotes dictaminibus falsis seipsos decipere conentur, et conscientia valde laxa procedant). Confessarius itaque tunc, tot excusationes audiens, cum respectu quidem, sed nihilominus absque ambagibus et absque vili timore dicat: *Non licet, mortale est.*

3. Valde male se gerunt illi confessarii qui, auditis peccatis gravissimis, dicunt aliqua verba exhortationis; et, quasi de rebus nullius momenti ageretur, statim absolutionem concedunt. Prius itaque de remediis serio agendum est.

4. Si agatur de primo lapsu, spes emendationis restat quidem, sed oportet ut praeter fugam occasionis, si quae sit, meditatio quotidiana, saltem per mensem, pro remedio assignetur, aut etiam alia magna poenitentia, v. g. jejunium, aut notabilis eleemosyna imponatur, non sine ferventissima exhortatione, etc.

5. Si agatur da secundo lapsu, tunc casus horribilis est, non tamen desperandum; sed quam maxime adhortandus esset miser sacerdos ut exercitia spiritualia in aliquo monasterio perageret, aut saltem aliquibus diebus domi suae orationibus, meditationibus, et poenitentiis serio incumberet.

6. Si demum ageretur de sacerdote jam prorsus habituato, speciatim si a longo tempore, tunc illius emendatio difficillima erit. *Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem.... proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem* [1]. Attamen tunc quoque confessarius, non solum exhortando, sed etiam, imo praecipue, remedia assignando, quidquid poterit, facere debebit. — Sed quid de absolutione? Sacerdotes hujusmodi sunt ne absolvendi? Sunt ne potius sine absolutione dimittendi? Equidem, si sint certe indispositi, absolvi non possunt. Quid itaque in dubio? S. Alph. (*Il Conf. diretto*, XXII, 46), dicit: « Quoad sacerdotes recidivos, nisi signa extraordinaria compunctionis praebeant, sit fortis confessarius in absolutione differenda; idque per quantum clament et petant ut absolvantur, sub praetextu quod absque scandalo missae celebrationem omittere nequeunt, respondeat non deesse justos praetextus, quibus a celebrando abstinere possint, si velint: et, casu quo vere abstinere nequirent, dicat eis quod possunt celebrare cum actu contritionis, si illum habeant; sed ipse pro tunc absolute non potest illos absolvere; quia post tot relapsus eorum dispositio valde dubia est ».

Sed quid si timendum esset ne miser sacerdos, qui hucusque sine praevia confessione nunquam celebravit, in posterum sine illa celebrare incipiat, et in hujsmodi sacrilegiis (diabolo prorsus se deserens), usque ad mortem perduret? Non solum certitudo, sed etiam solum dubium ne id contingere possit, res magni, imo maximi momenti mihi videtur; unde, quum facile ex denegatione absolutionis magis sit timendum quam sperandum, ego non reprehenderem confessarium, qui cum hujusmodi miserrimis sacerdotibus se gereret prout in Domino melius esse crederet [2]. In substantia applicari poterunt regulae superius traditae relate ad habituatos et recidivos. (Vid. n. 573 et seq.).

§ 9°

De modo se gerendi cum infirmis et moribundis.

585. — *Q.* Quomodo confessarius se gerere debet cum infirmis et moribundis?

R.—1. Parochus ex justitia tenetur infirmis suae parochiae assistere, speciatim in commendatione animae. Ita Th. communiter.

Confessarius vero sciat nullum

[1] Hebr. VI, 7-8.

[2] *Berardi*, Praxis, p. 1129.

adesse caritatis opus tam Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam infirmos visitare et moribundos ad sancte moriendum adjuvare. Nec Parochorum tantum id munus est, ad quos *animarum cura* ex officio pertinet, sed omnium etiam sacerdotum. « Parochus, ait Rituale Rom., cum primum noverit quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non expectabit ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat; idque non semel tantum, sed saepius, quatenus opus fuerit; horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua aegrotare contigerit, praecipue si morbus gravior fuerit ».

2. « Ægrotos visitans, ea, qua sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non aegris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem ».

3. Prudenter scire procuret a domesticis, vel amicis, quibus passionibus aegrotus indulserit, et praesertim si ad aliquam bonorum, aut famae restitutionem teneatur: si odium, aut pravam habuerit amicitiam, ut omnibus opportunum praebere possit remedium. Caveat ne memoret infirmo personas odio habitas, vel impure dilectas, si ad hoc ex necessitate non adstringatur. Vulneratos, postquam quidquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget quis illos, qua de causa, vel quomodo laeserit; et, si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat, nec de litibus, filiis, bonis, aliisque rebus impertinentibus verbum quidem faciat.

4. In primis non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, et quomodo valeat benigne interroget. Hortetur inde, ut Dei voluntati se conformet, et suas cum Christo in cruce languente poenas conjungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat; et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat; et, si periculum immineat, procuret, ut dum mens sana est, et integri sensus, alia Sacramenta religiose suscipiat.

5. Curet, ut ab infirmi cubiculo removeantur objecta periculosa, uti arma, imagines parum honestae, et praesertim personae, quae aliquo modo occasionem peccati praebere possunt; et e contra ponantur ob ejus oculos imagines Deiparae, et Redemptoris majoris molis, ut sic aegrotus, quocumque se vertat, eas cernere possit, et illis se commendare.

6. Videat quibus potissimum tentationibus, aut pravis cogitationibus aeger sit subjectus, et, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibeat, atque aliquas breves orationes et pias mentis ad Deum exercitationes suggerat. Monet tamen Rit. Rom., ne sacerdos nimis loquendo, aut crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundat, quam adjuvet.

7. Si infirmus ad agonem pervenit, sacerdos, ad eum juvandum quantum potest, solitis Ecclesiae armis utatur: nempe curet, ut omnes indulgentias, quas potest, lucretur, et praesertim accipiat Benedictionem Papalem in articulo mortis. Curet, ut saepissime saltem corde, si loqui non potest,

SS. Nomina Jesu et Mariae invocet, et eorum imagines saepius ad osculandum praebeat, et interim saltem corde actus fidei, spei, caritatis, contritionis breviter eliciat; et ipsum saepius crucis signo muniat et benedicat, et aqua benedicta aspergat, praesertim si diabolicis tentationibus exagitatur.

8. Quoad *absolutionem* ipsi impertiendam, si moribundus *sensibus viget* et sacerdoti praesenti dat signa poenitentiae, absolute est absolvendus, et absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiae securus reddatur, si forsan praeteritae confessiones invalidae fuissent, aut saltem gratiae augmentum recipiat necnon purgatorii poenae ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, non illum exterreat, sed monens ut Jesu ac Mariae Nomina invocet, si rursum tentetur, benigne ipsum confortet, procurans, ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat.

586. — *Q.* Licet ne absolvere moribundum sensibus destitutum?

R.—1. Si moribundus est *sensibus destitutus,* sed adstantes testificantur illum confessionem petiisse, aut signa poenitentiae dedisse, tunc cum communi sententia, quae tenenda est, absolvi potest, quia tunc per testes satis sensibiliter confessario fit nota infirmi confessio. Sufficit autem quod unus tantum testis adsit, et etiamsi sit mediatus, dummodo testetur signa a moribundo data. Et hoc currit etiamsi infirmus diutius fuerit habituatus in peccatis, et confessus non sit. Haec autem absolutio, licet absolute conferri possit, tutius tamen videtur, ut detur sub conditione: praecipue ubi prudenter de signis datis dubitatur, ut de facili dubitari potest, praesertim in rudibus.

2. Si iste moribundus desiderium confessionis non manifestavit, nec ulla dat, aut dedit signa poenitentiae, tamen semper est absolvendus, sed sub conditione, quia praesumi potest velle suae aeternae saluti consulere.

3. Item Th. probabilius et communius dicunt absolvendum esse sub conditione etiam moribundum qui antea male vixerit, imo sensibus destitutus fuerit in actu peccati, v. g. in adulterio, duello; dummodo constet hujusmodi peccatorem esse *catholicum*, quia de quolibet catholico prudens potest esse praesumptio quod, si unquam ille aliquo intervallo usu rationis donetur, optet, meliori modo quo potest, damnationem suam auferre.

4. Si vero moribundus esset quidem catholicus, sed fidem semper neglexerit, vel societati massonicae se sociaverit, vel se esse liberum cogitatorem, aut rationalistam professus sit, et usque ad extremum vitae Sacramenta respuerit, an tunc liceat eum sensibus destitutum et in articulo mortis absolvere sub conditione, disput. Th.. Alii negant, quia praesumi nequit ejus voluntas Sacramenta suscipiendi. Plures tamen affirmant ipsi dandam esse absolutionem sub conditione, quia semper praesumi potest quod in periculo suae damnationis constitutus cupiat omni modo suae saluti consulere: quae sententia in praxi consulenda et tenenda est. Nec obstat quod leges Ecclesiae

requirant signa poenitentiae ad absolutionem impertiendam; nam leges Ecclesiae loquuntur de absolutione absoluta; neque obstat illud Evangelii: *Nolite ponere margaritas ante porcos;* nam conditio salvat omnem irreverentiam Sacramenti. Et ob hanc rationem plures Th. dicunt quod potest sub conditione absolvi moribundus sensibus destitutus, licet sit haereticus etiam ex professo, vel schismaticus, vel apostata a religione.

587. — *Q.* Quid confessarius observare debet in absolutione moribundi?

R. Loquendo generatim de moribundis sensibus destitutis, confessarius advertere debet non esse saepius absolvendos intra breve temporis spatium, sine novo signo certo, nisi bis vel ter, servata proportionata distantia; quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, requiritur urgens et gravis causa; unde opus est ut aliquod notabile temporis spatium intercedat. Quod si sensuum destitutio diutius perseveret, cum actuale mortis periculum adsit, potest pluries repeti absolutio, v. g. ter, aut quater in die.[1]

Verum in hoc sacerdos ex conscientia, quam, noverit infirmi, se dirigere debet: nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii, vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc saepius absolutio dari potest; sin autem, sufficit ut trium, aut quatuor horarum spatium intercedat: frequentius tamen si jamjam moriturus est.[2] — Non abs re autem erit aegrotum, dum mente pollet, monere, ut, si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, aut dum sacerdos ipsi conferre vult, v. g. oculos claudat, vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia (Hom. Apost. *Append. II*).

Nota: Quomodo se gerere debeat confessarius cum moribundo censuris innodato, vide dicta Vol. I, n. 284; et cum eo qui bona ecclesiae retinet, vide Vol. I. n. 1095.

[1] Vid. *Monitore Eccl.*, v. XIX, p. 85.

[2] Cf. *Génicot*, II, 300.

CAPUT V.

De obligationibus ministri post confessionem.

588. — *Q.* Quaenam obligationes confessarii post confessionem?

R. Confessarius post confessionem exceptam ad duo tenetur: 1° ad corrigendos errores, si forte in confessione commiserit; 2° ad servandum sigillum.

Art. I.

De obligatione corrigendi errores commissos.

589. — *Q.* Quandonam confessarius errores commissos corrigere tenetur?

R. Praemitto: 1° Confessarius errare potest absque sua culpa, vel cum culpa gravi, aut levi, v. g. ex gravi, aut levi negligentia. — 2° Error confessarii versari potest circa *validitatem* confessionis, vel circa *integritatem* confessionis, vel circa *obligationes* poenitentis, puta, si ipsum in occasione proxima peccati reliquit, vel ad restitutionem non obligavit, etc.. Hoc posito:

Regula 1ª — Confessarius, si erravit circa *validitatem* confessionis, v. g. poenitentem non absolvit, vel sine jurisdictione absolvit, tunc, si poenitens mox reversurus sit, errorem in sequenti confessione reparare tenetur.— Quod si reversurus non sit, tunc videndum an damnum poenitentis jam reparatum fuit, v. g. si poenitens in bona fide a reservatis fuit indirecte absolutus, vel alteri postea confessus fuerit, vel Eucharistiam susceperit, et tunc errorem reparare non amplius tenetur; - ratio, quia damnum poenitentis jam reparatum fuit, sive quia in subsequenti confessione certo poenitens supponitur justificatus, sive quia Eucharistia cum attritione et bona fide suscepta per accidens primam gratiam confert.

Si e contra grave damnum nondum reparatum sit, tunc disting.: vel confessarius erravit cum gravi culpa, vel absque culpa, aut cum levi tantum.—Si erravit *cum gravi culpa*, errorem reparare tenetur etiam cum gravi suo incommodo, quia confessarius ex quo poenitentem audit, ex officio et ex quasi contractu tenetur rite ipsi ministrare Sacramentum. — Si vero erravit, sed *absque culpa*, vel ex *levi* tantum, tunc errorem corrigere tenetur solum in duobus casibus: 1° si poenitens est in periculo mortis seu in periculo moriendi in statu peccati mortalis, vel in periculo non amplius confitendi, quia tunc urget grave praeceptum caritatis; 2° si confessarius est parochus, quia iste ex justitia tenetur, si potest, avertere grave damnum spirituale suorum parochianorum etsi absque sua culpa obvenerit.

An vero teneatur etiam confessarius non parochus, alii negant, sed alii verius affirmant, quia confessarius ex caritate quidem confessionem audit; verum, audita confessione, ad sacramentum perficiendum tenetur ex justitia, quia tenetur ex officio (utcumque sponte suscepto) et ex quodam quasi contractu; quae confessarii conditio eadem perseverat, etiamsi *sine culpa* erraverit. Prout igitur error *culpabilis*, vel *inculpabilis* extiterit, differt obligatio confessarii, non quod modo ex justitia, modo ex caritate haec urgeat, sed solum sicut differt obligatio servandi alium indemnem, prout damnum infertur per injuriam *formalem*, vel mere *materialem* [1].

Regula 2ª—Confessarius si erravit circa *integritatem* confessionis, et erravit tantum *negative*, nempe ex oblivione, aut etiam ex culpabili negligentia, v. g. omisit poenitentem interrogare de specie et numero peccatorum, aut ei imponere poenitentiam, etc., tunc tenetur errorem reparare solum in confessione subsequenti, si poenitens redeat, non vero extra confessionem, quia solum in confessione et non extra minister procurare tenetur integritatem sacramenti, et medicus spiritualis utilitatem poenitentis.

Si vero erravit *positive*, v. g. positive poenitentem induxit ne explicaret species et numerum peccatorum, et cum gravi culpa er-

[1] Si error cum gravi culpa, vel gravi negligentia commissus sit, reparandus est etiam cum gravi incommodo confessoris. Si autem error sit inculpabilis, vel leviter culpabilis, confessarius obligatur quidem ex justitia, sed cum minori incommodo. *Gury-Ballerini*, II, 643, I, (*b*).

ravit, tunc errorem corrigere tenetur etiam extra confessionem, quia ex jure naturali quisque debet tollere causam mali, quam positive et voluntarie posuit. Sed petenda est venia a poenitente, quam si iste neget, confessarius ad nihil ulterius tenetur. Imo si in petendo veniam adsit grave incommodum, vel scandalum, quod *in praxi* fere semper timendum est, tunc cessat obligatio reparandi errorem ; nam sicut grave damnum excusat poenitentem ab integritate confessionis, ita etiam confessarium.

Quod si confessarius ex levi tantum culpa erravit, tunc multo minor causa illum a monitione excusat. Quare, si bona fide egit, nunquam tenetur, quia in *praxi* nunquam sine incommodo, aut rubore monere potest [1].

Regula 3ª — Confessarius si erravit circa *obligationes* poenitentis, et erravit in grave *damnum ipsius poenitentis,* nempe ad restitutionem obligavit quando reapse non tenebatur, et erravit cum gravi sua culpa, tunc errorem corrigere ex justitia tenetur etiam cum gravi suo incommodo, petita tamen prius et ab ipso obtenta licentia, quae facile in hoc casu et absque scandalo obtineri potest; et si poenitens jam restituit, et damnum passus est, illud confessarius resarcire tenetur, quia est causa efficax et injusta damni.

Quod si erravit *in damnum tertii,* nempe poenitentem ad debitam restitutionem non obligavit, tunc videndum an confessarius tantum non monuerit poenitentem de tali obligatione, vel etiam ab ipsa eum deobligaverit. Si tantum *non monuerit et quidem sine culpa, vel cum levi tantum,* tunc non tenetur poenitentem de errore monere cum gravi suo incommodo: tenetur vero cum aliquali incommodo, quia caritas obligat ad reparandum cum levi suo incommodo grave damnum proximi.

Si vero non monuerit, *et quidem cum gravi culpa,* tunc monere tenetur etiam cum gravi suo incommodo. — Quod si monitionem culpabiliter omittit tunc, an ad restitutionem teneatur, alii aliter sentiunt. Alii affirmant de quolibet confessario, quia, dicunt, quilibet confessarius tenetur ex officio poenitentem docere de sua obligatione. Alii affirmant de solo parocho, quia ipse tenetur impedire quominus sui subditi aliis damnum inferant. Communius tamen et verius negant, quia confessarius tenetur quidem ad monendum poenitentem, sed ex sola caritate, non ex justitia ; et loquendo etiam de parocho, licet ex justitia teneatur ad monendos subditos, talis obligatio tamen versatur tantum circa eorum bona spiritualia, non autem temporalia. Et hoc currit etiamsi confessarius, aut parochus ex malitia monitionem negligeret, ne poenitens restitueret ; quia tunc deest influxus positivus in alterius damnum, qui semper requiritur pro obligatione restitutionis [2].

Si autem a restitutione poenitentem vere *deobligavit,* tunc, si hoc fecit *cum gravi culpa,* poenitentem monere tenetur etiam cum gravi suo incommodo, vel intra confessionem, si poenitens brevi ad confitendum redeat, vel extra, si non redeat, petita licentia; et

[1] S. Alph., L. VI, 620.

[2] S. Alph. Hom. Ap., Tr. XVI, 123.

si monitionem omittit, vel poenitens monitus nunc restituere recuset, aut nequeat, et prius si monitus fuisset certo parti laesae satisfecisset, tunc confessarius de damno erga tertium tenetur, quia suo injusto consilio fuit vera causa damni [1].

Si vero *inculpabiliter* deobligavit vel *sine gravi culpa*, tunc poenitentem non tenetur monere cum gravi incommodo, bene vero si commode potest, vel etiam cum aliquali suo incommodo; et si monere negligit, cum facile possit, an de damno erga tertium teneatur, disput. Th.. Nonnulli negant, quia ad monendum tenetur tantum ex caritate, quae non obligat ad restitutionem; sed communius affirmant, quia cum ejus consilium pergat influere in damnum tertii, ipse, cognito errore, tenetur ex justitia causam damni auferre, si facile possit [2].

590. — *Q.* Confessarius potest ne sine licentia poenitentis loqui cum eo extra confessionem de defectu in confessione commisso?

R. Si poenitentem absolverit, et poenitens jam discesserit, verius non potest loqui sine ejus licentia, quia judicium est jam completum, et monitio, licet directa ad defectum reparandum, esset poenitenti onerosa.

Si vero error confessarii poenitentem inducat in periculum salutis, v. g. si non absolverit, vel quia oblitus fuerit absolutionem dare, vel quia male eam protulerit, tunc verius potest de hoc defectu poenitentem monere etiam extra confessionem et sine ejus licentia, quia tunc nec sigillum frangit nec ulla intervenit rationabilis poenitentis offensa [3].

Art. II.

De sigillo sacramentali.

§ 1°

De obligatione sigilli.

591. — *Q.* Quid est sigillum sacramentale, et quaenam ejus obligatio?

R. Sigillum sacramentale est *religiosa obligatio servandi secretum circa ea, quae in confessione sacramentali, aut ejus occasione, cognita sunt.*

I. Sigillum sacramentale oritur ex omni et sola confessione sacramentali, quia soli confessioni a se institutae Christus hoc sigillum adnexit [4].

II. Confessio sacramentalis est sola confessio, quae fit a poenitente animo se accusandi, et peccata clavibus subjiciendi; licet confessio sit solum incoepta, vel sit nulla, aut sacrilega, vel ex parte

[1] Monet S. Carolus, ne eos confessarios imitemur qui ubi agitur de restitutione, usque ad finem confessionis, de ea facienda cum poenitente loqui differunt, unde postea non recordantur. Ceterum cautus sit confessarius in dando consilio circa materiam justitiae; et si casus sit difficilis solutionis, vel poenitenti dicat ut ad aliud tempus redeat, quo consultis auctoribus casum resolvet; vel ipsum mittat ad homines peritos. Et si paratus sit vel redire, vel consulere peritos, et obligationem, si qua tenetur, adimplere, poterit illum tunc absolvere. *Lugo.*

[2] S. Alph., L. VI, 621.

[3] S. Alph., L. VI, 622.

[4] Sigillum hoc oritur ex confessione secreta; nam ex publica (nisi ex necessitate sit facta), secretum oriri absurdum est. *D'Annibale*, III, 357.

poenitentis, v. g. quia indispositus, vel ex parte confessarii, v. g. quia, inscio poenitente, jurisdictione caret.

III. Sigillum sacramentale oritur ex triplici jure; naturali, divino et ecclesiastico[1]; et ejus violatio triplicem habet malitiam, nempe *sacrilegii* contra Sacramentum; *infidelitatis* gravis contra onerosam, licet tacitam, promissionem secretum servandi; et *detractionis,* si peccatum poenitentis non est publicum.

IV. Obligatio servandi hoc sigillum ita stricta est, ut confessarius nullo tempore, nec ullo in casu possit illud violare, licet mortem subiturus esset; quia quaecumque revelatio, etsi levis, odiosam redderet confessionem in damnum publicum.

Hinc, si quis *scienter* accedat ad laicum, vel ad sacerdotem jurisditione carentem, vel ad confessarium certe accedat animo sacramentum irridendi, vel confessarium decipiendi, ad peccatum sollicitandi, aliquid ab eo extorquendi, ejus confessio non est sacramentalis, ideoque ex ipsa non oriretur sigilli obligatio. Dixi *certe;* nam in dubio semper praesumendum in favorem confessionis, ne illa reddatur ullo modo odiosa. — Si quis vero ad confessarium accedat eique conscientiam pandat non ad absolutionem obtinendam, sed causa directionis spiritualis, vel consilii petendi, confessarius ad silentium tenetur non vi sigilli sacramentalis, sed vi secreti commissi, etsi consilium petens diceret in confessionali: *Hoc tibi dico sub sigillo confessionis,* quia haec conscientiae manifestatio non est confessio sacramentalis.

592. — *Q.* In materia sigilli licet ne uti opinione probabili?

R. In dubio *facti,* nempe si confessarius dubitat an suus dicendi, vel agendi modus detegat reum, vel utrum peccatum Titii noverit ex confessione an extra, tunc, etsi probabiliter judicare possit reum non detectum iri, tamen uti nequit tali opinione probabili, quia hoc esset in praejudicium juris certi quod possidet poenitens, ne occasione suae confessionis ullum patiatur gravamen; ita Th. communiter.

In dubio vero *juris,* nempe quando Th. disputant, an hic, vel ille dicendi vel agendi modus sit sigilli violatio vel non, ideoque illicitus vel non, tunc disp. Th.; sed verius etiam negant: et hoc in praxi est omnino tenendum, quia in hac materia confessarius vitare debet quidquid vel minimum odium in Sacramentum excitare potest[2].

§ 2°

De materia sigilli.

593. — *Q.* Quaenam materia sigilli?

R. — I. Materia sigilli *directe et per se* sunt omnia peccata, sive formalia sive materialia in confessione audita, etsi non commissa, seu futura, aut levissima, et quidem mortalia etiam in *genere,* venialia vero in *specie;* et juxta

[1] *Naturali,* ex titulo fidelitatis, justitiae et religionis; *divino*, quia secus actum esset de divino praecepto de integritate confessionis; *ecclesiastico* ex verbis Conc. Later. IV.

[2] S. Alph., L. VI, 633; *Gury,* II, 650; *D'Annibale,* III, 359; *Génicot,* II, 380.

—

communiorem sententiam, etiam peccata manifesta, nisi crimen aliquod evidentissimum sit, et poenitens de eo publice damnatus.

II. Materia sigilli *indirecte et per accidens* sunt ea omnia quae poenitens in confessione, vel causa confessionis manifestat, quorum revelatio cederet in gravamen poenitentis vel in odium Sacramenti [1].

Hinc sub sigillo cadunt: 1° Non solum *peccata,* sed etiam peccatorum *circumstantiae* etiam post absolutionem explicatae, quoties adest non solum certitudo, sed etiam dubium an detectae sint in ordine ad confessionem, non vero si a poenitente tantum per accidens narrantur, et minime ad confessionem vel ad peccatorum explicationem conferunt. 2° Peccatorum *objecta,* v. g. si filius confitetur se odisse patrem quia ille rixatus est, rixa patris esset objectum peccati. 3° *Peccatum complicis* a poenitente etiam sine necessitate manifestatum. 4° *Poenitentia imposita,* nisi forte levissima sit, quaeque pro levissimis culpis imponi solet; semper tamen etiam in hoc casu silere convenit. 5° *Virtutes et charismata* seu specialia dona Spir. S., si poenitens illa dixit ad manifestandum aliquem defectum commissum, vel propriam ingratitudinem erga Deum, non vero si manifestavit tantum ut confessarius statum animae suae cognoscat; quare, in causa Beatificationis, attestationes confessarii judicantur licitae atque utiles, quamvis non necessariae. 6° *Scrupuli et scrupulositas* quam poenitens in exponendis peccatis, vel in declaranda conscientia sua ostendit, quia ordinarie grave est poenitenti scrupulosum vocari. 7° Poenitentis *defectus* tum *animi,* puta si avarus, iracundus, quia poenitens solet eos manifestare vel ut peccata, vel ut ea quae ad peccandum impellunt; tum *corporis,* v. g. si herniosus; tum *status,* v. g. si spurius, ignarus, quia utrumque ingratum esset poenitenti [2].

Defectus vero seu peccata quae poenitens in ipsa confessione committit, v. g. impatientiae, contumeliae in confessarium, licet *per se* non cadant sub sigillo quia hujusmodi culpas poenitens non confitetur, sed vidente confessario eas committit, *per accidens* tamen ordinarie cadunt sub sigillo, quia periculum involvunt revelationis, nam indicium praebent suspicandi quod poenitens vel sit indispositus, vel propter aliquam gravem culpam confessarius illum increpaverit [3].

§ 3°

De iis qui ad sigillum tenentur.

594. — *Q.* Quinam tenentur ad sigillum?

R. Ad sigillum tenentur omnes ad quos notitia confessionis quocumque modo pervenit, sive ex ipsa confessione, sive ex mediis de se ad illam ordinatis; - ratio, quia revelatio illius notitiae odiosum redderet Sacramentum.

Hinc ad sigillum tenentur: 1° confessarius; 2° confessarius etiam fictus et per errorem verus existimatus; 3° laicus, qui se confessarium fingeret, tenetur ad sigil-

[1] Qui pueros nondum rationis compotes una simul audit quasi confessarius, letali non caret. *D' Annibale,* III, 361, (39).

[2] S. Alph., L. VI, 649.

[3] S Alph., L. VI, 643, 659.

lum non solum ex secreto naturali, sed verius etiam sacramentali; quia confessio ex parte poenitentis esset sacramentalis; 4° superior a quo petita fuit licentia absolvendi a reservatis, quia petitio illa est quaedam inchoata confessio ad absolutionem obtinendam, et alioquin confessio redderetur odiosa; 5° probabiliter tenetur etiam interpres, vel qui rogatus ab alio, puta a rude, confessionem scripsit; 6° qui furtive vel casu et inculpabiliter aliquid audit a poenitente prolatum in ordine ad confessionem; sic ad sigillum tenentur adstantes in quorum praesentia confessio fit ex necessitate, ut in naufragio, conflictu; secus vero si poenitens ad suam confusionem publice confiteri velit; 7° omnes quibus aliquid ex auditis in confessione sacrilege vel imprudenter revelatum est, unde de hoc nec inter se colloqui possunt.

595. — *Q.* Tenetur ne ad sigillum doctor consultus de re ad confessionem pertinente?

R. Si doctor consulatur a confessario de licentia poenitentis, vel si consulatur ab ipso poenitente in ordine ad confessionem apud ipsummet faciendam, tunc sententia verior et omnino sequenda dicit ad sigillum teneri; quia in primo casu doctor consultus unam personam moralem cum confessario facit, et est ipsemet poenitens qui eum per confessarium consulit, et in secundo casu esset veluti inchoata confessio.

Si vero doctor consulatur a poenitente in ordine quidem ad confessionem, sed apud alium faciendam, tunc probabilius ad sigillum sacramentale non tenetur, quia hoc ex sola confessione sacramentali oritur, in qua poenitens peccata manifestat in ordine ad absolutionem; certe tamen tenetur ad secretum commissum [1].

596. — *Q.* Tenetur ne ad sigillum qui chartam legit, in qua poenitens sua peccata scripsit?

R. Per se non tenetur, quia hoc non est medium de se ordinatum ad confessionem, et proinde non infert per se obligationem *sigilli sacramentalis,* sed tantum *secreti naturalis,* quod tamen sub gravi per se urget, nisi de levissimis culpis agatur.

Per accidens tamen tenetur in sequentibus casibus: 1° si chartam legit in actu confessionis, puta si tradita jam confessario, quia tunc scriptura pro confessione vocali est; 2° si chartam legit superiori missam pro facultate absolvendi a reservatis, quia esset veluti inchoata confessio; 3° si chartam legit repertam post confessionem in confessionali, quia esset veluti continuata confessio; 4° juxta probabiliorem sententiam si chartam legit scriptam a muto, vel ab alio cui haec scriptura est moraliter necessaria ad rite confitenda peccata sua.

Seclusis his casibus, dicunt probabilius teneri tantum ad secretum naturale, quia illa scriptura non est confessio, sed solum praeparatio ad confessionem. Nec valet dicere quod manifestatio illius scripturae odiosam redderet confessionem, nam respondetur quod odiosam redderet non confessionem sed scriptionem peccatorum, ad quam nullus obligatur [2].

597. — *Q.* Poenitens tenetur

[1] S. Alph., L. VI, 649.

[2] S. Alph., L. VI, 650; *Gury,* II, 653.

ne ad sigillum circa ea quae a confessario audit?

R. Sententia communis negat, quia sigillum institutum est tantum in favorem poenitentium, non vero confessariorum; tenetur tamen strictissime ex secreto naturali ad reticenda ea omnia quae a confessario ipsi dicta sunt, quorum propalatio esset contra rationabilem ejus voluntatem, vel damnum ipsi confessario, vel injuriam Sacramento afferret [1].

§ 4°

De violatione sigilli.

598. — *Q.* Violatio sigilli sacramentalis 1° quomodo distinguitur; 2° et datur ne in ea parvitas materiae?

R. Ad 1um. Violatio sigilli sacramentalis alia est directa, alia indirecta. — Violatio *directa* est quando confessarius expresse manifestat objectum sigilli una cum persona poenitentis. Violatio *indirecta* est quando confessarius nihil quidem directe manifestat, sed ex ejus verbis, aut ex ejus modo agendi alii cognoscere, aut suspicari rationabiliter possunt peccatum, aut defectum poenitentis, aut aliorum;—vel poenitenti, aut aliis rubor, molestia, aut aliquod gravamen oriri potest; — vel sacramentum reddi odiosum.

Ad 2um. In revelatione *directa* non datur parvitas materiae, quia quaecumque materia, etsi levissima, totam praecepti rationem includit [2]. — In revelatione vero *indirecta* dari potest, quando periculum indirectae revelationis sit valde remotum et parum probabile, quia tunc si forte sequeretur aliqua revelatio, sequeretur per accidens [3].

599. — *Q.* Quandonam sigillum violatur, vel non?

R. — I. Sigillum violatur quo-

[1] S. Alph., L. VI, 647.

Poenitens qui ex propria experientia certe nosset aliquem confessarium carere debita bonitate, scientia, et prudentia in damnum animarum, certe non peccaret si alium prudenter et secrete moneret ne ad talem confessarium accedat; secretum enim naturale in hoc casu non obligaret, quia esset in gravissimum damnum animarum. Hinc, v. g. si puella confessarium invenisset qui nimias et imprudentes interrogationes ipsi fecisset circa sextum praeceptum, (etiam abstractione facta a casu sollicitationis) certe bene se gereret si alias puellas moneret ne ad talem imprudentem confessarium accederent. Neque quis dicat huic periculo providere Episcopum; dum ipsi generaliter loquendo non refuruntur nisi verae proprieque dictae sollicitationes. Interim habentur impii satis callidi, qui hujusmodi excessus vitantes, pluribus aliis modis, etsi non sollicitando expresse, gravia inferunt animabus damna. Insuper notandum est, non omnia crimina sollicitationis ad Episcopi notitiam pervenire; quod si perveniant, non semper prudentia sinit puniri statim reum confessarium. Accidit proinde, ut impii seductores etiam ad longum tempus pergant confessiones excipere cum maximo animarum detrimento. Quapropter si quis noverit, etiam ex confessione, aliquem confessarium suo ministerio abuti, ex caritate tenetur alios monere ne illi directionem propriae conscientiae committant, sed alium bonum Directorem quaerant. *Frassinetti*, n, 154.

[2] Attamen *parvitas materiae* confundenda non est cum *parvitate periculi* violandi sigillum; non enim adest obligatio vitandi omne leve et improbabile periculum, quod quidem nimiam conscientiae sollicitudinem gigneret. *Aertnys*, L. VI, 286.

[3] Deus (quod sciatur) nunquam permisit ut revelatio directa accideret; sed revelationes indirectae aliquando (ex Confessariorum imprudentia et levitate) locum habent. *Berardi*, Praxis 1152.

ties quis directe revelat peccatum vel aliud in confessione auditum; aut indirecte utitur notitia in confessione acquisita, quae sit in gravamen poenitentis, aut odiosam reddat confessionem.

II. Sigillum non violatur quando quis utitur notitia confessionis sine ulla directa vel indirecta revelatione, neque ullo gravamine poenitentis. — Porro facile cognoscitur quandonam revelatio directa interveniat, non ita vero si indirecta.

Ex dictis igitur, *frangit sigillum :*

1. Qui diceret se in tali monasterio audivisse peccatum grave cujusdam religiosi, aut diceret quod ibi committuntur peccata gravia, licet personam reticeret, quia tunc quilibet ejusdem monasterii damnum pateretur. Ita communiter.

2. Qui diceret in tali oppido committi talia peccatorum genera, quae ipse audivit in confessione, si locus est parvus, quia tunc revelatio, cum redundaret in infamiam communitatis, redundaret etiam in gravamen poenitentis ; secus autem si oppidum est magnum, et delicta sunt publica. — Dubium tamen restat quodnam oppidum dicatur parvum, et quodnam magnum ; ideo concionator magna cautela uti debet, ne suspicionem revelationis ingerat illis qui ei confessi sunt [1].

3. Qui utitur notitia confessionis ad externam gubernationem in gravamen poenitentis. — Hinc nunquam licet ex notitia confessionis removere indignum ex officio, aut ei negare suffragium ad electionem officii, vel beneficii ; secus vero si Superior extra confessionem sciret ipsum indignum esse propter aliquem defectum aetatis, scientiae, etc. — Nec licet ex notitia confessionis indigno negare Sacramenta, vel a servo auferre claves, vel praeterita benevolentiae communicatione eum privare, aut ei torvum oculum ostendere, claves arcae abscondere, fores claudere, vel negare Communionem poenitenti, aut eum monere postquam ei denegata fuit absolutio.

4. Frangit etiam sigillum confessarius si aliquid revelet etiam ad damnum publicum removendum ; sed in hoc casu tenetur cogere ipsum poenitentem ad revelationem necessariam faciendam ; secus absolutione indignus est.

E contra *sigillum non frangitur :*

1. Si confessarius utitur notitia confessionis ad componendos mores suos, ad orandum pro poenitente, vel eum humanius tractandum, ad se instruendum, vel alios monendos in generali, quia nulla adest revelatio ne indirecta quidem, et nullum intervenit gravamen poenitentis.

2. Si dicit in generali confessionem fuisse de materia levi : di-

[1] Juxta plurimorum sententiam, ut dici possit v. g. in hoc oppido *regnat blasphemia*, requiritur ut oppidum constaret saltem tribus millibus personis circiter; sed minus si tantum diceretur *hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur in specie.

Ut nominetur autem aliquod peccatum afferens infamiam (quod tamen esset etiam publicum), meo judicio requiritur ut oppidum sit valde populo frequens, v. g. sex aut septem millibus animarum. Si concionator vero haberet notitiam peccatorum extra confessionem, potest majori libertate loqui; sed pariter cautione utendum est ne suspicionem revelationis ingerat illis, qui ei confessi sunt, S. Alph., L. VI, 644.

co *de materia levi*, quia esset fractio sigilli dicere eam fuisse pluribus venialibus, aut nominare aliquam culpam, licet minimam, in particulari, cum in hoc non detur parvitas materiae.

3. Si laudat conscientiam poenitentis; sed in hoc advertere debet ne suspicionem det malae conscientiae aliorum qui eodem tempore forsan ipsi confessi essent.

4. Si dicit se aliquem confessum fuisse, modo poenitens ei non vetuerit quominus eum proderet, aut modo ille clam ad confitendum non venerit, aut suspicio gravis peccati sic ingeri posset [1].

5. Si generaliter loquitur se audivisse tale quoddam peccatum in confessione, ita tamen ut moraliter nemo possit in poenitentis cognitionem venire. Ceterum in hoc confessarii valde cauti esse debent, praesertim loquendo in oppidis, quia saepe, ob circumstantias personae aut oppidi, auditores facile possunt venire in cognitionem aut saltem in suspicionem poenitentis.

6. Si utitur notitia habita extra confessionem, modo non manifestet aliquam circumstantiam ex sola confessione cognitam. Et in hoc etiam caute procedendum est, quia aliquando, si non est revelatio, saltem potest esse circumstantibus periculum scandali, cum apprehendere possint sic confessiones revelari.

600. — *Q.* Confessarius qui ex confessione noverit sibi parari insidias potestne fugere, vel aliter sibi cavere, aliquo praetextu arrepto?

R.—**1.** Si confessio poenitentis non est sacramentalis, nempe peccatum manifestat non ad absolutionem obtinendam, sed solum ad confessarium decipiendum, tunc confessarius bene fugere potest, vel sibi cavere, quia sigillum oritur ex sola confessione sacramentali.

2. Si vero confessio est vere sacramentalis, tunc certum est, quod confessarius potest fugere vel sibi cavere, quando ex ejus agendi modo nec manifestatur aliis peccatum commissum, nec ullum gravamen affertur poenitenti.—Quod si ex fuga, vel alio ejus agendi modo, alii, conscii peccati poenitentis, conjiciant poenitentem esse illi confessum tale peccatum, tunc an liceat fugere, vel aliter sibi cavere, disput. Th.. Alii affirmant, modo nullum damnum poenitenti obveniat, quia aliud est revelare peccatum confessum, aliud revelare confessionem peccati jam ab aliis cogniti, tunc enim non revelatur peccatum, sed tantum confessio facta peccati, quod non est contra sigillum. Sed alii, cum quibus sentit S. Alph., negant id licitum esse, quia fuga illa esset quaedam indirecta revelatio peccati confessi [2]. — Quod

[1] Sigillum non violat inferior confessarius, qui ait Sejum sibi confessum fuisse; violat Superior, si hoc dicendo, alicujus reservati suspicio suboriri possit. Non violat qui dicit Osium sibi confessum fuisse cum animi sui *dolore*, seque ei satisfactionem imposuisse; violat vero (si quid opinor) si dicit confessum fuisse, cum *magno* animi sui dolore, vel unum *lethale* (in genere) aut unum leve in specie, v. g. *verbum otiosum*, vel *plura venialia*, vel se ei imposuisse *rosarium* aut *miserere*. *D'Annibale*, vol. III, n. 360, (27)

[2] Confessarius a poenitente morte comminatus si ei deneget absolutionem, utique fugere potest, etsi id adverterent circumstantes, indeque male de poenitente cogitare possent, et etiam suspicari ipsi poenitenti denegatam fuis-

si poenitens indispositus minitetur confessarium ob denegatam absolutionem bene poterit confessarius ab illo aufugere et non reverti, quia tunc illae minae non sunt peccatum manifestatum ad absolutionem obtinendam; sed peccatum in confessione commissum, quod sigillo non gaudet.[1] (Vid. dicta n. 593, in fine).

601. — *Q.* Potest ne confessarius in aliquo casu uti notitia confessionis?

R. Etsi confessarius nunquam possit frangere sigillum, potest tamen uti notitia confessionis: 1° quando ex una parte nulla adsit sigilli violatio ne indirecta quidem, ideoque nulla detur suspicio peccati auditi in confessione; nec ullum gravamen poenitenti, nec Sacramento ullum periculum odii aut irreverentiae sit obventurum; et ex altera parte adsit justa et rationabilis causa; 2° quando adsit licentia poenitentis.

602. — *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ut confessarius uti possit licentia poenitentis?

R. Ut confessarius uti possit licentia poenitentis tres conditiones requiruntur: 1° Ut licentia sit *formalis et expressa;* unde non sufficit praesumpta, tacita, inter-

se absolutionem. Evidenter patet sigillum sacramentale nemini unquam posse facultatem praebere facinora committendi, neque talem fugam posse odiosam reddere confessionem; quis enim verus poenitens ad confessionem accedit scelesta intentione insidias confessario parandi? Aliunde injusta et sacrilega violentia sacerdoti in confessione allata nullomodo esse potest materia confessionis, ideoque nec sigilli sacramentalis, et ex confessarii fuga quid conjicere possunt adstantes nisi ipsi vim sacrilegam allatam fuisse?

Igitur si confessarius ex confessione poenitentis cognoverit sibi parari insidias, v. g. venenum positum fuisse in vino ad missam celebrandam parato, potest ne aliquo praetextu vel missam omittere, vel vini ampullam in terram projicere? Puto quod possit; nam vel poenitens sincera intentione ad confessarium accedit, eique paratas insidias sincero corde pandit, et tunc nulli dubium quod confessario licentiam dat utendi tali notitia ad mortem sibi praecavendam; vel ficta et scelesta intentione accedit et confitetur, et tunc talis confessio non esset vera confessio sacramentalis, nec onus sigilli sacramentalis induceret, quo in casu confessarius magna prudentia sibi praecavere potest. Dixi *magna prudentia*, ut factum, quoad fieri potest, occultum remaneat, neque dicteriis et suspicionibus Sacerdotio et Sacramento injuriosis aditum aperiat.

Ceterum nosse quod confessarius, si ab aliquo impio et sacrilego poenitente aliquod grave damnum praetextu confessionis sibi minitetur, utique potest sibi praecavere, non potest odiosam reddere veram et sacramentalem confessionem, nec ullum verum poenitentem a confessione removere; sed a confessione removere solum potest falsum et impium poenitentem, quod esset in votis ne scelera et sacrilegia multiplicarentur.

Hac observatione praemissa, sententiae S. Alph. (L. VI, 659) non adhaereo, sed potius sententiae adhaereo Layman, Sporer, et aliorum, qui tenent confessarium in hoc casu bene sibi praecavere posse quin sigillum sacramentale frangat.

Sedulo autem animadvertant confessarii ne poenitentem incognitum et non surdum in loco ad confessiones surdorum audiendas destinato recipiant, praesertim si talis incognitus poenitens petat tali loco confiteri; neque poenitentem incognitum domi et nocturno tempore excipere praesumant; quis cognoscere poterit quousque procedat malitia humana? dantur enim impii viri qui etiam Sacramentis abutuntur ad gravissima facinora committenda. Igitur prudentia christiana postulat ut confessarius haec pericula praevideat et caveat, ne locus et occasio ad gravissima scelera praebeatur. *Frassinetti.*

[1] S. Alph., L. VI, 659 in fine.

pretativa, virtualis, etiam in bonum ipsiusmet poenitentis. 2° Ut sit *libera* et omnino spontanea, non vi, dolo, vel per preces importunas extorta, vel etiam per metum reverentialem ipsius confessarii obtenta, uti esset si eam obtinuisset replicatis petitionibus, postquam poenitens in principio eam dare renuisset. Ceterum hujusmodi licentia peti non debet nisi ex rationabili causa, et semper melius est ut inducatur poenitens ad loquendum extra confessionem de eo quod patefacere debet. 3° *Ut non sit revocata,* quia poenitens pro libito, etiam sine causa, semper eam revocare potest.

603. — *Q.* Confessarius potest ne loqui cum poenitente de ipsius confessione?

R. Confessarius *extra confessionem* loqui nequit, etiam cum ipso poenitente, de ipsius confessione, nisi de licentia poenitentis vel expressa, vel saltem tacita, puta si poenitens prior loquatur de iis quae materia confessionis fuerunt; et etiam in hoc casu confessarius prudens sit, nec de alia materia loquatur, nisi de illa de qua loquitur poenitens. *Intra confessionem* vero potest loqui cum poenitente de ipsius confessionibus praeteritis, si gravis causa id exigit; secus grave esset poenitenti quod recordentur peccata quae alias confessus sit. Imo convenit quod confessarius nec memor appareat veterum peccatorum, juxta exemplum Dei dicentis: *Peccatorum et iniquitatum eorum* (poenitentium) *jam non recordabor amplius* [1].

604. — *Q.* Potest ne confessarius declinare poenitentem quem ex aliis confessionibus cognoverit molestum?

R. Si confessarius noverit aliquem ex confessione solitum esse multa peccata, vel tenuem dispositionem afferre, non poterit sine justa causa se celare vel excusare ab eo audiendo, quando aspiceretur ab aliis, et iis suspicionem talem ingereret; multo magis si poenitens id reputaret ut tacitam exprobrationem suorum peccatorum. Imo etsi nullus aspiceret, et proinde nulla in aliis oriretur suspicio, si confessarius jam assideret in confessionali non potest se celare quia videt illum poenitentem accedere, hoc enim esset illi gravamen afferre, et aliquomodo odiosam reddere confessionem; cum facile tunc poenitens credat quod si ipsi confessus alias non fuisset, bene tunc suam confessionem apud illum confessarium, ut cupit, expleret. Dixi quod *non potest sine justa causa se celare,* quia si justam habet causam, licite se celabit. Hinc erga hujusmodi poenitentem confessarius ita se gerere debet ac se gereret erga alium de quo nunquam confessionem excepisset [2].

Quomodo se gerere debeat confessarius si poenitens peccatum ipsi notum non deponat, v. dicta n. 460.

Quomodo se gerere debeat confessarius si post incoeptam confessionem cognoverit poenitentem esse surdum, v. dicta n. 463.

605. — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius si poenitens indispositus petat schedulam peractae confessionis?

R. Quando poenitens, etsi indispositus, vel non absolutus, pe-

[1] Hebr., X, 17.

[2] S. Alph., L. VI, 659.

tit schedulam seu testimonium confessionis *extra* confessionem, aut versatur in iis circumstantiis in quibus dari solet, vel a superioribus poenitentis exigitur, ut saepe fit tempore paschali pro alumnis collegiorum, famulis, etc., tunc confessarius ipsam dare tenetur, omissa tamen mentione absolutionis, sive ipsum absolverit, sive non ; et si schedulam denegat, sigillum violat ; quia utitur notitia confessionis ad exterius agendum, et quidem cum magno poenitentis gravamine, et quia ex tali denegatione periculum esset quod alii suspicarentur ipsum non fuisse rite confessum. — E contra si poenitens evidenter confessionem tantum simulasset ad schedulam obtinendam, tunc schedulam dare non liceret, quia esset mendacium cum confessio illa non esset vera confessio sacramentalis.

606. — *Q.* Quomodo respondere debet confessarius interrogatus circa confessiones ?

R. — **1.** Confessarius si forte esset interrogatus de peccatis auditis, potest recte affirmare etiam cum juramento se nihil audivisse ; nam de omnibus quae ipse in confessione excepit nullam habet scientiam communicabilem. Et hoc etiamsi confessarius requisitus esset ad respondendum non ut homo, sed ut Dei minister, aut si requisitus esset ad respondendum sine aequivocatione ; tunc enim ille jam respondet sine aequivocatione, nempe intelligitur sine aequivocatione illa quae licite omitti potest: interrogans enim non habet jus ut ei respondeatur sine illa aequivocatione quae non potest omitti sine peccato.

2. Si vero interrogatur utrum poenitenti absolutionem dederit vel non, respondere debet : *Functus sum officio meo.* Sed sic dicere aliquando etiam suspicionem negatae absolutionis afferre potest ; unde omnibus istis interrogationibus temere factis semper satius erit respondere exprobando sic : *Sunt ne interrogationes faciendae ?*

3. Tandem si acciderit casus quod clericus vel alius interrogaret utrum poenitens communicaturus sit, confessarius respondere debet : *Interroga eum an velit communicari.* Similiter quando quis, post confessionem infirmi, quaereret an necessaria ad Viaticum ministrandum parare debeat, confessarius ipsum ad infirmum remittat; vel prius ab infirmo petat licentiam alios monendi: sufficit autem ipsi dicere : « *Nunc alios monebo, etc.* ».

Nota : Si quis alium confessarium consulere necesse habeat pro solutione alicujus casus quem prae manibus habet, vel ad se certiorandum an bene se gesserit in ejus solutione, sedulo animadvertat ut solum substantiam casus referat, et omnes omittat circumstantias personae confessae, quia hae circumstantiae aliquando alium inducere possunt in cognitionem personae de qua in casu. Quid ad solutionem casus proderit manifestare et scire *locum* quo casus accidit ? Quid proderit manifestare et scire *specialem conditionem* personae, v. g. an dives, an sacerdos, an medicus, etc., quando talis circumstantia substantiam casus non mutat ? Igitur in casibus quibus manifestatio circumstantiae loci, temporis, personae non

est absolute necessaria, omnino tacenda est; quinimo, optimum erit, ut, exposito casu quoad ejus substantiam, talibus fictis circumstantiis induatur ut omne periculum amoveatur quod alius in cognitionem personae, de qua in casu, venire possit.[1]

[1] Casus. — Titius a Caio consultus de certo aliquo casu confessionis, statim animadvertit esse casum Luciae cujus ipse etiam confessionem acceperat. Quapropter attentum reddit Caium ad aliquam singularem circumstantiam, quam Caius non videtur percepisse, ex qua solutio casus omnino penderet, atque ita juvat ut certa et recta detur casus solutio.

Q. — 1° Potuit ne Titius Caium audire, an ejus narrationem debuerit praescindere? — 2° Rectene supplevit notitiam essentialis illius circumstantiae?

R. — Ad 1um. Titius non solum potuit, sed debuit praescindere Caii narrationem, si ejus modus loquendi erat in genere ita imprudens ut cuilibet audienti periculum suspicandi de certa persona, vel eam agnoscendi, oriretur; nam in hoc casu narratio Caii ex natura sua erat indirecte contra sigillum. Neque tamen debuit dicere: « Rogo te ut sileas, quia rem totam jam novi »; sed in genere monere debuit: « Abstine, quaeso, a determinatis ejusmodi circumstantiis, quae periculum cognoscendae personae secum ferunt ». — Neque debuit, neque potuit Caius Titium quicquam monere, si modus loquendi non erat imprudens, sed si obiectiva laesio sigilli oriebatur ex sola notitia, quam Titius *casu* habuit, at quam eum habere Caius ne suspicaretur quidem. Nam si in hoc casu monuisset, eo ipso indicasset se totam rem et ipsam personam novisse: quod sine laesione sigilli *ipse* dicere non poterat. Debuit igitur potius permittere alterius laesionem sigilli *materialem*, quam ipse committere laesionem sigilli formalem.

Ad 2um. Male egit Titius, si post communicationem a Caio factam indicavit ullo modo se rem jam scivisse, vel circumstantiam quam addidit *re ipsa factam esse* insinuavit. Nam ita circa ipsam hanc circumstantiam laesisset directe sigillum. — Si vero eam circumstantiam ut solum possibilem et in sequenti poenitentis confessione indagandam Caio proposuit, et simul illa circumstantia talis erat ut in similibus casibus *facile* potuerit accidere: existimo nullam adfuisse sigilli laesionem nullamque culpam; immo pro re nata prudenter et optime egisse Titium. Idque verum puto, etsi Titius re ipsa propter notitiam quam ex confessione illius poenitentis habuit, ad id commotus fuerit.... (*Lehmkuhl*, Casus conscientiae, II, 554).

APPENDIX I.

DE SOLLICITATIONE.

Ne sacramentum Poenitentiae, quod in salutem et curationem animarum a Christo Domino est misericorditer institutum, execrabili quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem atque interitum vertatur, Summi Pontifices, Gregorius XV et Benedictus XIV, ejusmodi indignos Confessarios, qui poenitentes ad turpia sollicitare non verentur, denuntiandos ac severe puniendos esse sanxerunt. — Praestat igitur quam maxime hujusmodi crimen et poenas eidem adnexas accurate perpendere, ut probe sciantur obligationes tum poenitentis tum confessarii.

ART. I.

De crimine sollicitationis et de poenis in sollicitantes.

607.—*Q.* Quid est sollicitatio, et quodnam peccatum?

R. Sollicitatio, prout hic sumitur, est *incitatio*, seu *provocatio poenitentis ad res venereas, facta a sacerdote uti confessario sub certis clausulis* [1]. Ex hac definitione patet quid requiratur ad naturam sollicitationis. Igitur requiritur:

I. *Incitatio*, seu *provocatio* quocumque modo facta, verbis, aut signis, aut nutibus, aut per scripturam. Haec vero provocatio alia est *formalis*, seu *in se*, cum nempe confessarius v. g. inhonestos sermones in actu confessionis cum poenitente habet; alia est *causalis*, seu *in causa*, cum nempe tantum initium seu medium sollicitationis ponit. — Requiritur tamen ut actus sollicitationis sit ex se, vel ex circumstantiis peccatum *formale* et *grave*, ita ut certe (intellige certitudine morali) conjiciatur confessarium in eo actu graviter peccasse. Vix autem facta sollicitatione, nihil officit quod Sacerdos obrumpat, vel eum poeniteat. — Insuper ad naturam sollicitationis non requiritur ut poenitens in ipso actu confessionis malitiam confessarii cognoverit, et scandalum subierit, sed sufficit si postea cognoverit hoc attentatum, aut pro futuro tempore procuratum fuerit, puta si confessarius poenitenti epistolam dederit postea legendam in qua, etc.. Nec requiritur ut sollicita-

[1] Ad cognoscendum quandonam adest crimen sollicitationis, ideoque et onus denuntiationis, referre juvat verba Bullae *Universi Dominici gregis*, datae a Gregorio XV anno 1622 et confirmatae a Benedicto XIV, per Constit. *Sacramentum Poenitentiae*. En praecipua verba:

Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam regulares, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive ante, sive post immediate, seu occasione, vel praetextu confessionis, etiam confes-

tio suum effectum habuerit, nempe ut poenitens consenserit, sed sufficit quod confessarius sollicitare *tentaverit*.

2. Provocatio *poenitentis*, sive masculus sit, sive foemina, sive poenitentem inducat ad peccandum a se ipso, vel cum confessario, vel cum alio. — Nec refert cujus aetatis sit; nec si consenserit, vel non; nec si sollicitatio mutua fuerit.

3. *Ad res venereas,* seu graviter inhonestas.—Itaque, ex S. Alph.[1], probabilius non est denuntiandus confessarius, qui sollicitaverit ad actus leviter tantum inhonestos, *modo non venereos*, nisi ex circumstantiis certe conjiciatur confessarium animum habuisse procedendi ab illis levibus actibus ad alios graviores. — Nec est denuntiandus uti sollicitans, si sollicitaverit ad aliud crimen, v. g. ad perjurium, haeresim, etc. Dixi uti *sollicitans,* nam aliquando denuntiari debet, vel uti haereticus, vel uti de haeresi suspectus, ut dictum fuit vol. I, n. 374.

4. *Facta a sacerdote uti confessario*[2]. — Quare est denuntiandus simplex sacerdos qui ad turpia

sione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessionem audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, sive tractatus habuerint... Et inde subjungitur: *Mandantes omnibus confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu tractantes, etc., inquisitoribus, et locorum Ordinariis.*

Bened. XIV in Const. *Sacramentum Poenitentiae*, (qua Const. Greg. XV totidem fere verbis inseruit) denuntiari jubet: « Omnes et singulos sacerdotes, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut praetextu; vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas *destinato,* aut *electo*, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad *inhonesta* et *turpia* sollicitare, vel provocare, *sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per se, sive per scripturam aut tunc aut post legendam* (verba scripta diverso charactere desunt in Const. Greg. XV) tentaverint; aut cum eis illicitos et inhonestos sermones temerario ausu habuerint..... Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes... teneri se ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi..... personam, quae sollicitationem commiserit.... Caveant insuper diligenter confessarii ne poenitentibus, quos noverint jam ab aliis sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant ».—Praeterea idem Bened. XIV in citata Const. omnia et singula sexdecim decreta a S. Congr. S. Off. data (vide notam seq.) sua apostolica auctoritate approbavit et confirmavit.

[1] S. Alph., L. VI, 683.

[2] Quum dubia quaedam exorta fuerint circa probabilitatem, vel improbabilitatem quarumdam opinionum hac in re, Congr. S. Off. ad proposita dubia sequentia XVI decreta edidit die 11 feb. 1661. (Hoc decretum cum suis responsionibus S. Alphonso prorsus incompertum fuit).

1° An sit denuntiandus confessarius, qui dat poenitenti chartam in confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? — Qualificatores Sum. Pontificis *censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

2° An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non praebendo absolutionem poeniten-

sollicitavit uti confessarius, seu uti minister sacramenti, licet jurisdictione careret, vel licet non absolverit.—E contra non est denuntiandus laicus, qui se confessarium simularet, et ad turpia sollicitaret; nisi forte esset denuntiandus ut suspectus de haeresi. — Nec est denuntiandus si sollicitaverit ad venerea quidem, sed in aliis sacramentis, puta occasione Baptismi, Matrimonii.—Nec est denuntiandus sacerdos interpres, quia interpres non est minister Sacramenti. Nec qui sollicitationem jussit, aut mandavit.

5. *Sub certis clausulis,* nempe sub clausulis quibus lex definit sollicitationem habere sufficientem connexionem cum Sacramento Poenitentiae.

Porro hujusmodi detestanda sollicitatio est peccatum gravissimum, tum luxuriae, tum sacrilegii, tum scandali; est enim enormis abusus sacramenti Poenitentiae, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii XV, et sit denuntiandus? — *Censuerunt incidere et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

3° An confessarius sollicitando, propter parvitatem materiae, sit denuntiandus? — *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et, si daretur, in re praesenti non dari, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

4° An confessarius, qui foeminam in confessionario, dicentem se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a confessione dissuadet, sit denuntiandus?—*Si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem; secus, si in confessionario, seu in loco confessionis.*

5° An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus? — *Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

6° An interpres, si sollicitet in confessione poenitentem, sit denuntiandus? — *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

7° An mandans confessario, ut in confessione sollicitet, sit denuntiandus? — *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

8° An quando confessarius et poenitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus?—*Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

9° An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus?—*Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

10° An sit denuntiandus confessarius, qui sollicitat in aliis Sacramentis, v. g. Baptismi, Matrimonii? — *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

11° An confessarius, qui poenitentem sollicitat ad actus illicitos extra actus venereos sit denuntiandus? — *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

12° An confessarius, si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare et ideo sit denuntiandus?—*Censuerunt, si laus illa sit seria, et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem.*

13° An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit (qui nempe ob aliam praecedentem sollicitationem comparuit coram Inquisitore, delictum suum detestavit, et ut suspectus de haeresi haeresim abjuravit?)—*Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo esse denuntiandum.*

14° An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis?—*Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

15° An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem?—*Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

16° An sit denuntiandus confessarius, qui audiens confessionem, dat donum mulieri, ita ut dicatur illam sollicitasse?—*Idem responderunt quod ad duodecimum.*

tiae, quo nempe sacerdotes, ut ait Gregorius XV: « Pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigit; et ex coelesti medico, infernalis veneficus, ex patre spirituali, proditor execrabilis animarum redditur »[1].

608.— *Q.* Quaenam sunt clausulae, in quibus adest vera sollicitatio?

R. Clausulae, in quibus adest vera sollicitatio, quatuor sunt, quarum prima et secunda respiciunt sollicitationem factam in confessione; tertia et quarta sollicitationem factam extra confessionem.

Monitum magni momenti:

In evolvendis quatuor sequentibus clausulis, Lector sedulo advertat quod idem factum, vel dictum confessarii sollicitantis, si non cadit sub clausula de qua speciatim agitur, aliquando cadere potest sub aliqua ex aliis clausulis.

Clausula 1ª — *In actu sacramentalis confessionis.* — Actus confessionis ab aliquibus sensu *strictissimo* intelligitur, nempe pro solo tempore quo poenitens sua peccata accusat. Sed communius intelligitur sensu *stricto* quidem, sed obvio, nempe intervallo quod decurrit inter initium confessionis et datam absolutionem, vel, ut alii dicunt, inter duas cruces; ita ut incipiat a genuflexione (aut simili compositione) poenitentis, usquedum iste assurgit, et in figura poenitentis esse desinit. Sive autem primo, sive secundo sensu actus confessionis intelligatur, id pro *praxi* nihil refert; quia omnes conveniunt quod sollicitatio, quae accidit durante confessione, sive primo, sive secundo sensu accepta, semper sub lege denuntiationis cadit; et tota differentia eo reducitur, quod si actus confessionis strictissimo sensu accipiatur, et sollicitatio accidat prius, aut postea, tunc si denuntiatio fieri non debet ex hac clausula, fieri tamen debet ex clausula sequenti[2].

Clausula 2ª— *Ante, vel post, immediate.*—Adverbium *immediate* tam ad praepositionem *ante,* quam ad praepositionem *post* refertur, quasi dictum sit: sive immediate ante, sive immediate post: ita Th. communiter.

Hoc adverbium *immediate* in sententia communissima stricto sensu intelligendum est, ita ut inter confessionem et sollicitationem, vel vicissim, nullum intercedat intervallum et nec poenitens, nec confessarius ad alia serio diverterint.

Spatium *ante* incipit a petitione confessionis; unde sollicitatio facta ante petitionem confessionis dici nequit facta immediate ante confessionem. Igitur ut sollicitatio dicatur facta *immediate ante* requiritur petitio confessionis et quidem propriae et de praesenti, et sufficit etiam petitio tacita, ut puta si poenitens ad confessarium expositum se praesentando, velle confiteri tacite significet; licet post petitionem non sequatur confessio, vel quia poenitens non vult amplius confiteri, vel quia confessarius non vult eum audire. Hinc erit denuntiandus confessarius, qui mulierem, dum est ante ipsum ut confiteatur, pedibus vel manibus turpiter tangit, si immediate post illa confiteatur. —

[1] Cf. *Aertnys,* L. VI, 252.

[2] In dioecesi Taurinensi: *sollicitatio ad turpia a sacerdote Poenitentiae ministro peracta in actu, vel occasione, aut praetextu confessionis*, est casus reservatus 1ae Classis.

E contra *vi praesentis clausulae* non erit denuntiandus, si quis extra confessionarium peteret confiteri prostridie,et confessarius illi confessionem dissuaderet, et interim sollicitaret, quia tunc in poenitente erit solum propositum confitendi tempore multo distincto a tempore confessionis. Sic nec erit denuntiandus, si postquam poenitens confiteri postulaverit, confessarius confessionem in aliud tempus distulerit, de aliis rebus serio colloqui coeperit, et postea sollicitaverit. Sic, semper *vi praesentis clausulae,* non erit denuntiandus confessarius, qui extra confessionem personam de confessione non cogitantem sollicitasset, quamvis postea ipsa v. g. ob praestitum consensum, remorsu agitata, statim confessionem petiverit, et fecerit. [1]

Spatium *post* incipit a data absolutione, et desinit postquam poenitens a pedibus confessarii exurgit, vel saltem ab ejus conspectu recesserit. Igitur ut sollicitatio dicatur facta *immediate post* requiritur, ut nec confessarius, nec poenitens ad alia se diverterit et nulla alia actio serio intervenerit. Hinc *ex hac clausula* denuntiandus est confessarius, qui, audita poenitentis confessione, dum ipsum ad manum osculandam accedit, eum turpiter tangit; vel poenitentem confessum immediate in locum secretum ducit et sollicitat.

E contra non est denuntiandus, si confessarius inter auditam poenitentis confessionem et sollicitationem alium poenitentem audiverit; — vel etiam, saltem juxta plures, si sollicitatio eveniat postquam poenitens a confessionario discessus alibi in Ecclesia prout de more genuflexerit [2]. — Nec si post auditam confessionem poenitentem aliibi duxerit ut aliquod negotium revera cum eo ageret et dum colloquuntur, quasi per accidens, ipsum sollicitet [3].

Ceterum in prima et secunda clausula semper *initium* sollicitationis inspiciendum est: nam sollicitatio intelligitur facta sive in *actu* confessionis, sive *immediate ante,* vel *immediate post,* si tunc

[1] Loquendo de hac clausula a parte *ante* dantur circumstantiae valde alienae a confessione, ut puta, si confessarius vocatus ad audiendam confessionem infirmae, illius cubiculum ingressus inveniret illam testamentum facientem, vel cum aliis personis confabulantem. Si in tali circumstantia confessarius scurrilitatibus, conversationi participando, indulgeret, ne lato quidem sensu in actu audiendi confessionem id faceret; et proinde quamvis postea, omnibus recedentibus, illico confessionem audiret,sub lege non caderet. Idem dicendum videtur, si confessarius solam quidem infirmam invenisset,sed illa dixisset, v. g.: Pater, confessionem faciam postea; nunc volo prius de aliis rebus tecum loqui. Confessarius autem in progressu talis collocutionis eam sollicitasset. Imo idem videtur dicendum, si confessarius ipse de aliquo negotio absque malitia (prout praesumi debet) sermonem cum ea introduxisset; semper enim verum esset quod poenitens voluntatem confessionem differendi concepisset, eoque sermone durante, confessionis status et actus nullo modo subsisteret. Dixi *absque malitia;* si enim potius credendum esset quod, dum infirma pro confessione statim facienda parata erat (quod semper praesumitur, si ab illa vocatus fuerit), confessarius malitiose alios sermones (quamvis ab initio indifferentes) introduxisset, ut paulatim ad apertam sollicitationem procederet; tunc procul dubio sub lege caderet, illi enim sermones tamquam sollicitationis initium considerari deberent. *Berardi*, De sollicitatione, n. 63.

[2] *Berardi*, De sollicitatione, n. 63.

[3] S. Alph., L. VI, 677.

confessarius aliquid fecerit, aut dixerit animo sollicitandi, etsi talis animus postea apparuerit, et quidem certe. Unde ad onus denuntiationis sufficit si confessarius vel in actu, vel ante, vel immediate post, aliquod medium sollicitationis apposuerit, indifferens quidem, quod tamen postea ex circumstantiis cognoscatur *certe* appositum ad sollicitandum, uti esset v. g. si quaerat ubi habitet; — vel si domi invitet; — vel si jubeat ipsum expectare domi, et domi sollicitet; — vel si poenitenti det chartam postea legendam, in qua ad turpia incitat. In his enim casibus, si non sollicitationem, ponit saltem medium, seu *initium* sollicitationis [1].

CLAUSULA 3ª—*Occasione,* vel *praetextu* confessionis. — Quonam sensu haec particula *occasione* vel *praetextu* confessionis intelligi debeat, duae adsunt sententiae principales.

Prima cum S. Alph. dicit hanc particulam esse veram et specialem clausulam quae ad alios casus legem extendit, nempe ad sollicitationem factam: — occasione *notitiae confessionis*, v. g. notitiae fragilitatis, vel paupertatis, in confessione habitae; — vel occasione *petitionis confessionis,* v. g. si poenitens extra locum confessionis petit confiteri, non tamen hic et nunc, sed alio tempore; — vel occasione *promissionis confessionis*, v. g. si confessarius mulierem sollicitat, sub promissione audiendi postea ejus confessionem; — vel occasione *invitationis ad confessionem,* v. g. si confessarius extra locum confessionis aliquem interrogat an velit confiteri, et postea sollicitat. — *Secunda* sententia vero, quae Cl. Berardi et aliis verior videtur, dicit hanc particulam clausulis praecedentibus (*actu confessionis vel ante vel immediate post*) in substantia nihil superaddere, et solum majoris explicationis gratia poni, ut scilicet comprehendantur casus in quibus ex confessarii malitia confessio locum non habuit. Ratio horum verborum *occasione* vel *praetextu* est ne fiat Constitutioni fraus, sic enim, non secuta confessione, possent confessarii, dolo proprio ipsis patrocinante, evitare poenas Constitutionis Pontificiae; nam non secuta confessione, dicere possent quod nec actu confessionis, nec immediate ante vel post confessionem sollicitaverint, quandoquidem id quod non est, nec ante nec post habere potest.

Ceterum, quidquid sit de hac duplici sententia, conveniunt Th. quod occasio confessionis intelligitur respectu ipsius poenitentis, cujus confessio auditur; si enim confessarius, occasione audiendi confessionem Theresiae, Luciam (Theresia non advertente) sollicitasset, non esset denuntiandus.— Casus itaque istius clausulae verificaretur, quando tam poenitens, quam confessarius sincere parati erant ad confessionem incipiendam, sed confessarius tentatione victus sollicitavit; postea autem (vel quia poenitens amplius confiteri noluerit, vel quia ab ipso confessario a confessione dissuasus fuerit, vel quia poenitens ob praestitum consensum indispositus evaserit), confessio locum non habuerit.

Ut igitur ex hac clausula adsit onus denuntiationis, oportet: — 1° Ut poenitens petat confiteri

[1] *D'Annibale,* Ed. 3°, III, 367 (11).

statim[1], etsi nondum ipse genuflexerit, nec confessarius sederit; aut petat *in ipso loco confessionis*, ut puta, si in confessionario petat cras confiteri; unde, ut dictum est, non adesset sollicitatio, si *extra locum* confessionis petat confiteri postridie. — 2° Oportet ut confessarius se paratum ad confessionem audiendam demonstraverit; si enim rogatus audire confessionem, dixisset se illam audire non posse, tunc, quum confessionis actus nullomodo subsistat, sollicitatio in sensu Bullae adesse non videtur. Hoc autem maxime verum esset, si, confessionem audire recusando, istius recusationis causam honestam adduceret: dicendo v. g. se non habere jurisdictionem. — 3° Oportet ut, dum omnia parata videbantur, veram sollicitationem fecerit, aut saltem inchoaverit.

Sed quid, si tunc solum dissuaserit poenitentem a confessione, et postea (v. g. altera die) illum sollicitaverit? — Plures respondent, quod non adest obligatio denuntiationis, dummodo in illa dissuasione suum pravum animum poenitenti satis non indicaverit; nuda enim et simplex dissuasio confessionis nec sollicitationem, nec initium modo certo constituere potest.

Dicitur vero *praetextu* confessionis quando confessarius poenitentem ad confessionem invitat, sive revera animum habeat eum confitendi, sive non, et interim statim ad sollicitationem transit[2]; sed requiritur ut animum suum pravum *sub velo*, ut ita dicam, confessionis celet ipsi poenitenti, ipsumque, non alios, decipiat.

Quare denuntiandus est confessarius quando, ficte et cum intentione sollicitandi, poenitentem ad confessionem invitat, eumque advenientem, vel utcumque ad confessionem hic et nunc faciendam paratum, sollicitat; — vel quando confessarius sive a poenitente ipso, sive ab ejus familiaribus pro confessione vocatus, cum unica, aut saltem principali intentione sollicitandi ad eum accedit, et solus cum solo remanens sollicitationem reapse exequitur; — vel quando vocatus ad absolvendam mulierem sensibus destitutam sub tali praetextu turpiter eam tangit[3].

E contra non est denuntiandus confessarius qui, praetextu mulierem confitendi, a superiore licentiam petat ipsam adeundi, quia tunc utitur tali praetextu non ad sollicitandam mulierem, sed ad illudendum superiori; — nec est denuntiandus, si ipsa mulier, nulla conventione praemissa, utitur praetextu confessionis ad confessarium advocandum et sollicitandum, quamvis deinde rem habeant; quia ex Const. tunc confessarius denuntiari debet, quando non poenitens, sed ipse sub praetextu confessionis sollicitat. — Attamen si

[1] *Statim*, seu confessionem petat hic et nunc moraliter agendam, et confessarius statim ad turpia sollicitet, confessionem ad aliud tempus differendo, licet postea confessio locum amplius non habeat.

[2] Juxta alios, *praetextu confessionis* habetur quando confessarius vel poenitens *ficte* proponit confessionem ad sollicitandum. Secus vero dicendum, si praetextus confessionis non est ordinatus ad confessionem, sed ad peccati jam conventi *executionem*, puta ad avertendum superiorem vel familiares a suspicione mali. (Cf. *Aertnys*, L. VI, 253; *Génicot*, II, 397; *Marc.* 1795).

[3] *Berardi*, n. 96-99.

—

confessionem *simulando* in loco ad confessionem audiendam *electo* turpia agunt, tunc denuntiatio, si non ex praesenti clausula, certe fieri debet ex sequenti.

CLAUSULA 4ª — *Vel etiam extra confessionis occasionem, in confessionali, aut in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, simulantes ibidem confessionem audire.* — Porro loca *destinata* dicuntur non solum confessionalia, sed etiam illa quae etsi confessionalis formam non habeant, nec confessionalia dicantur, tamen ex stabili destinatione ad audiendas confessiones sunt deputata [1]. Quaenam vero sint loca *electa* non conveniunt Th.. Alii cum D'Annibale [2] dicunt loca electa esse ea in quibus quis in praesens pro re nata confessionem excipit sive domi, sive in agro, sive in via. Sed alii cum Berardi [3] dicunt illa esse in quibus non jam ad simulandam unicam confessionem pro tali vel tali circumstantia, sed ad vere confessiones audiendas electa fuerint, prout saepe contingere solet, sive quia locus destinatus non adsit, vel ab alio confessario occupatus fuerit, sive quia ex qualibet alia necessitate vel majori commoditate (v. g. occasione magni concursus tempore Paschatis, vel Missionis, vel Communionis generalis etc.) alicubi, v. g. in choro, in sacristia, in cubiculo, etc. virorum confessiones excipiuntur.

Ut autem ex hac clausula adsit sollicitatio, requiritur non solum ut ipsa fiat in loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, sed etiam ut interveniat simulatio confessionis, nempe ut specie tenus, qua alii decipiantur, confessio agi videatur. Non requiritur tamen intentio confessionem simulandi, nec ut aliquis sit praesens, sed sufficit ut reapse adsit simulatio confessionis. At vero, si sollicitatio fit in confessionario, vel in alio loco ad confessiones excipiendas regulariter destinato, simulatio confessionis facilius exurgit. Si vero sit in loco tantum electo, tunc non sufficit quod confessarius et poenitens in eo loco simul colloquantur, sed requiritur, ut confessionem vere simulent; nempe uterque, confessarius et poenitens, ex condicto ut alios fallant, simulent confessionem.[4]

Hinc si tam confessarius quam poenitens sunt in loco patenti, ita ut ambo conspici possint, tunc ad

[1] Quaesitum fuit: 1° An loca in quibus excipi solent confessiones monialium habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones, vel ut vera confessionalia? — 2° An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum, in quibus excipi solent confessiones monialium claustralium, et in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis, quae vulgo dicuntur *Conservatorii, Ritiri*? — 3° Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales et alias degentes in praedictis locis; an etiam quoad alias mulieres extraneas?

S. Officii Congregatio 25 nov. 1874 respondendum censuit: Ad tria dubia prout exponuntur, *Affirmative.*

[2] *D'Annibale*, III, 365 (1).

[3] De sollicitatione, n. 105.

[4] *D'Annibale*, Comment. 172. — Verum si confessarius cubiculum aegrotantis ingreditur, rogatu ipsius adstantes recesserint, et remanserit solus cum sola quasi confessionem excepturus, nonne videtur eam sollicitare *simulatione* confessionis? Ita quidem juxta plures; sed juxta D'Annibale [Comment. 172 (16)] minime, quippe non sollicitat occasione confessionis, sed turpiter agit (v. S. Alph., 679).

simulationem requiritur quod ipsi eo modo sint compositi, quo esse solent dum confessio fit.—Si vero solus poenitens conspiceretur, sufficeret, si ipse solus dicto modo compositus esset. — Si denique essent ambo in loco clauso (v. g. in cellula ad audiendas confessiones destinata) sufficeret, si circumstantiae utcumque suaderent quod tunc confessio audiatur[1].

Casus autem practici in quibus haec simulatio (posito debito loco) contingere potest, sunt: 1° si poenitens venerit absque ulla intentione confessionis; 2° si confessionem nondum incoeperit, sed voluerit prius de aliis negotiis agere; 3° si confessionem finierit, et post ipsam de aliis negotiis tractaverit. Si tunc figura confessionis subsisteret, et sollicitatio accideret, clausula ista locum haberet[2].

An vero adsit simulatio confessionis, si confessarius et poenitens ad eludendos v. g. domesticos ex condicto convenerint simulare confessionem ut liberius turpiter agant, puta, si mulier aegrotam se fingat, et hoc nomine confessarium arcessat, disput. Th. — Unde in *praxi* animadvertendum, an conventio confessionem simulandi fuerit solum praetextus, vel an postquam locum illum elegerint, etiam confessionem vere simulaverint, et tunc in hoc postremo casu certe adesset sollicitatio.

609.—*Q.* Adest ne sollicitatio si confessarius, cognita in confessione poenitentis fragilitate, domi eam adit et provocat?

R. S. Alph. hunc casum revocat ad clausulam sollicitationis factae *occasione confessionis*, quia confessarius utens notitia confessionis, occasionem inde sumit eam sollicitandi; ergo cum sollicitatio impulsum habeat ex audita confessione satis verificatur quod *occasione confessionis* fiat sollicitatio.[3]

At Cl. D'Annibale[4] tenet quod in hoc casu non adsit vera sollicitatio; - ratio, quia iste ex confessione notitiam tantum, ex notitia vero sollicitandi ansam capit.

610. — *Q.* Adest ne sollicitatio si confessarius et poenitens invicem se sollicitant; vel si confessarius consensit poenitenti sollicitanti, si ipse non sollicitavit?

R. Affirmative ut constat ex decretis relatis in nota pag. 423, 8°, 9°.

In hisce tamen casibus observare convenit utrum *in praxi* poenitens denuntiationem facere possit sine infamia sui ipsius.

611. — *Q.* Quaenam poenae in sollicitantes?

R. Sollicitantes, ex Bulla Bened. XIV, incurrunt: — 1° Perpetuam inhabilitatem ad Sacrificii celebrationem, sed probabilius requiritur sententia saltem declaratoria criminis; a qua inhabilitate probabiliter excusat ignorantia invincibilis.—2° Incurrunt suspensionem ab executione ordinis, privationem beneficiorum, dignitatum, etc.: sed hae poenae sunt tantum ferendae sententiae[5].—3° Sunt denuntiandi.

[1] *Berardi*, n. 116. 123.
[2] *Berardi*, n. 113.
[3] S. Alph., L. VI, 678.
[4] *D'Annibale*, III, 367 (11).
[5] S. Alph., L. VI, 705. — In Archid. Neapolitana, *excommunicatione* Ordinario reservata *ipso facto* innodantur omnes et singuli, tum Confessarii tum simplices Sacerdotes, qui horrendum sollicitationis crimen patraverint juxta

ART. II.

De obligatione denuntiationis; et de poenis in non denuntiantes.

612. — *Q.* Quid est denuntiatio, et quaenam obligatio denuntiandi sollicitantes?

R. Denuntiatio hic intelligitur *manifestatio, seu declaratio determinata criminis coram judice ecclesiastico, ad coërcitionem et punitionem delinquentis* Posita vera sollicitatione, certe adest obligatio, et quidem sub gravi, denuntiandi sollicitantes, ut constat ex Bulla Greg. XV. Ut autem adsit obligatio denuntiationis requiritur: 1° Ut sollicitatio sit *certa,* ideoque poenitens bene examinari debet circa adjuncta omnia, sive antecedentia, sive concomitantia, sive (si res ita ferat) subsequentia; maxime vero attendi debet, an poenitens bono auditu polleat, nec hallucinationibus facile subjiciatur. Non requiritur tamen omnimoda evidentia, sed sufficit certitudo moralis, nempe quando pro existentia sollicitationis habentur talia indicia vehementia, quae prudentem suspicionem in contrarium non admittat; unde non adesset certitudo moralis, si indicia quidem gravia essent contra confessarium, sed alia indicia non levia illum excusarent, ideoque rem dubiosam redderent [1]. — 2° Ut non solum certo constet de facto, vel de dicto, sed etiam certo constet (certitudine morali) confessarium per illa verba, vel per illud factum graviter peccasse, et ideo vere sollicitasse, secus non est denuntiandus. — Hinc si sermones sunt graviter inhonesti, nempe verba sunt aperta, et intentio occulta, verbis standum est, ideoque confessarius denuntiandus est. Si vero verba sunt ambigua et intentio manifesta haec sequi debet. Quare si certo constat confessarium in illa interrogatione, vel in prolatione alicujus verbi *materialiter* tantum errasse, ex ignorantia, rusticitate, imprudentia; non vero *formaliter,* ideoque certo constet non commisisse peccatum grave et formale, tunc non est denuntiandus, quia pro denuntiatione requiritur peccatum grave non materiale tantum sed formale.

Haec maxime attendenda sunt in quibusdam munerum largitionibus, vel interrogationibus, vel in quibusdam loquendi modis, qui suspicionem quidem ingerunt sollicitationis, sed non certitudinem.

Quare ad cognoscendum, an quaedam verba confessarii, si v. g. poenitenti dicat: *Memento mei, quia te ex corde diligo,* vel *te libenter video,* et alia similia verba, veram constituant sollicitationem, videndum si ex modo loquendi, vel ex aliis circumstantiis certo dignoscitur confessarium ex pravo affectu locutum fuisse, tunc peccatum est certe grave, et propterea certa sollicitatio; secus, si dignoscitur locutum fuisse tantum ex quadam imprudentia, vel animi levitate. — Optime vero observat Cl. D' Annibale quod dubia circa sollicitationem non in aestimatione poenitentis,

terminos Constit. Gregorii XV, *Universi Dominici gregis,* et Benedicti XIV, *Sacram. Poenit.*—Casus I secundae classis.

[1] S. Alph., L. VI, 702; *Berardi,* Praxis, n. 564.

sed alterius confessarii esse debent [1].

613. — *Q.* Si sollicitatio est dubia, est ne facienda denuntiatio?

R. - 1. Si dubium est de *persona* sollicitantis, nempe sollicitatio est vera et certa, sed dubium adest, an sit iste, vel ille confessarius, qui sollicitaverit, tunc S. Alph. dicit: Si judex per suam diligentiam certus fieri potest de persona sollicitantis, denuntiatio facienda est. — Secluso hoc casu, non est facienda, quia alias ille sacerdos cum possit esse innocens, remaneret aliquo modo diffamatus, et in dubio illaesa debet servari fama proximi, qui eam possidet.

2. Si dubium est vel circa *factum*, nempe dubitatur an confessarii factum, vel dictum sit vera sollicitatio; vel circa *jus*, nempe Th. disputant an sollicitatio vere cadat sub aliqua ex praedictis clausulis, tunc in tali dubio sive facti, sive juris, sententia communior et verior dicit non adesse obligationem denuntiandi; tum quia odiosa restringenda sunt, tum quia in dubio nemo fama quam possidet privandus est.[2]

614. — *Q.* Est ne denuntiandus confessarius: 1° de sollicitatione jam satis convictus et punitus; vel 2° si jam sit emendatus; vel 3° si delinquens jam mortuus fuerit?

R. Ad 1ᵘᵐ. Th. dicunt quod si confessarius, postquam de primo crimine fuerit punitus, iterum delinquat certe iterum denuntiari debet. — Idem dicendum si de sollicitatione non fuerit plene convictus, quia tunc nec fuisset satis punitus. — Quod si de eadem sollicitatione confessarius fuerit jam satis convictus et punitus, an denuntiari adhuc debeat, S. Alph. cum aliis probabilius affirmat; alii tamen negant, modo non solum de denuntiatione, sed etiam de punitione, eaque plena, constet [3].

Ad 2ᵘᵐ. Confessarius sollicitationis reus, etsi jam emendatus sit, tamen est denuntiandus; - ratio, quia haec lex magis quam emendationem rei, ejus punitionem intendit ad aliorum exemplum, ac damnum Ecclesiae reparandum. Et ideo Sum. Pont. denuntiationem fieri sancivit, nulla correptione fraterna praemissa; quae utique praemittenda esset, si emendatio rei et non punitio intenta principaliter esset [4]. — Plures tamen dicunt non esse denuntiandum confessarium jam emendatum, modo emendatio adeo magna et conspicua sit, ut de reincidentia in sollicitationem nullus timor haberi possit: ut puta, si confessarius sollicitationem commiserit dum vitam agebat mundanam et sacerdote indignam; postea autem singularem et prorsus exemplarem mutationem fecerit, in eaque jam a multis annis stabilitatem ostenderit; speciatim si post talem conversionem, foeminarum confessiones nunquam amplius audire voluerit; maxime vero si insuper monasticam vitam susceperit, aut a laxiori ad strictioris observantiae magnaeque poenitentiae institutum convolaverit [5].

Ad 3ᵘᵐ. Negative; interrogata enim S. Poenit.: « Utrum denuntiandus sit Titius confessarius, li-

[1] *D'Annibale*, III, 368 (19).
[2] Vid. *Aertnys*, L. VI, 257.
[3] *Berardi*, De sollicitatione, 238.
[4] S. Alph., L. VI, 681. — Vide Decr. in nota pag. 423, 13°.
[5] *Berardi*, De sollicitatione, 230.

cet pluribus ab hinc annis defunctus, qui mulierem occasione confessionis sollicitavit? Et die 24 apr. 1884 resp. *Negative,* quia tunc cessat finis totalis legis, scilicet tam emendatio, quam punitio rei». — Idem probabiliter dicunt si sacerdos infirmus et jam jam moriturus esset; aut senectute simulque morbis chronicis ita confectus esset, ut confessiones nunquam in posterum auditurus foret[1].

615. — *Q.* Quinam tenentur ad denuntiationem?

R. Ad denuntiationem tenentur: 1° ipsi poenitentes; — 2° non solum poenitentes, sed etiam omnes, etsi impuberes, qui aliunde *certo* sciunt sollicitationem, modo crimen sciant a personis fide dignis, secus si scirent a fide indignis, vel foeminis levibus.

Tenentur autem denuntiare etsi sollicitationem *nequeant juridice probare;* — vel crimen sit *occultum;* — vel *longum tempus* post sollicitationem effluxerit[2].

616. — *Q.* Potest ne absolvi poenitens qui denuntiare renuit?

R. Posita obligatione denuntiationis, poenitens, vel quisquis a persona fide digna scit aliquem confessarium in hoc crimen incidisse, quum teneatur sub gravi eam facere, absolvi nequit nisi prius denuntiet.

Quod si adsit justa causa denuntiationem differendi, puta si ministri tribunalis ecclesiastici longe distent, vel si adsit necessitas communicandi ad vitandum scandalum, aut ad jubilaeum lucrandum, vel si diu in mortali morari deberet, tunc absolvi potest etiam ante denuntiationem; modo poenitens serio promittat se denuntiaturum esse quam primum potuerit, et poenitens talis sit, ut ipsi credi possit[3]. — Hoc autem *quam primum potuerit* post mensem intelligitur, si intra mensem non potuerit[4].

617. — *Q.* Quaenam poenae in non denuntiantes?

R. ~~Pius IX, in Constit. Apost. Sedis,~~ excommunicationi *nemini reservatae* subjacere declaravit *negligentes,* sive *culpabiliter omittentes* denuntiare infra mensem confessarios, sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in casibus supra expressis[5]. Codex Can. 23

Igitur poena excommunicationis respicit tantum poenitentes sollicitatos qui culpabiliter denuntiationem omittunt, non vero alios qui aliunde sollicitationem sciunt; isti enim tenentur quidem ad denuntiationem, sed non sub poena excommunicationis.

Ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur: 1° ut obligatio denuntiandi sit certa; 2° ut omissio denuntiationis sit culpabilis, nempe ut poenitens sciat obligationem denuntiandi, et quidem sciat obligationem esse sub poena excommunicationis, et sciat adesse mensem pro tali obligatione adimplenda, et voluntarie illam omittat: mensis computatur a die quo haec tria cognovit; 3° ut reapse tempus utile ad denuntiationem transactum fuerit.

Si quis autem per mensem vel amplius laboraret impedimento continuo, quo a denuntiatione exequenda praepediretur, tunc pro ipso mensis solum a die cessantis impedimenti computari deberet.

[1] *Berardi,* Ib.
[2] S. Alph., L. VI, 695.
[3] Instructio C. S. Off. die 20 feb. 1867.
[4] S. Alph., L. VI, 693; *Frassinetti,* Tr. XVI, 504.
[5] Vid. n. 540; et *Génicot,* 400.

— Dixi: *Impedimento continuo;* si enim impedimenta essent interpolata, ita ut, iis non obstantibus, intra mensem sat commode denuntiatio fieri possit, tunc qui negligeret, excommunicationem (si id sciret) non effugeret. Qui itaque praevideret, quod circa finem mensis denuntiare non poterit, etiam sub poena censurae incurrendae, anticipare tenetur. Censuram tamen non quando negligentiam apponeret, sed solum finito mense incurreret[1].

Facta vero denuntiatione, a simplici confessario absolvi potest, quia nemini est reservata.

Si autem poenitens, facta promissione denuntiandi, ab excommunicatione fuisset absolutus, et postea denuntiationis executionem iterum negligeret, an in censuram reincidat, disput. Th.. Cl. Berardi affirmat; sed alii negant, tum quia absolutio absolute hic conceditur, et quando Const. *Apost. Sedis* aliud voluit, aperte expressit, tum quia excommunicatio lata est contra non denuntiantes in termino statuto, non autem contra non denuntiantes toties quoties possunt ac debent[2].

Art. III.

De obligatione confessarii monendi poenitentem de onere denuntiationis.

618. — *Q.* Confessarius tenetur ne monere poenitentem de obligatione denuntiationis?

R.—1. Confessarius certe non tenetur inquirere a poenitente an sollicitatus fuerit, haec enim inquisitio scandalo esse potest; excepto casu, quo gravia indicia adessent de tali crimine, v. g. si poenitens se accusasset de peccatis cum confessario suo commissis, tunc enim interrogare posset an aliquid mali occasione confessionis interfuerit.

2. Si vero ex spontanea poenitentis confessione vel quovis alio modo, confessarius apprehenderit poenitentem fuisse sollicitatum, tunc sub gravi de obligatione denuntiationis illum monere tenetur, tum ex officio quod confessario incumbit admonendi poenitentes de suis obligationibus, tum ex positiva Ecclesiae lege, quae praecipit ut confessarius personas sollicitatas de hac obligatione admoneat. Sacerdotes autem ad confessiones audiendas constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, non solum graviter peccant, sed insuper debent puniri[3].

Haec autem positiva lex poenitentem monendi de tali obligatione afficit, ex Bulla, sacerdotes ad audiendas confessiones constitutos; unde non extenditur ad ipsum sacerdotem sollicitantem; nam Bulla loquitur de poenitentibus qui *ab aliis* sollicitati fuerint.[4]— Nec extenditur, saltem probabilius, ad simplices sacerdotes, puta si simplex sacerdos confitendo moribundum in periculo mortis, ipsum sollicitatum fuisse cognosceret.

Poenitens, quem confessarius admonere debet, intelligitur non qui jam fecit, sed qui facit confessionem, unde in actu confessionis admonitio fieri debet.

[1] *Berardi*, n. 178, 182.
[2] *Bucceroni* II, 1271; *D'Annibale* III, 369.
[3] Declar. C. S. Off. 20 mart. 1624.
[4] Vid. *Génicot*, II, 399.

Quod si quis sollicitatus, ad aliquem confessarium accedat non animo confitendi, sed ex alio fine vel temporali, vel spirituali, tunc confessarius vi Bullae monere non teneretur, quia non esset suus poenitens. Teneretur tamen si iste postea ad illum pro confessione accederet, quia tunc esset ejus confessarius; vel si accederet praecise ad consilium habendum pro casu sollicitationis, etsi confessionem sacramentalem non faceret, uti constat ex Decr. Alex. VII, 8 jul. 1660.

Ceterum, si confessarius poenitentem de obligatione denuntiationis monere omiserit, non ideo liberatur poenitens ab onere denuntiandi, sed semper tenetur vix talem obligationem cognoverit.

619. — *Q.* Confessarius, cognita sollicitatione, tenetur ne *statim* monere poenitentem de obligatione denuntiationis?

R. Quum Bened. XIV dixerit: poenitentes de tali obligatione esse monendos *juxta occurrentium casuum circumstantias*, patet quod monitio interdum non statim fieri debet. Sic, v. g. si aliqua mulier ratione itineris ad confessarium non proprium accedat, et casum sollicitationis pandat, poterit iste confessarius illam, si velit, remittere ad proprium confessarium ordinarium, modo parata sit huic casum sollicitationis manifestare, ejusque mandatis obtemperare [1].

620. — *Q.* Confessarius tenetur ne monere poenitentem quem noverit esse in bona fide, et aliunde muneri suo non esse satisfacturum?

R.—I. Si confessarius tantum dubitat sive de bona fide poenitentis, sive quod muneri suo non sit satisfacturus, tunc illum monere tenetur.

2. Si vero de utroque est certus tunc si adest aliqua gravis causa quae eum a denuntiatione excuset, ut dicetur inferius, monitionem differre poterit quousque talis causa perdurat, modo poenitens paratus sit, cessante causa, obligationi suae satisfacere.

3. Si autem non adest haec gravis causa excusans, tunc confessarius, regulariter loquendo, poenitentem monere tenetur, non obstante ejus bona fide et praevisa reluctantia, uti constat ex Instr. S. C. S. O. die 20 feb. 1867; quia haec lex denuntiationis non bonum poenitentis, sed bonum publicum respicit, cujus intuitu, non obstante periculo alicujus mali spiritualis a parte poenitentis, exigit ut admonitio fiat. — Dixi: *regulariter loquendo;* nam in aliquo casu specialissimo, in quo constet monitionem nullomodo profuturam esse, imo certissime nocituram, tunc plures Th. dicunt quod monitio differri, et interim dispensatio obtineri poterit [2].

621. — *Q.* Confessarius tenetur ne poenitentem monere de excommunicatione in non denuntiantes?

R. Duo hac in re distinguenda sunt: obligatio denuntiationis ex Bulla Greg. XV; et censura in non denuntiantes. Porro ex Bulla confessarii tenentur solum monere personas quas noverint sollicitatas de obligatione denuntiationis, non vero de censura si forte non denuntiaverint; ergo monitio de

[1] *Berardi*, De sollicitatione, Art. XV.
[2] *Berardi*, De sollicitatione, 330; *Ballerini* in notis Gury, II, 611, q. 2 (e); *Frassinetti*, nota 170.

censura incurrenda solum juxta regulas prudentiae a confessario facienda est, nimirum prout viderit monitionem profuturam esse vel non.

622. — *Q.* Confessarius potest ne declinare onus obligandi poenitentem ad denuntiationem, illum mittendo ad alium confessarium?

R. Confessarius, qui noverit poenitentem certe sollicitatum fuisse, declinare nequit onus obligandi ad denuntiationem, illum mittendo ad alium confessarium, quia Bulla Gregor. XV confessarium praecise obligat; et aliunde, si id liceret, tunc quisque confessarius hoc onus declinare et in alios refundere posset, et sic poenitens semper ab uno ad alium mitteretur, et a nemine admoneretur. — Excipe tamen si confessarius non ad declinandum onus, sed ad alium mitteret ex rationabili motivo, et cum consensu poenitentis, v. g. quia casus est difficilis, et poenitentem mittit ad confessarium magis doctum et peritum, vel mittit ad proprium confessarium, ut dictum fuit n. 619.

623. — *Q.* Confessarius potest ne sponte sibi onus assumere denuntiationem recipiendi, eamque Episcopo transmittendi?

R. Negative: ét graviter peccaret si sponte scire vellet nomen sollicitantis. Sed poenitenti ipsi tenetur imponere onus se Episcopo praesentandi, vel ipsi scribendi ut sciat quid sibi sit agendum. Et solum in casu quo poenitens ex se ipso hoc facere nequeat, confessarius illi praesto esse potest, Episcopum, vel S. Poenitentiariam, vel S. Officium de hac re monendo. Et si ipsi committitur mandatum denuntiationem recipiendi, tunc solum habet jus petendi nomen sollicitantis.

NOTA: Vicarius Gen. nequit aliquem delegare pro denuntiatione accipienda; quia Episcopus solus est Inquisitor in propria Dioecesi. Imo nec accipere potest ipsam denuntiationem sine speciali delegatione ab Episcopo. Quando vero quis mandatum habuerit denuntiationem recipiendi, ipsam transmittere debet ad Episcopum loci non poenitentis, sed confessoris, vel ad Poenitentiariam, vel ad S. Officium, prout mandatum habuerit.

ART. IV.

De causis a denuntiatione excusantibus.

624. — *Q.* Grave incommodum excusat ne a denuntiatione?

R.—1. Si quis denuntiationem facere, et simul grave incommodum declinare potest, tunc certe a denuntiatione non excusatur, quia incommodum evitare potest.

2. Si vero tale incommodum evitari nequit, tunc Th. communiter dicunt quod, regulariter loquendo, a denuntiatione excusat, modo incommodum: 1° sit *verum,* et non solum putativum et falso apprehensum (quo in casu confessarius errorem a mente poenitentis repellere debet); 2° sit *grave,* nempe prudenter timetur grave aliquod damnum in vita, vel in fama, vel in bonis temporalibus (in hoc enim casu quisque sibi praecavere potest ex jure naturae, quod juri positivo praevalet); et 3° sit *extrinsecum,* nam non excusat incommodum intrinsecum, v. g. verecundia in enarrandis turpibus verbis aut factis confessarii, vel timor ne iste puniatur;

vel timor ne animadvertat a quo denuntiatio facta fuerit, etc..

Dixi: *regulariter loquendo,* nam tale incommodum non excusaret in aliquo specialissimo casu, in quo bonum publicum aut alicujus communitatis exigeret ut, non obstante gravi (et forte gravissimo) incommodo, denuntiatio sine mora fieri debeat; prout speciatim contingere posset si de actuali monialium confessario ageretur, qui, v. g. non sine periculo horribilis scandali, ad delicta non solum verbis, sed opere etiam consummato cum aliqua ex monialibus ipsis (puta vere vel ficte infirma, occasione vel praetextu confessionis) procedere auderet [1].

625. — *Q.* Secretum excusat ne a denuntiatione?

R.—**1.** Secretum mere *naturale,* aut mere *promissum,* licet juramento firmatum, non excusat, quia tale secretum non tenet contra bonum publicum.

2. Secretum *vero commissum*, nempe quando res manifestata est ad petendum consilium, tunc excusat, quia propalatio talis secreti esset contra bonum publicum, praecluderetur enim via ad petenda consilia. (Vide dicta V. I, n. 1123 et seq.).

626.—*Q.* Circumstantia quod denuntiandus est amicus, vel benefactor, vel consanguineus excusat ne a denuntiatione?

R.—**1.** Haec circumstantia certe non excusat si agatur de casu specialissimo nuper in numero superius relato. — Nec excusat si agatur de amico non intimo, vel de benefactore non insigni, vel de benefactore insigni quidem, sed ex causa inhonesta, puta ad explendam libidinem, vel de consanguineo aut affini in gradu remotiori.

2. Si vero agatur de amico intimo, qui sit veluti alter ego; vel de benefactore insigni et quidem ex causa honesta, tunc disput. Th.: nonnulli affirmant talem circumstantiam excusare; sed communiter negant.—Quoad consanguineos vero et affines plures sat probabiliter affirmant, saltem si est consanguineus vel affinis in primo gradu, maxime autem si etiam in eadem familia conviveret, et ex denuntiatione discordia familiaris et quidem gravis et diuturna formidanda esset [2].

627.—*Q.* Timor quod denuntiandus in cognitionem denuntiantis deveniat, ideoque odium et vindictam concipiat in denuntiantem excusat ne?

R.—**1.** Denuntiatio ut plurimum peragi potest ope confessarii, et proinde secretissime; nec unquam nomen denuntiantis denuntiato revelabitur; ergo difficillimum erit quod sacerdos cognoscat a quanam persona denuntiatus fuerit.

2. Dato etiam et non concesso quod sacerdos in cognitionem deveniat personae denuntiantis, difficile erit quod aliquam seriam et gravem vindictam denuntians timere possit; ergo ille timor ut plurimum non est fundatus, ideoque a denuntiatione non excusat.

3. Si tamen in aliquo casu specialissimo haec duo simul concurrant, nempe vera probabilitas quod sacerdos denuntiatus tandem aliquando in cognitionem denuntiantis devenire possit; et quod propter speciales et prorsus extraordinarias circumstantias de vindi-

[1] *Berardi,* n. 271 et 296.

[2] *Berardi,* n. 268-271.

cta valde damnosa denuntians formidare debeat, tunc ordinarie a denuntiatione excusabitur, non in perpetuum, sed solum quousque talis timor rationabiliter perdurat [1].

628. — *Q.* Poenitens excusatur ne a denuntiatione : 1° si sollicitationi consenserit ; 2° vel si ex denuntiatione timet quod se ipsum prodat ?

R. Ad 1ᵘᵐ. Poenitens a denuntiatione non excusatur si sollicitationi consenserit; nam suum consensum reticere poterit, nec de eo interrogabitur. Nec timere debet quod reus ad se excusandum dicat poenitentem consensisse ; nam Judices neque id credunt, neque hoc dictum in actis scribunt. Ceterum S. C. S. Off. in Epist. ad Card. Boromaeum (27 sept. 1625) definivit hunc consensum a denuntiatione non excusare.

Ad 2ᵘᵐ. Si sollicitatio confessarii ita cum peccatis poenitentis sit connexa, ut iste denuntiare nequeat quin seipsum prodat, puta si confessarius dixisset : *Haec tua peccata cadere me fecerunt in pollutionem ;* — vel : *Aliis tui copiam fecisti, cur non etiam mecum es humana ?* — vel : *De hoc tuo turpi desiderio agemus post confessionem,* et postea malum secutum fuerit, tunc in hisce casibus certe se ipsum prodere non tenetur. — Attamen si poenitens denuntiationem facere potest sine vero periculo propriae famae, certe ad ipsam tenetur. In tali enim casu poenitens reticere potest quidquid sibi probrosum esset. Si v. g. copula interfuerit, dicere poterit : *Volebat ut voluptatibus ejus satisfacerem.* Si poenitens confessarium sollicitaverit, et ille mere consenserit, tunc dicere poterit : *In materia contra sextum male mecum se gessit, nec quidquam amplius declarare possum.* Ceterum, ait Cl. Ballerini [2] ad prudentiam confessarii spectat ut probe respiciat, ac poenitentem doceat quonam pacto denuntiatio, salva denuntiantis fama, locum habere possit [3].

[1] *Berardi*, 277.
[2] *Gury-Ballerini*, II, 591, q. 1 (*b*).

ART. V.

De modo denuntiationem exequendi.

629. — *Q.* Denuntiatio quotuplex est ?

R. Denuntiatio triplex est : formalis, simplex et anonyma.

Denuntiatio *formalis,* seu *judicialis* est illa cui nihil deest ut in judicio deservire possit ; et haec alia est ordinaria, quae fit personaliter apud Judicem ecclesiasticum vel ejus delegatum cum interventu Notarii : alia est extraordinaria, quae ex dispensatione Ordinarii fit apud Sacerdotem delegatum sine interventu Notarii.

Denuntiatio *simplex* est quae fit absque forma sive ordinaria, sive extraordinaria, et contingit quando persona sollicitata (nulla prius ab Ordinario dispensatione obtenta) ope epistolae a se subscriptae, vel confessarii non delegati, denuntiationem exequitur.

Denuntiatio *anonyma* est quae fit per epistolam vel non subscriptam, vel subscriptam nomine fictitio, aut etiam vero, sed tali ut auctor nullo modo cognosci pos-

[3] *Berardi*, Praxis, 573.—Vid. etiam *Génicot*, II, 398.

sit ; et haec certe nullam vim habet, uti pluries declaravit C. S. Off..

630. — *Q.* Denuntiatio quomodo facienda est ?

R.—1. Denuntiatio voce, si possit, fieri debet ; unde persona sollicitata, non scripto, sed *personaliter* se sistere debet coram Inquisitore, vel Ordinario loci in quo versatur poenitens, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat. Cavendum vero est ne in denuntiatione quaeratur, num sollicitationi consenserit, et convenientissimum foret, si de hujusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis.

2. Si denuntiatio voce fieri nequit puta si mulier ob verecundiam, clausuram, infirmitatem, vel ob aliud impedimentum physicum aut morale Superiorem personaliter adire nequit, tunc, obtenta dispensatione, fieri potest per epistolam ab ipsa persona sollicitata, vel ab ipso confessario ejus nomine scriptam, sed semper a persona sollicitata proprio nomine et cognomine subscriptam et juramento munitam ; vel fieri potest viva voce apud sacerdotem, aut confessarium ad denuntiationem accipiendam delegatum. Sacerdos autem, vel confessarius delegatus juramentum praestare debet tum de silentio servando, tum de munere sibi commisso fideliter adimplendo [1].

[1] Quomodo autem delegatus in hac denuntiatione recipienda se gerere debeat, patet ex sequenti formula juxta Inst. S. C. S. Off., 20 feb. 1867, adhibenda.

« Die... Mensis... sponte personaliter « comparuit coram me infrascripto si- « stente in (*notabit locum ubi reperi- « tur ad actum recipiendum*) ad hunc « actum ab Ill.mo et Rev.mo N. specia- « liter delegato, prout ex ejusdem Or- « dinarii litteris mihi directis et datis « sub die (*exprimet quo die ipsi scri- « ptae fuerint litterae*) praesenti posi- « tioni allegandis, N.N. (*scribet nomen, « cognomen, patrem, patriam, condi- « tionem et habitationem personae de- « nuntiantis; et si haec religiosa fue- « rit, exprimet etiam nomen, quo ea « vocabatur in saeculo. Deinde pro- « sequetur*) cui, delato juramento ve- « ritatis dicendae, quod praestitit, tac- « tis SS. Dei Evangeliis (*etiamsi denun- « tians esset Sacerdos, quae manu « tangere facit*), exposuit prout infra, « videlicet : (Hic persona denuncians « vernaculo sermone declarare debet, « se scire obtentam esse ab Ordinario « loci facultatem recipiendi absque in- « terventu notarii, quod ad suam con- « scientiam exonerandam expositura « est, propterea quia justis de causis « eidem R.mo Antistiti se sistere nequit; « deinde narrare continuo debet quae « ad sollicitationes ei factas attinent, « seu verba fuerint, seu actus, accurate « describendo locum, tempus, occasio- « nem, vices et singula adjuncta, nec- « non utrum in actu confessionis, aut « prius vel post Sacramentalem abso- « lutionem ea evenerint. Nominare de- « bet confessionalem sedem et ipsum « confessarium sollicitantem, et qua- « tenus hujus nomen et cognomen aut « ignoret, aut oblita fuerit, describet « accurate illius personam, omnes di- « stincte characteres notando, ita ut « ille recognosci possit. Animadvertat « delegatus non esse interrogandam « personam, utrum consensum ad ac- « tum turpem quocumque modo prae- « stiterit vel recusaverit, cum ipsa ad « suos defectus manifestandos non te- « neatur. Hisce excriptis prout narran- « tur, delegatus, quae sequuntur, ne- « que aliud praeterea quidquam re- « quiret).

« Interrogata : An sciat vel dici au- « dierit dictum N. N. (*nominando per- « sonam*) confessarium sollicitasse alias « poenitentes ad turpia ? Et quatenus « etc.

« Respondit: (Notabit responsionem; « et, si haec affirmativa fuerit, nomen « et cognomen personarum sollicitata- « rum exquiret, et causam scientiae).

3. Quod si persona sollicitata nec Ordinarium, nec sacerdotem delegatum adire possit, puta puella quae a comitatu matris se separare nequit, tunc tenetur denuntiationem per epistolam facere, modo superius dicto. Et, si nec epistolam mittere possit, tunc Episcopus concedere potest ut confessarius delegatus in confessionali verbo tenus denuntiationem recipiat, illamque statim excriptam (ne aliqua circumstantia e memoria excidat) cum nomine denuntiantis superiori deferat [1].

Quod si persona sollicitata proprium nomen Superiori indicare nolit, tunc confessarius illam certiorem reddat quod nomen ejus secretissimum servabitur, nec denuntiatus unquam ejus nomen scire poterit [2].

« Interrogata: De fama supradicti « confessarii N. N., tam apud se quam « apud alios ? Et quatenus etc.

« Respondit: (*Responsionem excribet*).

« Interrogata: An odio vel amore « praefata deposuerit, et super inimi- « citia, aliisque generalibus etc., et qua- « tenus etc.

« Respondit: Recte (si ad propriam « conscientiam exonerandam denuncias- « se se dicet).

« (Si a sollicitatione plus uno mense « praeterlapsum fuerit, erit etiam in- « terroganda).

« Interrogata: Cur tamdiu distulerit « praefata denuntiare proprio Ordina- « rio et conscientiam exonerare ?

« Respondit: (*Notabit responsionem*).

Actus claudatur hac ratione :

« Quibus habitis et acceptatis, etc., « dimissus (vel dimissa) fuit juratus (vel « jurata) de silentio servando ad no- « vum tactum SS. Dei Evangeliorum « (*Super Evangelium iterum jurabit*), « et in confirmationem praemissorum « se subscripsit, (*et si scribere nesciat*) « vel cum scribere nesciret, prout as- « seruit, fecit signum Crucis (*Crucis « signum calamo faciendum ab eo « exiget*).

« Postquam denuntians se subscrip- « serit, aut Crucis signum fecerit, sub- « scribet se delegatus hoc modo:

« Acta sunt haec per me N. N. ab « Ill.mo et R.mo Antistite N. N. ut supra « specialiter delegatum.

« Integrum deinde actum directe ad « proprium Ordinarium delegantem « transmittet una cum instructione et « litteris acceptis, nihil omnino apud « se retinendo ».

4. Si autem mulier denuntiationem facere omnino renuat, tunc confessarius, si illam fide dignam duxerit, recurrere poterit ad S. Poenitentiariam ut concedat, si opportunum duxerit, quod poenitens, indicato nomine confessarii sollicitantis, proprium abscondere possit.[3]

631. — *Q.* Expedit ne ut confessarius assumat in se onus deferendi denuntiationem vice poenitentis, vel eam excipiendi ?

R. Plures dicunt non expedire, quia secus non paucis detractionibus et periculis exponeretur [4].

Sed (excepto forsan casu confessarii missionarii, ne missiones odiosae reddantur) oppositum dici debet. Suprema enim C. S. O. (Instr. cit.), dicit : « Laudandus « confessarius, qui operam suam

[1] *Scavini*, III, 516; *Berardi*, Praxis, 570, et alii.

[2] « Cardinalis Albitius, de Inconst. in Fide, c. 35, sic habet : Fuit resolutum 28 jun. 1597, et 28 feb. 1598, et 15 apr. 1612, quod quando mulier est nobilis et verecunda, nec potest induci ad deponendum, in Urbe (*Romae*) consulatur S. Congregatio.—Si vero extra Urbem, consulatur Episcopus, vel Inquisitor; qui, si habent difficultatem, consulant S. Congregationem; sin minus, dent facultatem confessariis absolvendi poenitentem, quae justis de causis denuntiare recusat; quae tamen debet absolvi sub conditione, quod, cessantibus causis, teneatur hoc facere, ac etiam non adire amplius confessarium, a quo fuit sollicitata ». *Gury*, II, 593, q. 5.

[3] Cf. *Aertnys*, L. VI, 258.

[4] S. Alph., L. VI, 699.

« poenitenti non denegaverit et « vel Ordinarium vel S. Sedem « pro opportunis providentiis con- « suluerit, suppresso tamen poe- « nitentis nomine ». Si autem confessarius hoc onus acceptare nollet, tunc poenitens alium sacerdotem, aut (prout melius erit) localem Episcopi Vicarium, vel Poenitentiarium adibit ; at vero, si ille quoque renueret, tunc poenitens (nisi ope epistolae de hoc cum Superiore convenire posset) ad nihil amplius teneretur ; nisi forte aliqua propitia occasio in posterum se offerret; ut puta, si Episcopus occasione Sacrae Visitationis ad confessionale se conferret.

NOTA : Cavendum est confessariis, et multo magis Ordinariis, ne facile credant denuntiantibus mulieribus, siquidem non semel accidit ut calumniis innocentes sacerdotes insectatae sint. Earum sinceritas praesertim suspecta esse debet, quando libenter denuntiationem arripere videntur. Quare ante oculos earum ponatur gravissimum scelus quod tali calumnia patrarent, et severissima lex quam Bened. XIV (Const. *Sacr. Poenit.*) tulit adversus eos qui « innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant ». Nempe ibidem R. P. edicit : « Quaecumque persona, quae execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Nobis nostrisque successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat ». — Adverte hanc poenam non incurri a muliere quae sacerdotem de sollicitatione accuset sine denuntiatione judiciali.

E contra, juvat scire et prudenter innuere poenitentibus quae nimis formident funestas denuntiationi suae sequelas pro sacerdote quem diligunt : praxim S. Inquis., omnibus episcopis propositam, esse ut tantum post tertiam denuntiationem reus in judicium vocetur. Gènicot, II, 400, 5°.

APPENDIX II.

DE INDULGENTIIS

ART. I.

De Indulgentiis in genere.

632. — *Q.* Quid est indulgentia, et quomodo dividitur?

R. Indulgentia definitur: *Remissio poenae temporalis debitae peccatis post Baptismum commissis, et jam quoad culpam et poenam aeternam remissis, facta a legitimo Superiore extra Sacramentum per applicationem thesauri Ecclesiae* [1].

Indulgentia triplici modo dividitur:

1. Ratione *objecti* cui inhaeret, et alia est *localis,* quae immediate conceditur loco, v. g. ecclesiae, altari, etc.; alia *realis,* quae immediate conceditur rei, v. g. coronis, numismatibus, etc.; alia *personalis,* quae immediate conceditur personae, independenter a loco et re, v. g. communicantibus.

2. Ratione *effectuum* quos producit, et alia est *plenaria,* alia *partialis,* prout totam poenam remittit, vel tantum partem poenae: talis est, v. g. indulgentia 40 dierum, trium annorum, vel *septenae* et *quadragenae;* et tunc juxta communem sententiam intelligitur tolli illam poenam, quae tolleretur per jejunium illorum annorum aut dierum (qui in indulto exprimuntur) in pane et aqua

[1] Nomine *thesauri indulgentiarum* intelligitur superabundantia meritorum Christi, B. M. V. et Sanctorum, quae non fuerunt applicata et in mente Dei custodiuntur. Neque injuriosum est Christo, si ad merita ejus infinita adjungantur Sanctorum merita; honor enim servorum redundat in Dominum, cum Sanctorum merita nonnisi ex Christi meritis habeant quod nobis prodesse possint. — Vocabulum vero *meritorum* hic *sensu lato* sumitur, seu quatenus merita Christi, B. M. V. et Sanctorum *satisfactoria* sunt et ideo alteri communicari possunt; dum merita *sensu stricto* sumpta, seu quatenus jus ad mercedem dicunt, sunt omnino personalia, seu propria personae merentis, et alteri communicari nequeunt.

In Ecclesia autem adesse thesaurum indulgentiarum constantem primario ex meritis infinitis Christi, et secundario ex meritis superabundantibus B. M. V. et Sanctorum, res evidens est. Revera: merita Christi etiam uti satisfactoria sunt infiniti valoris et ideo superabundanter satisfecerunt pro peccatis nostris, non solum quoad reatum culpae et poenae aeternae, sed etiam quoad reatum totius poenae temporalis, nam *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* (Rom. v. 20). Atqui haec merita satisfactoria et superabundantia Christus Ecclesiae reliquit ut nobis communicaret. Ergo. — Item B. M. V. utpote Immaculata nullum contraxit reatum poenae, et tamen Regina Martyrum fuit. Sic plures Sancti ab omni fere culpa immunes fuerunt et tamen tot et tanta sustinuerunt, qui propterea satisfactionem Deo obtulerunt longe superantem poenam peccatis suis debitam. At vero istae satisfactiones superabundantes evadunt ne inutiles, otiosae? Minime sane. Ergo in Ecclesia necessario existere debet thesaurus indulgen-

secundum canones poenitentiales qui olim in Ecclesia vigebant [1]. Quando indulgentiae plenariae addita est etiam partialis, id vel ad diversos concedentes referendum est, vel fit ad cautelam, ut, si forte causa indulgentiae non fuerit sufficiens ad plenariam, saltem valeat ad illam partialem lucrandam; vel ut ea per modum suffragii possit defunctis applicari.

3. Ratione *temporis* ad quod extenditur, et alia est *perpetua*, alia *temporalis*, prout in perpetuum vel ad tempus conceditur.

633. — *Q.* Quaenam doctrina catholica circa indulgentias?

R. — I. In Ecclesia catholica adest thesaurus indulgentiarum. Veritas certa est, et proxima fidei, ut constat ex contraria propos. 41 Synodi Pistoriensis damnata a Pio VI.

II. Usus indulgentiarum est utilis populo christiano; tum quia indulgentiae non conceduntur nisi rite dispositis et poenitentibus, tum quia conceduntur ad obtinendos salutares fines, quos Ecclesia intendit, uti conversio peccatorum, dilatatio fidei, etc.. Veritas de fide est, ut definivit. Conc. Trid.: « *Sacrosanta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant* » [2].

III. Ecclesia potestatem habet a Christo concedendi indulgentias. Veritas de fide est, ut patet ex relato decreto Trid. [3].

IV. Ad lucrandas indulgentias

tiarum, cujus dispensationem ipsa sola habet. — Omnes porro commembra sumus unius capitis Christi, ergo omnes fideles de illis participare possunt. Esto quod vi hujusmodi communionis omnes jam per se participent, at multo magis participare debent illi, quibus applicantur specialiter.

[1] Indulgentia homines liberat a reatu poenae temporalis non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo; hoc est fidei proximum; et contraria propositio proscripta fuit a Leone X contra Lutherum, et a Pio VI contra Synodum Pystoriensem.

[2] Sess. XXV, Decr. *De Indulgentiis.*

[3] Ecclesiam potestatem habere a Christo indulgentias concedendi probatur:

1° *Ex S. Scriptura.* Revera Christus B. Petro dixit: *Tibi dabo claves regni coelorum; quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.* Et Apostolis dixit: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* Hisce verbis Christus Ecclesiae potestatem dedit, sine ulla restrictione, solvendi quodcumque vinculum quod ingressum in coelum impediat. Atqui poena temporalis peccatis remissis debita est vinculum ingressum coeli impediens. Ergo.

2° *Ex Praescriptione.* Ecclesia semper indulgentias proprie dictas elargita est, nemine reclamante. Sic B. Paulus poenitentiam extrasacramentalem in persona Christi, idest potestate ab eo accepta, indulsit incestuoso Corinthio, *ne abundantiori tristitia absorberetur.* Sic saeculis sequentibus S. S. Pontifices et Episcopi poenitentias canonicas saepius poenitentibus relaxabant, modo ad commendationem martyrum, modo propter aliquam minorem compensationem. Et haec relaxatio poenitentes coram Deo vere solvebat, secus, ut ait S. Th., Ecclesia per has indulgentias magis poenitentes damnificaret quam adjuvaret, quia ipsos absolvendo a poenitentiis iniunctis, remitteret ad poenas graviores, scilicet Purgatorii. Sic Urbanus II, in Conc. Claromontensi, anno 1095, plenariam indulgentiam concessit iis, qui crucem adversus infideles sumerent, nec ullus Pontificem redarguit quod talem exerceret potestatem. At vero Ecclesia ab ipsa sua origine hac potestate usa est. Ergo dicendum est quod haec potestas vere ei competit.

requiruntur sequentes conditiones : 1° ut lucrans sit baptizatus, liber ab excommunicatione et subditus concedentis [1] ; 2° ut sit in statu gratiae ; 3° ut habeat debitam intentionem ; 4° ut integre adimpleat opera praescripta.

634. — *Q.* Quibusnam competit potestas concedendi indulgentias ?

R. Quum potestas concedendi indulgentias non sit ordinis, sed jurisdictionis, ipsa competit solis Ecclesiae Praelatis, quia ipsi soli potestatem habent in corpus mysticum Christi, et ideo ipsi soli thesaurum Ecclesiae dispensare possunt. Hinc :

1. Solus Papa indulgentias concedere potest respectu omnium fidelium, ipse enim solus jurisdictionem habet in omnes fideles [2].

2. Emin. Patres Cardinales, juxta decretum Pii PP. X (28 aug. 1903), nunc et in posterum *bis centum* dierum indulgentiam concedere possunt in ecclesia, cui uti Episcopi praesunt, et in ecclesiis suorum titulorum, quamvis non sint episcopi, nec sacerdotes. — Nuntii Apostolici vero 100, aut 200, aut 300 dierum, sed minus quam unius anni, subditis suis, sicut antea, quia nihil quoad ipsos in praesenti disciplina est immutatum.

3. Primates, Patriarchae possunt de jure communi concedere indulgentias 80 dierum non solum in sua dioecesi, sed etiam in tota provincia, etiam extra visitationis actum, quia jus canonicum hanc facultatem eis faciens absque limitatione loquitur : Archiepiscopi vero, ex recenti concessione, *centum* dierum indulgentiam elargiri valent.

4. Episcopi possunt concedere fidelibus suis subditis annum indulgentiae die dedicationis, seu consecrationis Ecclesiae, et aliis temporibus *quinquaginta* dierum, juxta recentem concessionem [3] ; et hae indulgentiae non sunt applicabiles defunctis.

5. Praelati Episcopo inferiores, uti Vicarii Apostolici, Vicarii Generales, Abbates, Vicarii Capitulares sede vacante, Generales Ordinum, non possunt concedere in-

[1] Nequit Episcopus fidelibus non suae dioecesis indulgentias concedere, etiamsi Ordinarius loci consentiat (S. C. Ind. 12 jan. 1878).

At, si indulgentia concessa sit omnibus visitantibus v. g. aliquam ecclesiam, tunc etiam peregrini eam lucrari possunt.

[2] Quaesitum fuit :—1° Quando Pontifex indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles tamen indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, requirituruе ut illa a locorum Ordinariis promulgetur ? An sufficit ut certi sint illam a S. Pontifice fuisse concessam ? — R. « *Negative* quoad primam partem ; *affirmative* quoad secundam » (S. C. Ind., jul. 1830).

2° Utrum quis possit frui obtentis indulgentiis seu gratiis absque licentia et recognitione Ordinarii sui ? « *Affirmative* quoad usum et fruitionem ; sed private tantum iisdem valeat uti gratiis, modo in nullius gravamen cedant, aut scandali occasionem praebeant, et modo orator eas facultates sine licentia..... typis mandare non praesumat » (S. C. Ind., 16 dec. 1840).

3° Utrum qui obtinet facultates diversas ab apostolica sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes *Viae Crucis*, benedicendi cruces, numismata, debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis ? — R. *Affirmative* quoad *Viae Crucis* erectionem ; *negative* quoad alias facultates, nisi aliter sit dispositum in obtentis concessionibus (S. C. Ind., 6 feb. 1844).

[3] Vide Decr. S. C. Ind., die 28 aug. 1903, in *Monitore Ecclesiastico*, vol. XV, p. 390.

dulgentias sine speciali facultate S. Sedis.

6. Tandem delegatus easdem indulgentias concedere potest, ac ille a quo fuit delegatus, juxta mensuram, quam delegans delegato praestituit [1].

635. — *Q.* Indulgentiae quomodo applicantur?

R. Indulgentiae *pro vivis* applicantur *per modum solutionis simul et absolutionis;* nempe Ecclesia virtute clavium realiter satisfactiones temporales solvit et realiter fideles absolvit a poena temporali debita, quia ipsi ejus jurisdictioni subjacent; unde effectus indulgentiarum *pro vivis,* positis ponendis, est infallibilis.

Indulgentiae vero *pro defunctis,* cum animae in purgatorio detentae jurisdictioni Ecclesiae non subdantur, ipsis applicari non possunt per modum absolutionis, sed solum per modum solutionis, seu *per modum suffragii;* idest fideles, concedente Summo Pontifice, indulgentias seu satisfactionem Deo offerunt, Ipsum suppliciter rogantes ut pro tali, vel tali anima acceptare dignetur. Unde effectus indulgentiarum *pro defunctis* non est infallibilis, cum pro eis nulla adsit promissio, et Deus ipsas acceptet tantum ad suum beneplacitum. Qua autem proportione Deus acceptat, nemo definire potest. Itaque nunquam certi esse possumus animas, ope indulgentiarum sive partialium, sive plenariarum eis applicatarum, a Purgatorio fuisse liberatas. Unde indulgentia, qua promittitur liberatio unius animae a purgatorio, vim habet quidem animam liberandi; verum semper ignoratur quo gradu de facto eidem fuerit applicata.

636. — *Q.* Quaenam intentio requiritur ad lucrandas indulgentias?

R.—1. Nulla intentio requiritur ad lucrandas indulgentias, quae nullum requirunt opus; quales sunt indulgentiae in *articulo mortis* lucrandae.

2. In ceteris casibus, omnes conveniunt quod non requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis. Et haec intentio virtualis certe requiritur, quando a Superiore exiguntur certa opera *pro aliqua speciali necessitate* applicanda.

3. An vero, casu quo nulla specialis intentio in opere adimplendo indicitur, requiratur intentio virtualis, vel sufficiat intentio *habitualis,* seu interpretativa, in eo posita, quod quis, in eo quod agit, intendat mereri quantum potest, disput. Th. — Alii intentionem virtualem requirunt, quia lucrans indulgentias dirigere debet opus praescriptum ad finem a concedente intentum; hoc autem praestare nequit qui saltem virtualiter non intendit lucrari indulgentiam. — Alii vero dicunt sufficere intentionem habitualem, quia effectus indulgentiae pendet omnino a concessione Ecclesiae, et non ab intentione agentis; Ecclesia vero nunquam expresse praescripsit ut fideles habeant intentionem lucrandi indulgentias. Et, si aliquando praescribit ut fideles orent ad hunc, vel illum finem, hoc pertinet ad opus injunctum, non vero ad intentionem lucrandi indulgen-

[1] Indulgentiae concessae cum clausula: « *ad beneplacitum nostrum* » expirant morte concedentis; secus dicendum de concessis cum clausula: *ad beneplacitum nostrum et Sedis Apostolicae* » ex Const. *Inter praeteritos* Bened. XIV, edita 3 dec. 1749.

—

tias [1]. — In *praxi* tamen prima sententia est suadenda ut fideles certe indulgentias lucrentur, quia in hoc non valet probabilitas. Hinc laudabilis et utillima est *praxis* piarum animarum, quae mane renovant intentionem lucrandi omnes indulgentias adnexas bonis operibus quae per diem peracturae sint.

637. — *Q.* Requiritur ne status gratiae ad lucrandas indulgentias ?

R. — 1. Si agatur de indulgentiis *pro vivis,* tunc pro quavis indulgentia certe requiritur status gratiae, saltem quando ultimum opus praescriptum ponitur, quia non remittitur poena, nisi dimissa culpa. — Hinc, si indulgentia est *plenaria,* tunc ut quis illam adipiscatur requiritur absolute ut non solum consecutus sit veniam omnium peccatorum, sive mortalium, sive venialium, sed etiam ut nullum affectum habeat ad aliquod veniale : secus indulgentia plenaria, ut probabilius et communius docent Th., non applicatur nisi partialiter, plus minusve pro ratione dispositionum. — Si vero indulgentia est tantum *partialis,* tunc subjectum non potest quidem indulgentiam partialem acquirere respective ad peccatum veniale cujus affectum adhuc retinet, bene vero respective ad alia peccata venialia, de quibus dolet ; quia remitti nequit poena peccato debita, nisi prius remittatur peccatum [2].

2. Si vero agatur de indulgentia lucranda *pro defunctis,* an requiratur status gratiae Th. affirmant, si inter opera praescripta numeretur confessio et communio ; secluso hoc casu, disputant, licet communius et probabilius affirment.

638. — *Q.* Quomodo opera praescripta persolvi debent ?

R. Opera praescripta persolvi debent, integre, et quidem tempore, modo, et loco praescripto ; nam indulgentiae ex vulgari adagio *tantum valent, quantum sonant* [3]. Ita si praecipiantur speciales preces, ipsae fieri debent juxta intentionem concedentis, quae preces non sunt necessario recitandae flexis genibus, nisi id sit praescriptum. Si vero preces sunt indeterminatae, tunc alii dicunt sufficere 5 *Pater* et *Ave,* alii 6, alii 7, vel alias similes orationes. Surdimuti ex indulto Pii IX satis est ut mentaliter orent. Preces autem etiam cum socio alternatim possunt recitari [4].

Opus praescriptum debet esse *liberum,* nisi aliter statuat Indultum pontificium. Hinc, si ad injungenda erunt loco communionis et visitationis (18 septembris 1862). — Hanc concessionem Leo XIII (16 jan. 1886) extendit ad infirmos aut senio confectos in communitate et sub regula viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exequi non possunt. (Cf. *Génicot*, II, 405 f. ; *Aertnys*, L. VII, 189).

[1] Est autem certum quod non est necesse scire determinate quaenam hae indulgentiae sint et an reapse adsint.

[2] S. Alph., L. VI, 534.

[3] Ex concessione Pii IX, christifideles, qui in eo statu infirmitatis sunt, ut domo egredi non valeant, si rite confessi, acquirere possunt omnes et singulas plenarias indulgentias, quas acquirere possent recipiendo communionem et visitando ecclesiam, etsi nec communicent, nec visitent ecclesiam ; modo alia praescripta impleant, et quae a confessario

[4] Licet vertere in aliam linguam preces cum indulgentiis, quin indulgentiae amittantur, si fidelis est versio. (S. C. Ind., 14 maji 1838).

dulgentiam lucrandam exigatur jejunium, non valet jejunium quadragesimae, vigiliae, et quatuor temporum [1].

Demum opus praescriptum *integre* adimplendum est; unde, si quis partem notabilem operis omittat, certe indulgentias non lucratur; secus si minimam partem tantum praetermittat, quia tunc opus censetur moraliter, seu quoad substantiam, impletum. Haec autem minima pars respective sumenda est. Sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave*, minima videtur: e contra, si pro indulgentia lucranda requirantur 5 *Pater* et *Ave*, tunc omissio unius *Pater* et *Ave*, idest quintae partis operis injuncti, notabilis est.

639. — *Q.* Confessio et Communio requiruntur ne ad lucrandas indulgentias?

R. Confessio et Communio generatim requiruntur ad lucrandam indulgentiam plenariam, nisi aliud statuatur. Porro *Confessio* est necessaria quando dicitur *contritis et confessis*, licet quis sola venialia habeat, sed non est necesse ut absolvatur; quae confessio fieri potest vel in ipsa die indulgentiae, vel in ejus vigilia.

Ex decr. S. C. Ind. (15 dec. 1841), statutum est, ut qui singulis hebdomadis confiteri solent, omnes indulgentias per hebdomadam occurrentes lucrari possint (ad quas lucrandas confessio sacramentalis ceteroquin requireretur) dummodo ab ultima confessione in mortale non inciderint, nec agatur de Jubilaeo.—Imo hoc privilegium ex speciali indulto extensum fuit in pluribus locis ad duas hebdomadas, vel etiam ad integrum mensem, uti in missionibus orientalibus [2]. — Ex decr. vero S. C. Ind., et a Pio VII approbato 12 jun. 1822 etiam fideles qui singulis hebdomadis confiteri non solent, per confessionem peractam infra hebdomadam, idest infra septem dies ante festivitatem, lucrantur indulgentias eidem festivitati adnexas, si degant in locis, in quibus, attenta penuria confessariorum, Ordinarius obtinuit speciale Indultum.

Confessio et *Communio* (quae non valet si est sacrilega) peragi potest die, qui immediate praecedit diem, pro quo concessa est indulgentia, non tamen caetera opera (S. C. Ind., 14 decembris 1869; 6 oct. 1870). — Communio *Paschalis* inservire potest ad lucrandas indulgentias plenarias, excepta indulgentia jubilaei. (S. C. Ind., 10 maji 1844) [3].

640. — *Q.* Potest ne quis pluries in die eamdem indulgentiam lucrari?

R. Si indulgentia est partialis

[1] Attamen quaesitum fuit: « Utrum poenitens precem aut pium opus indulgentiis ditatum explens, possit simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrare? — R. *Affirmative* ». S. C. Ind., 14 jun. 1901.

[2] « Nunc vero Beatissimus Pater Pius X omnibus Christi fidelibus, qui in statu gratiae, et cum recta piaque mente quotidie sancta de altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a Communione abstineant, praefato tamen f. r. Clementis Pp. XIII indulto frui posse concedit, absque hebdomadariae illius confessionis obligatione, quae ceteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessario extaret ». S. C. Indulg. 14 feb. 1906.

[3] Si concedatur facultas commutandi opera injuncta ad lucrandas indulgentias, tunc ex declaratione Greg. XIII, commutatio fieri potest etiam extra confessionem, et quidem non tantum a confessario, qui confessionem audit, sed etiam a quocumque approbato; excepta

et adnexa operibus determinatis, ut actibus fidei, spei et caritatis, etc.; vel si indulgentia concedatur visitantibus aliquam ecclesiam non statuto die, ut quando dicitur: *omnibus iis, qui talem visitaverint ecclesiam*, tunc pluries lucrari potest; secus vero, si visitatio alligata sit tali diei determinato, ut diei festo patroni ecclesiae [1].

Si vero indulgentia est plenaria, et plures adsunt, tunc eadem die plures lucrari possunt etiam applicabiles defunctis, etsi pro unaquaque praescripta sit Communio, dummodo tamen ea die, vel vigilia Communio sumatur, et caetera imposita opera adimpleantur. Sic declaravit S. Cong. Indulg., 10 maji 1841. — Verum *eadem* indulgentia plenaria semel dumtaxat in die lucrari potest, nisi indultum expresse eam pluries eodem die lucrari posse decernat, uti fit e. g. pro indulgentia *portiunculae* dicta, die secunda mensis augusti. Ita S. C. Indulg. 15 mart. 1852; 10 sept. 1883.

641.—*Q.* Quaenam conditiones requiruntur ut indulgentia *animabus purgatorii* applicari possit?

R. Ut indulgentia animabus purgatorii applicari possit, duae conditiones requiruntur: — 1° *ex parte concedentis*, ut sit eo fine concessa, ut defunctis applicari possit, quae concessio a solo Rom. Pontifice fit, non vero ab Episcopo, nisi speciale indultum habeat; — 2° *ex parte lucrantis*, ut adsit in ipso intentio virtualis, vel saltem habitualis, ut dictum fuit n. 636, indulgentias defunctis applicandi, nam superior concedit tantum *posse* applicari, non applicat autem actu. — Necesse autem non est ut fiat specialis applicatio certis animabus determinatis, sed sufficit applicatio generalis facta omnibus animabus in purgatorio degentibus, quia suffragia sunt divisibilia, et proinde in omnes animas distribui possunt. Sed, si quis applicationem suam restringere velit, tunc animas quasdam specialiter determinare debet. [2] Ceterum quisque propriae devotioni indulgeat.

Disput. autem Th. an indulgentia infallibiliter prosit animabus purgatorii, quibus applicatur: alii affirmant, et alii negant, cum nulla ipsis adsit promissio, unde

tamen commutatione, quae fieret vi jubilaei; haec enim ex Bullis *Convocatis*, et *Inter praeteritos* Bened. XIV, omnino facienda est in confessione, nisi alia facultas expresse concedatur.

[1] Si solemnis celebratio diei festi, cui adnexa sit indulgentia, legitime transfertur in aliam diem, tunc etiam transfertur indulgentia, et ideo conditiones ad ipsam requisitae, nempe Confessio, Communio et recitatio precum. Si vero transfertur tantum officium cum missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, nulla fit translatio indulgentiarum. S. C. 11 aug. 1862.

Postulatum fuit: 1° Cum ex diversis decretis S. C. Indulg. jam liceat plures plenarias indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur, an dictum decretum respiciat solum indulgentiam in una die occurrentes propter festivitatem, vel etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam, aut mensem diei affixerit? — 2° Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur ecclesiam visitare, quando requiritur talis visitatio, tot vicibus quot sunt indulgentiae lucrandae? — 3° Et quatenus affirmative, an sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces, seu visitationes repetantur quot sunt indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur. — S. C. Indulg. respondit: Ad 1um *Affirmative*. Ad 2um *Affirmative*. Ad 3um *Negative*. — 29 febr. 1864.

[2] Vide dicta n. 637, 2.

Deus ipsas acceptat tantum ad suum beneplacitum [1].

ART. II.

De aliquibus indulgentiis in specie

§ 1°

De benedictione Papali et ceteris indulgentiis in articulo mortis.

642.—*Q.* Quaenam notanda sunt circa benedictionem Papalem ?

R. Inter indulgentias, quae in articulo mortis lucrari possunt, maxime enitet Benedictio Papalis, seu Apostolica, cum indulgentia plenaria adnexa; circa quam adnotanda sunt :

I. Hoc proprium est hujus indulgentiae ut acquiratur in *vero* mortis articulo, seu in extremo vitae momento, quando anima a corpore separatur. Et ex hoc haec indulgentia discriminatur ab aliis indulgentiis quae acquiruntur tunc quum ultimum opus praescriptum absolvitur, dum haec non acquiritur, etsi omnia opera praescripta adimpleta sint, nisi eo momento quo anima a corpore separatur. Quum autem haec indulgentia non acquiratur nisi in vero mortis articulo, *unica* conceditur a Rom. Pontifice, ideoque non potest pluries lucrari [2].

Benedictio Papalis impertienda est aegrotis in periculo mortis constitutis, etiam pueris qui peccare potuerint etiamsi sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel in amentiam inciderint.—Excommunicatis vero impoenitentibus, et illis qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda. Ita Rit. Rom.

II. Ad hanc indulgentiam impertiendam requiritur *ex parte sacerdotis*:

1. Ut sit *delegatus*. Bened. XIV vero hanc delegationem non solum concessit omnibus Episcopis, sed etiam ipsis facultatem concessit *subdelegandi* alios sacerdotes, tum saeculares, tum regulares; et ita quidem ut nec delegatio Episcopis concessa expiret per mortem Sum. Pontificis; nec subdelegatio sacerdotibus facta per mortem Episcopi.

2. Ut adhibeat *formulam* a Bened. XIV praescriptam; quae si omittatur, etiam ob libri deficientiam, indulgentia non lucratur; quia non est tantum directiva, sed praeceptiva. S. C. Ind., 5 feb. 1841. Hinc si Viaticum, Extrema Unctio, et Benedictio Papalis simul dentur, *Confiteor* ter recitari debet. S. C. Ind., 5 feb. 1841. — Si autem instat mors, breviori formula in ipsa Rubrica hujus Benedictionis provisum est.

3. Ut infirmum *moneat* « ut mor-

[1] S. Alph. L. VI. 534; *Génicot*, II.402, 3.°

[2] Utile erit notare differentiam quae intercedit, relate ad modum concessionis, inter absolutionem poenae temporalis quae datur in absolutione sacramentali, et quae datur per indulgentiam. Absolutio sacramentalis datur semper absolute, vel, quod in idem recidit, sub conditione de praeterito, vel de praesenti ita ut haec absolutio vel suum effectum producat eo tempore quo confertur, vel nihil conferat; e contra absolutio quae datur per indulgentiam, licet et ipsa dari posset absolute, tamen generatim datur hypothetice et ad tempus aliquod sive determinatum, ut accidit in indulgentia in articulo mortis, in qua tempus determinatum est extremum vitae momentum, sive indeterminatum ut locum habet generatim in ceteris indulgentiis.

bi incommoda atque dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid Ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit ».—Res prudentiae est hanc exhortationem (quae jam in confessione fieri potest), ita moderari, ut aegroti perturbatio, vel adstantium indignatio evitetur.

III. — Ad hanc vero indulgentiam acquirendam requiritur *ex parte infirmi* :

1. Gravis infirmitas, seu mortis articulus; attamen pro mortis articulo non venit ipsa agonia, sed evidens et proximum periculum mortis.

Nota: Olim Benedictio Papalis impertiri non poterat nisi in mortis articulo, seu tempore quo aegroto mors proxime imminebat ; nunc vero dari potest statim ac infirmus est in periculo mortis constitutus; quaesitum enim fuit: « Utrum Benedictio Apostolica cum Indulgentia plenaria in articulo mortis dari possit post collata extrema sacramenta, quum periculum quidem mortis adest non tamen imminens ? » S. C. Ind., die 18 dec. 1885 respondit: *Affirmative.*

2. Status gratiae, qui conjunctus esse debet cum detestatione omnium peccatorum venialium, ut quis *totaliter* lucretur indulgentiam in *articulo mortis.* Quod si quis non detestetur omnia peccata venialia, acquiret indulgentiam juxta capacitatem.

3. Intentio saltem interpretativa lucrandi indulgentiam; nam Rit. Rom. dicit impertiendam esse illis infirmis qui vel illam petierint, vel verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis.

4. Ut sit confessus ac sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, et Nomen Jesu, ore si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit. S. C. Ind., 23 sept. 1775.—Et haec invocatio, saltem mentalis, Nominis Jesu, si infirmus suae mentis est compos, ex eod. Dec. requiritur ut conditio *sine qua non* ad lucrandam indulgentiam.

5. Ut actus contritionis et caritatis eliciat, et mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiat.

IV.—Benedictio Papalis iterari potest quoties infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.

Quoad iterationem in eadem infirmitate, en quod certum est:

1. Ex Dec. S. C. Ind., 12 mart. 1855, prohibitum est « infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri *pluries* ab eodem, vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus, indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo *benedictio papalis* dicitur. »

2. Nec licet apostolicam benedictionem iterare, eo quod aegrotus eam acceperit in statu peccati mortalis, vel postea in peccatum relapsus fuerit, vel absolutionem denuo receperit.—Ratio omnium horum est, quia, cum benedictio apostolica pro lucranda plenaria indulgentia concessa sit a SS. Pontificibus pro mortis articulo, si mors infirmi non sequitur immediate postquam sacerdos delegatus papalem benedictionem dederit, haec suspensa manet et

suum effectum sortitur in *vero* mortis articulo. Ex Decr. S. C. Ind., 20 jun. 1836.

3. An vero pluries impertiri possit Benedictio cum indulgentia plenaria in articulo mortis non illimitate, sed *limitate* ad casum quo quis, utpote pluribus piis Associationibus adscriptus, jus habet ex variis his titulis ut eidem a variis Associationum Directoribus Benedictio impertiatur, Cl. Melata S. Cong. Indulg. consultor sententiam affirmativam tuetur, et probat varia S. Congr. decreta, quae prima fronte contraria videntur, hoc unum importare, nempe prohibitum esse Benedictionem *ex eodem titulo* iterare [1]: at hoc esset opus inutile, uti patet ex dictis.

643. — *Q.* Quid de ceteris indulgentiis *in articulo mortis?*

R.—**1.** Indulgentiae concessae pro articulo mortis non requirunt applicationem confessarii, aut alterius ministerium. Expedit tamen moribundos ad pios affectus fidei, spei, et caritatis, etc., excitare simulque in memoriam ipsis revocare intentionem lucrandi indulgentias.

2. Infirmi in articulo mortis plures plenarias indulgentias, ob plures titulos concessas, simul lucrari possunt; v. g. si possident res sacras, cruces, numismata; vel si adscripti sunt alicui piae confraternitati, v. g. SS. Rosarii, Tertii Ordinis S. Francisci, etc., etiamsi eas ignorent, aut de iis non recordentur, dummodo non requirant certa opera pro speciali necessitate applicanda.

3. Non est autem necesse ut moribundus res sacras, quibus indulgentiae sunt affixae, habeat collo appensas, vel brachio obvolutas, vel manu apprehendat, sed sufficit, ut ipsae sint in lecto, vel juxta ipsum appensa, licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat aut recordetur eas se habere: nisi aliud exprimatur.

4. Moribundus indulgentias cruci, rosario, etc. adnexas toties lucrari potest, quoties nomen Jesu repetierit, vel opera praescripta praestiterit.

Ut autem infirmus has indulgentias lucretur, requiritur: ut sit in articulo mortis, etsi mors nonnisi post plures dies sequatur; ut sit confessus et Communione refectus, vel, si haec Sacramenta recipere nequeat, sit saltem contritus; ut SS. Nomen Jesu invocet, saltem corde, si voce nequeat, ut plerumque praescriptum est, et quidem tot vicibus quot sunt indulgentiae lucrandae.

§ 2°

De indulgentiis Viae Crucis.

644.—*Q.* Quid de indulgentiis *Viae Crucis?*

R. Ad lucrandas indulgentias pro exercitio dicto *Viae Crucis*, requiritur ut omnes 14 stationes, singulatim per ordinem, et unico moraliter tractu visitentur. Quare requiritur 1° ut visitans transeat ab una ad aliam stationem in quantum multitudo visitantium, vel capacitas loci permittunt, Redemptoris passionem, etsi breviter, meditando. Hinc *Adoremus, Pater, Ave, Miserere nostri*, laudabiliter tantum adduntur (S. C. Ind., 22 sept. 1829). Quod si ob concursum populi, vel loci angustiam transitus peragi nequeat,

[1] *Melata*, Dissertatio etc...

tunc requiritur ut ad singulas stationes ab unoquoque ex adstantibus efficiatur aliquis corporis motus, puta, surgendo vicissim et genuflectendo stationes versus. Requiritur 2° ut in visitatione adsit moralis unio. Breve autem tempus v. g. ad audiendum sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad confessionem faciendam, etc. moralem unionem non obrumperet [1].

NOTA: De indulgentia Altaris privilegiati, vide dicta ubi *de Sacrificio Missae*, n. 356, in nota.

§ 3°

De indulgentiis rebus adnexis.

645.—*Q.* Quaenam sunt observanda quoad indulgentias rebus adnexas?

R. Ex pluribus S. Sedis responsis, quoad indulgentias rebus adnexas, sequentia sunt notanda:

1. Indulgentiae adnecti possunt quibuslibet rebus solidis, ex auro, argento, ligno, etc., etiam coronae vitro solido confectae. Res tamen quae frangi, aut lacerari facile possunt, ut papyrus, vitrum insufflatum, etc., aut vilis materiae, uti ex ferro, stamno, plumbo, excipiuntur [2].

2. Indulgentiae amittuntur, si dominium rei mobilis benedictae jam nobis adpropriatae in alium transferatur; indulgentia enim conceditur tantum personae pro qua res fuit benedicta, vel quae primo ea utitur. Aliter est, si res tantum commodetur; modo commodans non intendat beneficium indulgentiae commodatario concedere (S. C. Ind., 26 nov. 1714).

3. Quaesitum fuit: An qui emit coronas, cruces, numismata, etc., ut ea distribuat, postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa, vel sine periculo indulgentias amittendi? — Resp. fuit: *Negative* (die 12 jul. 1847).

4. Ad benedicendum pro indulgentiis cruces, rosaria, etc., satis est signum crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum. Sed pro coronis S. Dominici et B. Mariae Virginis septem dolorum requiritur formula praescripta et aspersio aquae benedictae. (S. C. Ind., 11 apr. 1864).

5. Indulgentia comitatur Crucifixum: qui potest de una in aliam crucem collocari sine indulgentiae praejudicio. [3]

6. Speciatim quoad *Coronas* precatorias. — Quaesitum fuit: 1° An coronae indulgentias amittant, si alicui donentur. Et S. C. Ind., 10 jan. 1839 respondit: *Affirma-*

[1] Quatuordecim stationes constare debent totidem crucibus, sub poena nullitatis. Tabulae nec sufficiunt, nec sunt necessariae. Tabulae vero, si habeantur, mysteria Passionis iisdem stationibus correspondentia exhibere debent. Cruces autem debent esse confectae ex ligno, et hoc sub poena nullitatis.

Stationes erigi non possunt nisi a Sacerdote, qui hanc obtinuerit facultatem vel ab ipsa Apostolica Sede immediate, vel mediate per episcopum, vel a ministro Generali minorum de observantia nuncupatorum. Impetrata facultate, stationes erigi non possunt, nisi de consensu Episcopi, et hoc sub poena nullitatis. Facta vero erectione, confici debet documentum praefatae concessionis, et secutae executionis.

[2] S. C. Indulg. 29 feb. 1820; vide Instruc. in Append. Rit. Rom.

[3] S. C. Ind., 11 apr. 1840.

tive quoties non dentur immediate, vel mediate a persona facultatem habente distribuendi. — 2° An post mortem domini, alter acquirat dominium earum, nempe indulgentiarum. Et respondit: *Negative,* quia indulgentiae non transeunt personas prioris dominii. — 3° An amittant, si rumpatur earum filum, sive voluntarie ut catenis nectatur, sive involuntarie et fortuito? Et respondit: *Negative,* quia coronae eaedem perseverant quoad formam. — 4° Quid, si globuli quatuor, vel quinque deperdantur? Et respondit: *Negative,* ex allata ratione. — 5° Si amico commodentur, sive ad coronam simpliciter recitandam, sive ad indulgentias lucrandas? Et respondit: *Negative* in primo casu: *affirmative* in secundo; ut enim pereant indulgentiae coronis aliisque rebus mobilibus affixae, requiritur finis dandi, vel commodandi pro communicatione indulgentiarum. — 6° Novissime autem Pius Pp. X *cumulationem* Indulgentiarum in recitatione SS. Rosarii benigne concessit, nempe ut simul lucrari possint in eadem recitatione tum Indulgentiae a P. P. Crucigeris nuncupatae, tum Indulgentiae propriae Rosarii a S. Dominico dictae; dummodo Coronae utramque benedictionem acceperint (S. C. Ind., die 12 jun. 1907).

ART. III.

De Jubilaeo.

646. — *Q.* Quid est jubilaeum, et quomodo dividitur?

R. Jubilaeum est *Indulgentia plenaria cum quibusdam privilegiis adnexis a Rom. Pontifice concessa certa opera peragentibus.* — Unde patet quod Jubilaeum non differt ab Indulgentia plenaria nisi accidentaliter, nempe ratione tum solemnitatis qua conceditur, tum gratiarum et privilegiorum, quae ipsi annectuntur [1].

Jubilaeum — **1.** Aliud est *ordinarium,* seu Jubilaeum *majus,* quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui *annus sanctus* vocatur; primum Romae celebratur, dein anno sequenti extra Romam toto Orbe, nisi aliud statuatur, prout factum est pro jubilaeo anni 1875. Porro hoc jubilaeum ordinarium Romae acquiri potest *toties quoties,* quoad indulgentiam; in reliquo vero orbe regulariter semel tantum [2].

2. Aliud est *extraordinarium,* seu Jubilaeum *minus,* quod concedi solet a singulis Rom. Pontificibus post uniuscujusque exaltationem, vel ob aliquam causam peculiarem; et ordinarie pro ipso lucrando conceduntur solum paucae hebdomadae.

3. Aliud est *generale,* quod conceditur universo Orbi; aliud *particulare,* quod conceditur tantum alicui loco.

Notandum: In Jubilaeo *majori,* seu in anno sancto, *nisi aliud statuatur,* prout in Jubilaeo anni 1875, suspenduntur toto anno fere omnes aliae indulgentiae pro vivis, non autem quae sunt concessae pro defunctis. Dixi *fere omnes,* quia non remanent suspensae: 1°

[1] Jubilaeum principaliter conceditur ut fideles ad veram poenitentiam provocentur, atque ita Dei misericordiam, aut publicarum calamitatum liberationem consequantur. — Quandoque etiam indicitur ad fovendam reverentiam et obedientiam erga S. Sedem, ad quem finem consequendum multum confert solemnis Jubilaei indulgentia.

[2] Vid. *Génicot,* II, 414.

indulgentiae pro moribundis ; 2° pro recitatione *Angelus Domini ;* 3° pro visitatione SS. Sacramenti solemniter expositi ; 4° pro comitantibus Viaticum ; 5° indulgentiae quae ab aliis quam a Papa conceduntur. Et ex Bened. XIV, hae indulgentiae, quae speciatim non remanent suspensae, eo anno omnes defunctis applicari possunt [1] : imo , ut declaratum fuit pro jubilaeo anni 1900, *omnes* etiam indulgentiae, quae pro vivis suspensae manent, *pro defunctis* lucrari possunt [2].

§ 1°

De requisitis ad Jubilaeum lucrandum.

647.—*Q.* Quaenam conditiones ad Jubilaeum requiruntur ?

R. Quoad conditiones ad Jubilaeum requisitas inspiciendae sunt Litterae concessionis : variant enim, aliquando plura, aliquando pauciora opera praecipiuntur, neque semper eodem modo sunt exequenda, sed juxta mentem Pontificis concedentis.

In Jubilaeo *majori*, seu anni sancti, regulariter tria opera praescribuntur : 1° Visitatio ecclesiarum, 2° Confessio, 3° Communio. — In Jubilaeo extraordinario, seu *minori*, praeter tria opera praedicta, adjunguntur etiam 4° jejunium, 5° eleemosyna.

I — *De Visitatione ecclesiarum.*

1. Numerus visitationum et numerus ecclesiarum, quae visitari debent, Bulla Jubilaei indicatur ; et, si in aliquo loco non habetur sufficiens ecclesiarum numerus , Episcopus potest toties visitationem unius, vel duarum ecclesiarum praescribere , quot sunt ecclesiae pro acquisitione Jubilaei visitandae. In ipsis vero quisque pie orare debet juxta intentionem Sum. Pontificis , recitando v. g. 5 *Pater* et *Ave,* vel preces aequivalentes. Non requiritur tamen , ut quis orando *expresse* intendat orare juxta intentionem Sum. Pontificis , sed sufficit , ut generali intentione ad mentem Pontificis oret.

2. Oratio mere *mentalis* non sufficit , uti hodie certo constat ex resp. S. C. Indulg. (13 sept. 1888). Omnes vero conveniunt sufficientem esse qualemcumque orationem vocalem.

3. Si ob multitudinem fidelium quis nequeat ecclesiam ingredi , sufficit ut oret in vestibulo , vel ante fores , modo moraliter cum corpore multitudinis uniatur.

4. Si in eadem ecclesia plura altaria visitanda praescribuntur, ita visitanda sunt , ut motu saltem corporis ad unumquodque altare te vertas, cum intentione illud visitandi, recitando dein preces debitas.

5. Si visitationes in una tantum ecclesia peragantur, tunc non sufficit, in ecclesia manendo, assurgere , vel etiam de uno in alium locum transire , ut fit pro exercitio Viae Crucis, sed singulae visitationes ita sunt ad invicem distinguendae, ut singulis vicibus necesse sit in ecclesiam in-

[1] In Jubilaeo, tum ordinario tum extraordinario, servandae sunt omnes regulae a Bened. XIV traditae , quoties ejusmodi regulae non adversantur jubilaeis noviter indictis ; sic declaravit Pius IX, 15 mart. 1852.

[2] Vid. *Génicot*, II, 415 ; *Monitore Ecl.*, vol. XI, pag. 463.

gredi, et ab ea egredi. *(S. Poenit.* 26 jan. 1875).

6. Nihil obstat quominus quis visitare valeat ecclesias designatas paroeciae vicinioris et commodioris ubi jubilaeum eodem tempore celebratur, etiamsi paroecia sit alterius diocesis; nisi aliud fuerit statutum in Bulla concessionis *(S. Poenit.* 15 jan. 1886).

7. Visitationes autem institui possunt pro libitu fidelium sive uno, sive diversis diebus, dummodo praescripto numero fiant (*S. Poenit.* 20 feb. 1879). — Pro navigantibus, vel longum iter facientibus, tempus pro visitationibus prorogatur ad eorum reditum.

8. Denique non sufficit visitatio ecclesiae dum quis Missam audit die festivo.

II — *De Confessione*

1. Ad lucrandum Jubilaeum Confessio necessaria est etiam illis, qui non sunt conscii peccati gravis, licet tunc necessaria non sit absolutio, nisi in Bulla Jubilaei praescribatur.

2. Confessio ad lucrandum Jubilaeum debet esse formaliter integra, cum sincero dolore peracta et a confessione annuali omnino distincta, nisi aliter concedat Sum. Pontifex.

3. Nec satisfacit duplici praecepto annuae confessionis et jubilaei qui confessarium adit duabus vicibus in ordine ad unicam absolutionem (*S. Poenit.* 26 jan. 1875).

III — *De Communione*

Communio sacramentalis; quae si sacrilega fuit certe non sufficit. Regulariter non sufficit Communio paschalis, etsi tempore paschalis Jubilaeum celebretur, nisi Sum. Pontifex aliter benigne concedat (*S. Poenit.* 26 jan. 1875).

IV — *De Jejunio*

1. Jejunium fieri debet cibis esurialibus, et quidem pro condimento oleum adhibendo, non obstante contrario privilegio, aut consuetudine, nisi Pontifex aliud declaret (*S. Poenit.* 16 mart. 1865).

2. Quoad juvenes vero, qui collegialiter vivunt, si Superior cibos esuriales dare recuset, ipsi commutationem a confessario petere debent.

3. Jejunium non debet esse jam aliunde debitum, v. g. ex voto, vel praecepto, quia ad lucrandam Jubilaei indulgentiam non sufficiunt opera ex alio jam titulo debita, nisi Sum. Pontifex id expresse indulserit.

4. Ad jejunium omnes tenentur etiam pueri, senes, etc., qui, si jejunare nequeant, commutatione indigent.

5. Quaesitum fuit : Si in Litteris Apostolicis duo jejunia praecipiuntur, et nihil expresse statuitur, an duo jejunia fieri debeant duobus diebus unius ejusdemque hebdomadae. Et S. Poenit. die 11 mart. 1886 respondit: *Negative.*

V — *De Eleemosyna*

1. Ad eleemosynam omnes tenentur etiam pauperes qui, si ipsam elargiri nequeunt, commutatione indigent; et etiam religiosi, et filiifamilias, qui tamen satisfaciunt per eleemosynam a superioribus, aut a patribus eorum nomine et ipsis scientibus elargitam.

2. Non sufficit eleemosyna jam debita alio titulo, v. g. si quis ex legato teneatur pauperibus eleemosynam dare. — Non est autem necesse dare pecuniam, sed sufficit dare etiam aliquid pretio aestimabile; v.g. vestem, panem, etc.

3. Circa *quantitatem* eleemosynae erogandae attendenda sunt verba indulti; nam si dicatur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit*, tunc quantitas cujusque facultatibus proportionata esse debet, unde quae sufficit pauperibus, non sufficit divitibus. Casu quo Sum. Pont. pro eleemosyna dicat *adhibito in consilium confessario*, intelligitur « consilium adhibendum esse ab iis, qui de quantitate... dubitant » (*S. Poenit*, 23 apr. 1886).

Si vero dicatur simpliciter: *Qui dederit eleemosynam*, tunc distinguendum est: si Papa eam postulet tantum ad exercendam misericordiam in pauperes, tunc sufficit quaelibet eleemosyna, modo non sit ita parva ut nulla videatur; si autem postulet in subsidium alicujus operae piae, tunc intelligitur talis eleemosyna, quae sit conveniens ei, qui eleemosynam dat.

4. Eleemosyna per alium distribui potest; quod si mandatarius eleemosynam postea non distribuat tempore Jubilaei, an mandans Jubilaeum lucretur, disput. Th., sed probabilius affirmant, quia quantum est ex sua parte jam dedit et tradidit eleemosynam [1].

648.—*Q.* Quaenam notanda relate ad opera praescripta?

R. Relate ad opera praescripta haec notanda sunt:

1. Nullus ordo requiritur in praescriptis operibus ponendis, modo ultimum opus ponatur in statu gratiae—Si quis autem labatur in peccatum mortale post confessionem et antequam omnia alia opera peregerit, non tenetur opera jam adimpleta iterare, sed debet iterum confiteri. Ita Bened. XIV, Bulla *Inter praeteritos*.

2. Non requiritur ut opera injuncta quis peragat in loco proprii domicilii, sed bene potest aut unum opus, aut omnia hujusmodi opera implere quocumque loco ubi peregrinatur, aut per tempus sive breve, sive longum commoratur; imo opera incoepta in uno loco perfici possunt in alio. (Ita S. C. Ind., an. 1875).

3. An vero omnia opera injuncta perfici debeant in una hebdomada, quando ad jubilaeum lucrandum duae tantum conceduntur hebdomadae? — R. *Affirmative*, si in Bulla concessionis apponantur solita verba: « Qui processioni interfuerint, vel ecclesias designatas visitaverint, et feria quarta, sexta et sabbato *alterius ex duabus hebdomadis* jejunaverint, pariterque sua peccata confessi et SS. Communione refecti fuerint eleemosynamque tribuerint, etc. » — Ratio, tum quia haec est praxis fidelium; tum quia verbis *alterius ex duabus hebdomadis* important, opera implenda esse vel in prima, vel in secunda hebdomada. Attamen, si quis impleverit alia opera in prima hebdomada, bene poterit, ex consuetudine communi et declaratione Gregorii XIII, perficere Confessionem et Communionem dominica immediate sequenti. Ex quo sequitur, dominicam mediam esse communem, et pertinere ad utramque hebdoma-

[1] S. Alph., L. VI, 538, q. 11, dub. 2.

dam [1]. Ceterum,ad verba Bullae attendi debet; formula enim non semper eadem est.

4. Ordinarie datur confessario facultas opera injuncta, dato impedimento, in alia pia opera commutandi, vel in aliud proximum tempus prorogandi, et etiam commutandi Communionem pro pueris nondum ad primam Communionem admissis. Attamen iuxta Bened. XIV, Bulla citata, commutari non potest Communio, nisi pro praedictis pueris, nec commutari possunt preces dicendae, etsi commutari possint visitationes ecclesiarum.

Commutatio fit a confessario in ipsa confessione.—An vero talis commutatio fieri possit etiam extra actum confessionis sacramentalis, clare non constat, nisi expresse concessum sit; unde tutius est commutationem facere intra confessionem.

5. Indulgentia Jubilaei potest *pluries* lucrari, si opera injuncta pluries repetantur (modo tamen contrarium non dicatur in bulla concessionis, ut dictum fuit in bulla jubilaei *anni sancti* 1875). Quum autem justis de causis, commutari possint opera praescripta, quando *prima vice* quis Jubilaeum lucratur, quaesitum fuit: An eadem opera commutari possint favore eorum, qui Jubilaeum iterare cupiunt? Et S. Poenit. 18 mart. 1886 respondit: *Affirmative.*

E contra quoad ceteros favores, nempe absolutionem a censuris et a casibus reservatis, commutationes, aut dispensatio *semel* tantum, seu *prima vice* tantum frui possunt (Constit. *Inter praeteritos* et *Convocatis* Bened. XIV, et S. C. Ind., 10 jul. 1869). Ubi nota quod, si quis jubilaeum lucratus jam fuisset, quin uteretur privilegiis ejusdem, hic semel iis frui posset toto jubilaei tempore in nova confessione instituta apud confessarium facultatibus jubilaei praeditum; modo tamen, ex declarat. S. Poenitentiariae 1873, opera jubilaei iterum praestet. [2]

[1] S. Alph., L. VI, 537.

§ 2°

De facultatibus in Jubilaeo concessis.

649. — *Q.* Quaenam facultates in Jubilaeo conceduntur?

R. Hae de re inspiciendae sunt Litterae concessionis: regulariter sequentes sunt, quarum aliae directe pro poenitente, aliae directe pro confessario.

Directe *pro poenitente:*

1. Omnes fideles possunt ad lucrandum Jubilaeum sibi eligere, quem voluerint, confessarium, modo iste sit ab Ordinario loci approbatus ad excipiendas confessiones.

2. Ipsi regulares possunt confessionem explere apud sacerdotem saecularem, modo sit ab Ordinario approbatus. Et eadem facultate uti possunt moniales, novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo confessarius approbatus sit pro monialibus. Semel autem pro monialibus approbatus sive tamquam ordinarius, sive tamquam extraordinarius, sed cujus approbatio, v. g. ob lapsum temporis praefixi, cessavit, eligi potest pro Jubilaeo a praefatis monialibus, nisi constet eumdem confessarium fuisse postea ob demerita, quae ipsas confessiones respiciunt, ab

[2] Vid. *Génicot*, II, 414, V.

eodem Ordinario positive reprobatum. Ita S. Poenitentiaria [1].

Directe *pro confessario :*

1. Facultas *absolvendi* ab omni peccato, et ab omni censura, etiam speciali modo sive R. Pont. sive Episcopis reservatis, quae expresse non excipitur. Excipiuntur tamen ab hac generali facultate :—1° Censura *nominatim* contra aliquem lata vel a Papa, vel ab Episcopo ; — 2° Haeresis formalis externata, etsi occulta, nisi facultas ab ea absolvendi expresse nominetur ;—3° Peccatum complicitatis in re turpi ; — 4° Casus reservatus *ratione censurae,* nempe illius, qui attentavit absolvere suum complicem in peccato turpi extra casus in Bulla pontificia designatos, ideoque irretitus excommunicatione *specialissimo modo* Pontifici reservata, ut dictum fuit n. 554 ; — 5° Demum excipitur casus reservatus *ratione sui,* nempe illius, qui sacerdotem innocentem de falso sollicitationis crimine apud judices ecclesiasticos sive per se, sive per alios accusat. Haec de jure ordinario, nisi aliud expresse statuatur.

An vero poenitens, qui oblitus est confiteri peccata reservata, vel confessionem nullam, aut invalidam fecit, absolvi possit, v. dicta vol. II, n. 548.

2. Facultas *dispensandi* cum poenitentibus in sacris ordinibus constitutis etiam regularibus, super irregularitate occulta ob censurarum violationem contracta, ad exercitium eorumdem ordinum et ad superiorum ascensionem. Ergo confessarius dispensare solum potest ab irregularitate : 1° ex delicto, non vero ex defectu ; 2° et quidem contracta ob violationem censurarum, non vero si contracta ob aliud peccatum ; 3° et quidem quando irregularitas est occulta, non vero si nota.

3. Facultas *commutandi,* non dispensandi, omnia vota simplicia etiam jurata, et etiam votum commutationem non petendi. Excipiuntur tamen : 1° Votum *castitatis perpetuae et perfectae ;* unde confessarius bene commutare potest votum castitatis ad tempus, vel votum conditionatum, vel votum non nubendi, utpote votum castitatis imperfectum tantum. — 2° Votum *ingrediendi in religionem solemniter approbatam* a S. Sede, modo votum sit absolutum; unde confessarius commutare potest votum si est conditionatum, vel votum ingrediendi in congregationem, in qua emittuntur vota tantum simplicia, et etiam votum suscipiendi sacros ordines.— 3° Votum *in favorem tertii emissum, et a tertio acceptatum* (tale est votum in aliqua communitate religiosa emissum) ; unde confessarius solum commutare potest tale votum si nondum a tertio fuit acceptatum, vel si tertius juri suo renuntiet. — 4° Votum *poenale praeservativum a peccato,* nisi opus subrogatum pari efficacia a peccato praeservet.

Confessarius autem praedicta facultate absolvendi, dispensandi, vel commutandi uti non potest extra tribunal Poenitentiae, excepta speciali concessione, sed uti potest solum in ipso actu confessionis sacramentalis, et quidem

[1] Monialibus tamen votorum simplicium licet confessarium sibi semel eligere ex simpliciter approbatis ad audiendas confessiones personarum saecularium. Ita S. Poenitentiaria, die 11 jan. 1900.

in ea confessione, quae fit in ordine ad lucrandum Jubilaeum ; et communius et probabilius *cum solis poenitentibus qui serium Jubilaei acquirendi propositum habent, et ad injuncta opera pro ejusdem consecutione implenda parati sunt.* Si quis autem post obtentam absolutionem, vel dispensationem, vel commutationem serium illud propositum mutaverit, vel opera implenda omiserit, nihilominus absolutio, dispensatio et commutatio obtenta in suo vigore persistit.

NOTA : Dum jubilaeum ordinarium, seu *annus sanctus* Romae agitur, suspenduntur in reliquo orbe quaedam facultates a S. Sede *pro foro interno* concessae, nempe : 1° facultates absolvendi a casibus et censuris R. P. reservatis ; 2° dispensandi ab irregularitatibus ; 3° commutandi vel dispensandi vota ; 4° dispensandi ab impedimentis matrimonii. — Attamen in suo vigore manent facultates concessae a S. Sede Missionariis pro tempore et locis Missionum exercendae. Item facultates Episcoporum ex jure ipsis concessae pro utroque foro, et facultates Superiorum regularium pro suis subditis exercendae [1].

[1] *Génicot*, II, 415; *Aertnys*, L. VII, 215; *Monitore Eccl.* Vol. XI, p. 467, 495 ; et Vol. XII, p. 38.

DE EXTREMA UNCTIONE

Tribus capitibus hic de Extrema Unctione tractatus conficitur: 1. de natura, necessitate et effectibus Extremae Unctionis; 2. de materia et forma; 3. de ministro et subjecto et de modo eam conferendi.

CAPUT I.

De natura, necessitate et effectibus Extremae Unctionis.

650. — *Q.* Quid est Extrema Unctio, et quandonam fuit instituta?

R. Extrema Unctio est *Sacramentum N. L. ex olei unctione et sacerdotis precibus constans ad salutem tum animae, tum corporis, si illud expedierit, a C. D. institutum.*

Quonam vero tempore hoc sacramentum institutum fuit certo non constat; sed communius tenent institutum fuisse a Christo post resurrectionem.

651. — *Q.* Extrema Unctio est ne Sacramentum?

R. Valdenses, Albigenses, Wiclephitae et Hussitae contempserunt potiusquam negarunt Sacramentum Extremae Unctionis. — Lutherus vero, etsi non plane rejiciat hunc ritum, negat tamen esse verum Sacramentum. Melanchton eum vocat caeremoniam superstitiosam, Calvinus dicit esse fictitium Sacramentum et histrionicam hypocrisim.

At contra de fide est ex Conc. Trid. Extremam Unctionem esse verum N. L. Sacramentum: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a C. D. N. institutum et a B. Jacobo Apost. promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum; anath. sit* [1]

[1] Sess. XIV, c. I.—*Ob.* 1ª Unctio de qua loquitur B. Jacobus eadem est ac unctio de qua loquitur B. Marcus (VI, 13), cum ait: *Et ungebant oleo multos aegros, et sanabant:* atqui haec unctio non erat nisi gratia curationum, instituta nempe ad sanandos morbos corporales; ergo.

R. Unctio de qua loquitur B. Jac. differt ab unctione de qua Marcus, nam: 1º Jacobi unctio solis fidelibus adhibebatur; e contra Marci unctionem probabile est datam fuisse praesertim infidelibus, juxta illud Pauli: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus;* 2º quia Jacobi unctio solis adhibebatur infirmis, qui Apostolos adire non poterant, at Marci unctio quibusque aegrotis dabatur, caecis, claudis. etc.. Ergo cum unctio Marci diversum habeat ministrum, diversum subjectum, ac diversos effectus, eadem non est ac unctio de qua loquitur B. Jacobus.

Ob. 2ª Sacramenta N. L. effectum producunt ex opere operato: atqui Unctio de qua loquitur B. Jac. suum effectum obtinet ex fide dantis, vel accipientis; nam dicit: *Et oratio fidei salvabit infirmum...;* ergo.

R. Pro oratione fidei intelligi non debet fides vel dantis, vel accipientis, sed forma Sacramenti, quae dicitur oratio fidei, quia Sacramenta administrari debent secundum fidem et intentionem

Veritas probatur :

I. *Ex S. Scriptura.*—B. Jacobus Ap. in sua Epist. Cath. (V. 14, 15) haec scribit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et, si in peccatis sit, remittentur ei.* Jam vero in his verbis tria illa reperiuntur quae necessaria sunt ad Sacramentum constituendum; adest enim: 1° *signum sensibile*, olei scilicet unctio et oratio presbyterorum; 2° *gratiae collatio*, nam peccata remittit, quae quidem remissio absque gratia fieri non potest; 3° *divina institutio*, quia solus Christus gratiam rebus sensibilibus adnectere potest: ergo.

2. *Ex Traditione.*—S. Jo. Chrys.[1] ait: « Neque enim tantum cum nos regenerant (sacerdotes), sed etiam post regenerationem admissa peccata *condonare possunt*; nam infirmatur quis in vobis ?... advocet presbyteros ».—S. August[2] inquit: « Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat, et inde *corpusculum suum ungat*, ut illud quod scriptum est impleatur in eo: *Infirmatur quis*, etc.. Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit et *corporis sanitatem* recipere *et peccatorum indulgentiam* merebitur obtinere ».—Summi momenti vero est testimonium Innoc. I, in Epist. ad Decentium, qui eum interrogaverat de quibusdam dubiis super hoc Sacramentum. Summus Pontifex, postquam verba S. Jacobi retulit, subjunxit: « Non est dubium (verba Jacobi) de fidelibus aegrotantibus accipi et intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis ungi possunt ».

Hic urgeri quoque potest molestissimum Novatoribus argumentum petitum ex consensu utriusque Ecclesiae, Graecae scilicet et Latinae, quae semper credidit Extremam Unctionem esse verum N. L. Sacramentum, quod facile colligi potest ex dictis de septenario Sacramentorum numero.

652.—*Q.* Extrema Unctio est ne necessaria ?

R. Extrema Unctio juxta omnes non est necessaria necessitate *medii*.

An vero sit necessaria necessitate *praecepti*, ita ut adsit gravis obligatio illam suscipiendi, disput. Th.; sententia negativa est communior, sententia tamen affirmativa est etiam probabilis et omnino suadenda, non tam ratione praecepti, quia de eo saltem non constat, quam ratione caritatis erga seipsum:[3] et hoc sive ad firmissimum praesidium obtinendum

Ecclesiae. Sic Baptismus a Patribus dicitur Sacramentum fidei, et tamen verum est Sacramentum.

Ob. 3ª Sacramenta conferunt gratiam primario et absolute; at Unctio Jacobi primario conferebat sanitatem: *Oratio fidei salvabit infirmum;* secundario et conditionate gratiam: *et, si in peccatis sit, remittentur ei;* ergo.

R. Jacobus, postquam locutus est de infirmitate, prius locutus est de restitutione salutis, quia orationis series quodammodo hoc poscebat, et quia hujusmodi effectus notior est utpote sensibilis, non vero sic locutus est ad insinuandum corporis salutem primarium esse hujus Sacramenti effectum. Ergo.—Ceterum non desunt in Scripturis exempla, in quibus prius effectus minus principalis commemoretur quam potior et primarius; sic. v. g. (Matth. XIX, 29) legitur: *Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.*

[1] De Sacerd., lib. 4. n. 3.
[2] Serm. 215, de temp.
[3] S. Alph., L. VI, 733.

sive ad se excitandum ad bonos actus, cum ob mentis oppressionem vires propriae tunc sint debiliores; sive ad debellandas daemonis insidias et tentationes, quae in illo conflictu vehementiores sunt.

Omnes tamen conveniunt quod *per accidens* tribus in casibus infirmus sub gravi hoc Sacramentum suscipere tenetur: 1° si esset in mortali et aliud Sacramentum recipere non posset; 2° si illud omittendo, scandalum daret; 3° si ex formali contemptu, nempe quia parvi illud ducit, negligeret.

653. — *Q.* Quinam effectus Extremae Unctionis?

R. Effectus Extremae Unctionis sicut aliorum Sacramentorum, duo sunt: gratia *sanctificans*, et gratia *sacramentalis*.

Porro Extremam Unctionem gratiam conferre de fide est: *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anath. sit* [1].

Gratia vero *sacramentalis* duplicem effectum producit, primarium unum, secundarium alterum. — Effectus *primarius* juxta communiorem sententiam est *roborare animam* in mortis agone ad resistendum diaboli tentationibus.—Effectus *secundarius* triplex est: 1° *Delere reliquias peccati*, uti mentis obscuritatem, duritiam cordis, rerum sensibilium amorem, diffidentias, anxietates et similia, quae ex peccatis contrahuntur. 2° *Extinguere debitum poenarum*, quae satisfaciendae adhuc restant. Hi duo effectus juxta dispositiones infirmi plus minusve copiose producuntur. 3° *Conferre* etiam *salutem corporis*, si saluti animae expedierit.—An vero gratia partialis conferatur per singulas unctiones disput. Th., sed communius cum S. Th. negant, quia probabilius Sacramentum in ultima tantum unctione perficitur [2].

654. — *Q.* Extrema Unctio delet ne peccata?

R. Th. communiter dicunt quod per Extremam Unctionem remittuntur peccata tam venialia, quam mortalia, si haec infirmus invincibiliter ignoret, habeatque attritionem qua auferatur obex peccati.

Peccata venialia remittuntur per se; peccata vero mortalia an remittantur per se, vel per accidens, disput. Th.. Sententia probabilior et communior tenet Extremam Unctionem remittere mortalia per se, etsi consequenter, seu secundario · ratio, quia licet hoc Sacramentum sit vivorum, tamen ex institutione divina peccata dimittit, ut patet ex verbis S. Jacobi Ap.; probabile autem non est quod nomine peccatorum intelligantur sola venialia [3]. Unde hoc Sacramentum est primario *vivorum*, secundario *mortuorum*.

655.—*Q.* Hoc Sacramentum potest ne esse validum et informe?

R. Th. communiter affirmant si infirmus illud in mortali quidem, sed in bona fide suscipiat, ignorans nempe esse in mortali, vel suscipiat sensibus destitutus; tunc enim, perseverante eodem morbo et periculo, si infirmus postea in

[1] Conc. Trid., Sess. XIV, can. II, *de Extr. Unct.*

[2] S. Alph., L. VI. 707, 731.
[3] S. Alph., L. VI, 731.

se reversus per attritionem obicem removeat, gratiam consequitur; unde fit quod per hoc Sacramentum plures animae salvae fiant.

CAPUT II.

De materia et forma.

656. — *Q.* Quaenam materia et forma Extremae Unctionis?

R.—I. Materia *remota* est oleum olivarum, benedictum ab Episcopo vel a Sacerdote ex commissione Summi Pontificis, prout aperte colligitur ex Jacobi verbis, necnon ex Ecclesiae praxi et Patrum doctrina.

II. Materia *proxima* est olei applicatio per unctionem, seu est unctio facta a Sacerdote in singulis sensibus; in *oculis* propter visum, in *auribus* propter auditum, in *naribus* propter odoratum, in *ore* propter gustum et locutionem, in *manibus* propter tactum. Quibus unctionibus adjicitur unctio in *pedibus* propter gressum, et in *renibus* propter lumborum delectationem.[1]

III. Forma Extremae Unctionis haec est: *Per istam sanctam unctionem, † et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (dum unguntur oculi) *deliquisti. Amen;* vel *per auditum* (dum unguntur aures), et sic de ceteris sensibus.[2]

657.— *Q.* Oleum debet ne esse benedictum ex necessitate praecepti ecclesiastici an etiam divini?

R. Oleum benedictum esse debet non solum *ex necessitate praecepti ecclesiastici,* sed etiam *ex necessitate praecepti divini, seu Sacramenti;* proposito enim dubio: *An in casu necessitatis Parochus, ad validitatem Sacramenti Extremae Unctionis possit uti oleo a se benedicto*: C. S. U. I., 14 sept. 1842 respondit: *Negative,* probante Greg. XVI. Et Paulus V contrariam sententiam exposuit quasi *temerariam et errori proximam*[3].

An vero hoc oleum *de necessitate Sacramenti* debeat esse benedictum in ordine ad Extremam Unctionem, disput. Th.; quare in *praxi* graviter illicitum est dare hoc Sacramentum cum Chrismate, vel cum oleo Catechumenorum, quia est dubium an tale oleum sit materia valida. In casu tamen necessitatis, in defectu olei Infirmorum, administrandum est cum Chrismate, vel cum oleo Catechumenorum, sed sub conditione; et, si postea haberi possit oleum infirmorum, sub conditione repetendum est.

658.— *Q.* Oleum infirmorum quandonam renovari debet?

R. Oleum Infirmorum singulis annis feria V in Coena Domini renovandum est, et vetus comburendum, quod fieri potest illud immittendo in lampadem quae coram SS. Sacramento accendi debet.— Novo autem accepto, ex sententia communiori et probabiliori, est graviter illicitum uti antiquo; si tamen novum nondum habetur, vetus est adhibendum. Quod si forte ait Rit. Rom., *oleum infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat; modico oleo non benedicto in minori*

[1] Rit. Rom., *De Sacr. Extr. Unct.*
[2] In fine formae infirmus ipse cum adstantibus respondere potest: *Amen;* qua de re laudabile erit ipsos instruere.- *Aertnys,* L. VI, 358.
[3] Cf. *D'Annibale,* III, 234 (9).

quantitate superinfuso, reparari potest. Imo haec adjunctio pluribus vicibus iterari potest, modo adsit aliquod temporis spatium inter varias adjunctiones S. C. C., 25 sept. 1862.

659. — *Q.* Unctio quinque sensuum; vel gemina unctio ejusdem sensus ; vel unctio pedum sunt ne de necessitate Sacramenti?

R. — 1 Unctio *quinque sensuum* (una videlicet pro quolibet sensu) nunc videtur certum esse non requiri de necessitate Sacramenti, sed solum ex gravi praecepto Ecclesiae ; nam quidquid dixerint Th., S. C. S. Off. expetita de forma brevi Extremae Unctionis urgente necessitate, ut dicetur inferius, nihil expressit in ipsa forma quod distinctionem sensuum indicet.

2. *Gemina* unctio ejusdem sensus non est de necessitate Sacramenti : et hoc certum est; unde urgente necessitate, puta, si adsit periculum infectionis vel si infirmus verti nequeat ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc.; sed extra necessitatem gemina unctio sub gravi facienda est.

3. Unctio *pedum* non est de necessitate Sacramenti, ut communiter docent Th. ; unde in hac pedum unctione servanda est consuetudo Ecclesiarum; quare eorum omissio ex quadam rationabili causa etiam praeter consuetudinem facta videtur aut nullum, aut leve peccatum esse. Unctio *renum* in mulieribus honestatis gratia semper omittitur, et etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest [1].

660. — *Q.* Omnia verba formae pertinent ne ad essentiam Sacramenti?

R.—1° Ad essentiam Sacramenti pertinent verba: *Per istam...unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.* — 2° Verba: *per suam piissimam misericordiam* non pertinent ad essentiam, sed ipsa omittere esset mortale, quia esset omissio in re gravi, et contra usum Ecclesiae.—3° Verbum: *sanctam* (unctionem) non est de essentia, sed ejus omissio non est sine culpa.—4° Quoad expressionem sensuum sive singillatim, sive generaliter, nunc ex Decr. S. C. Inq. (die 25 apr. 1906) certum est non requiri ad essentiam formae, seu Sacramenti; quia urgente necessitate, penitus omittitur, quod sane nunquam fieri posset si ad essentiam pertineret. Ceterum jam antiqui Th. cum ipso Benedicto XIV, hoc probabilius tenebant, eo quod varia fuit super hoc disciplina Ecclesiae diversis temporibus et locis, et nequaquam reperitur hujusmodi expressio in forma qua utitur ecclesia graeca.

5. Forma pronuntiari debet verbis deprecatoriis, ideoque concepta modo indicativo vel imperativo, communius et verius invalida esset.

[1] Alicubi haec unctio indiscriminatim omitti solet: attamen S. R. C. (14 aug. 1858, n. 3075) votum expressit, ut ubi rem unctio non est in usu paullatim introducatur.

—

CAPUT III.

De subjecto et ministro Extremae Unctionis, et de modo eam conferendi.

ART I.

De subjecto et ministro

661. — *Q.* Quodnam subjectum Extremae Unctionis?

R. Subjectum Extr. Unctionis est solus et omnis homo baptizatus putative periculose aegrotans, qui aliquando fuit peccandi capax.— Dixi: 1° *putative periculose aegrotans :* hinc requiritur saltem probabile seu prudens periculum mortis et quidem periculum *ab intrinseco*, ut puta ex morbo, ex vulnere inflicto , partu difficili ideoque peculiariter periculoso [1]. Non sufficit vero periculum *ab extrinseco*, velut ex bello , navigatione periculosa, etc.. — Capaces autem sunt illi senes *qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate.* Sic ex Rit. Rom.. — Dixi: 2° qui *aliquando fuit peccandi capax*: hinc incapaces sunt qui *nunquam* usum rationis habuerunt. Bene vero conferendum est hoc Sacramentum adulto nuper baptizato , amenti qui antea usum rationis habuit , puero rationis compoti ; sed in dubio an rationis usum sit adeptus ipsi administrandum est sub conditione.

662. — *Q.* Quaenam dispositiones requiruntur in subjecto?

R. In subjecto requiritur : 1° Intentio saltem praesumpta seu interpretativa hoc sacramentum recipiendi. 2° Status gratiae, vel per sacramentalem absolutionem vel per contritionem perfectam. At si infirmus rationis est compos et conscius peccati gravis, et confiteri potest, confiteri tenetur; tum quia hoc Sacramentum est Poenitentiae complementum, ideoque haec praecedere debet [2]. tum quia obligatio confitendi, si unquam, certe in mortis periculo per se urget ex praecepto divino. Quod si infirmus confiteri nequit, requiritur contritio saltem existimata , et non sufficit attritio, quia Extrema Unctio , quum sit primario Sacramentum vivorum, suscipiens debet esse saltem putative in gratia. Cetêrum si infirmus est tantum attritus , et est in bona fide, tunc Extrema Unctio per accidens effectum suum certo producit.

663. — *Q.* Quinam minister Extremae Unctionis?

R.—I. Minister Extremae Unctionis *quoad validatem* est solus et omnis Sacerdos: de fide est ex Conc. Trid.. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores, in quavis communitate, ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anath. sit* [3].

Constat tum ex verbis B. Jacobi , quibus clare nominat non seniores, sed presbyteros Ecclesiae, tum ex traditione et doctrina Ecclesiae.

[1] Atque ideo ex communiori et recepta sententia , nullum esset Sacramentum, si conferatur infirmo morbo gravi minime laboranti. *Scavini* III, 417.

[2] *Billuart*, art. 7, in fine.

[3] Sess. XIV, c. IV. de Extr. Unct.

III. Minister Extremae Unctionis *quoad liceitatem* est Episcopus, aut Parochus, vel Sacerdos ab ipso delegatus, vel saltem de ejus consensu expresso, et etiam rationabiliter praesumpto; vel etiam, ut multi probabiliter volunt, Parocho injuste reluctante, quia tunc consensus Episcopi praesumitur.

Olim ex Constitutione Apostolicae Sedis n. 14 lata erat excommunicatio Romano Pontifici simpliciter reservata in *Religiosos* (sensu stricto acceptos, qui nempe vota solemnia emittunt) *praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.*

At in novo Codice Iuris Canonici haec excommunicatio non amplius adest.

664. — *Q.* Extrema Unctio potest ne valide et licite a pluribus Sacerdotibus conferri?

R. Quoad *validitatem* Th. affirmant, quia hoc Sacramentum ex pluribus unctionibus et verborum formis dividuis coalescit, ita ut unctio quaelibet cum sua forma particulari habeat significationem integram, et ab alia forma independentem aptamque ad suum effectum producendum. Quare nihil obstat quominus vel *successive*, vel *simul* a pluribus Sacerdotibus conferri possit, dummodo singuli singulas unctiones cum respectiva forma perficiant.

Quoad *liceitatem* vero, Sacerdos sub gravi tenetur morem et praxim propriae Ecclesiae servare. Penes *Graecos* praxis est ut conferatur a pluribus; e contra apud *Latinos* ab uno tantum Sacerdote conferri solet. Unde extra casum necessitatis agere contra gravem ritum et praxim propriae Ecclesiae mortale est.

665. — *Q.* Parochus tenetur ne Extremam Unctionem administrare?

R. — 1. Quamvis Theologi disputent de obligatione infirmi Extremam Unctionem recipiendi, conveniunt tamen quod Parochus tenetur et quidem sub gravi Extremam Unctionem suis subditis graviter infirmis administrare, si ipsam expresse vel interpretative desiderant; et, nisi justa causa excusetur, graviter peccat, si ipsis administrare culpabiliter negligat, vel differat cum probabili periculo quod sine Extrema Unctione decidant, vel eam recipiant usu rationis destituti, cum eos privet uberiori fructu; ratio, quia pastor ex officio suas oves pascere debet sacramentorum administratione, praesertim in articulo mortis [1]. (Vid. n. 206).

Si autem adsit gravis causa, verbi gratia periculum vitae, puta tempore pestis, tunc distinguendum erit.

Si infirmus verisimiliter censeatur esse in mortali, nec capax per contritionem gratiam justificationis adipiscendi, tunc Parochus tenetur illi hoc Sacramentum administrare etiam cum periculo vitae, quia infirmus est in periculo extremo, vel gravi suae aeternae salutis. [2]

Si vero infirmus, omnibus attentis, rationabiliter praesumitur iam esse in statu gratiae, puta quia suscepit Poenitentiae Sacramentum,

[1] S. Alph., L. VI, 729.

[2] Vid. *Génicot*, II, 421, IV.

vel etiam forsan Eucharistiam, tunc Parochus non tenetur se exponere periculo mortis, ut ministret Extremam Unctionem, quia infirmus hoc Sacramento absolute non indiget, nec datur praeceptum positivum tam strictum illud suscipiendi.

2. Sacerdos vero *non Parochus*, ex caritate, absente Parocho, ad idem tenetur, sub levi quidem in necessitate communi; et etiam sub gravi, si infirmus sit in necessitate extrema vel gravi, si alioquin sine ullo Sacramento esset moriturus. (V. dicta n. 206).

666. — *Q.* In quonam gradu infirmitatis Parochus potest, vel debet Extremam Unctionem administrare?

R. Hoc sacramentum *dari potest* statim ac infirmus gravi aliquo morbo laborat, unde prudenter judicatur versari in periculo mortis, licet mors non immineat; Conc. Trid. enim sic habet: *Hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur.* Illa particula *praesertim* satis indicat Extremam Unctionem ministrari posse etiam infirmis qui nondum videntur esse in exitu vitae. Et Bened. XIV in Bulla *Ex quo primum* clare fatetur quod hoc Sacramentum est ministrandum iis qui *gravi morbo laborant*. Quapropter quoties Viaticum infirmo non jejuno praeberi potest, potest etiam ei dari Extrema Unctio, imo illam tunc dare expedit [1].

Hoc vero Sacramentum *dari debet* si urget mortis periculum, sic enim habet Rit. Rom.: *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui tam... graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur;* imo nec expectandum est ultimum vitae tempus. Sic enim habet Cat. Rom.: *Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat;* - ratio, quia infirmus privatur: 1° uberiori fructu quem accepisset si fuisset compos sui et magis ad illud dispositus; 2° privatur spiritualibus auxiliis ad resistendum daemoni, et ad perferenda morbi incommoda; 3° privatur forte etiam corporis salute, quam forte recuperasset, si congruo tempore collatum fuisset: imo forsitan et ipsa salute aeterna animae, nam casu quo fuisset in statu mortalis peccati, hoc Sacramentum accipiendo attritus et in bona fide, gratiam fuisset adeptus [2].

[1] S. Alph., L. VI, 714. – Sacrae Congr. de Prop. Fide propositus fuit sequens casus: Aliquando Missionariis Christianos sibi commissos visitantibus, occurrit aegrotus, hectica febri vel simili morbo laborans, qui juxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. Quaeritur an in tali casu, Missionarius ipsi administrare possit Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod quando verior aderit causa eam recipiendi, non poterit praesens haberi Missionarius, ob magnam distantiam et alias circumstantias impedientes? S. C. respondit: *Affirmative*, 20 febr. 1801.

[2] S. Alph., L. VI, 714. — *Quandonam administranda sit Extr. Unctio.*

Quoad tempus administrandi Extr. Unctionem, Parochus diligenter perpendat hanc S. Alphonsi doctrinam: « Dicunt communiter Doctores sufficere ut infirmitas sit periculosa mortis, licet remote: ita Suarez, Layman, Castropol. Bonac. Concina, Salm. et alii ».

Itaque satis esset morbum esse periculosum mortis quamvis etiam remote. Et hanc doctrinam probat auctoritate Concil. Aquisgranae, Maguntiae, Florentiae, et Tridentini. Deinde prosequitur: « Sed clarius hoc confirmatur a Bened.

667.—*Q.* Extrema Unctio potest ne iterari ?

R. Extrema Unctio toties iterari potest quoties gravis infirmitas iteratur.

Hinc si in morbo etiam diuturno, uti phtysi et hydropisi, infirmus post unctionem certe manserit *in eodem periculo* mortis, rursus ungi non potest. Si vero illud periculum evasit non per quatuor aut quinque dies, sed *per notabile tempus,* puta per mensem, iterari potest. [1]

In dubio autem an revera morbi status mutatus sit, in dubio non

XIV in Epistola quae incipit *Ex quo primum* ad Ecclesiasticos ritus Graeci, ubi dicitur ne Sacramentum Extr. Unctionis ministretur bene valentibus, *sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant.* Unde recte dicit Castrop. quod quoties potest infirmus non jejuno praeberi Viaticum, potest et expedit dari Extrema Unctio » (Hom. Ap., Tr. XVII, 7). Haec praxis administrandi Extr. Unctionem statim post administrationem Viatici multis in locis jam utiliter viget, et in ipsa Lutetia Parisiorum.

Lugendum vero est quod apud nos non solum laici, medici, sed heu ! etiam plures ecclesiastici et Parochi non pauci falso innixi principio, non solum inopportunum, sed illicitum putant administrare Extr. Unctionem quoties potest Viaticum praeberi; sicque expectant donec morbus ita progrediatur, ut salus infirmi sit omnino desperata, et periculum mortis non solum proximum, sed imminens fiat. Et eo magis haec praxis deploranda est, quia a multis tenetur qui S. Alph. tanquam ducem sequuntur.

Non raro accidit infirmum pium, recepto jam Viatico, Extremam poscere Unctionem ; sed a Parocho vel ejus vices gerente quid respondetur ?« Non adesse adhuc necessitatem; nondum posse administrari; expectandum medici mandatum, etc. »: unde et infirmus, et parentes credere incipiunt ad Extr. Unctionem recipiendam multo graviorem debere esse morbum quam ad Viaticum, et forsan requiri periculum extremum. Interim medici videntes Parochum Extr. Unctionem nolle administrare nisi quando salus infirmi jam desperata est, et nisi eorum licentia habeatur, et ipsi eo magis in hoc falso et pernicioso errore se confirmant.

In domibus autem divitum non raro hoc evenit. Divitibus sacramenta consuluntur non solum quum infirmitas est jam periculosa, sed jam desperata, quum nempe fateri coguntur « *Non posse quid amplius fieri; Ars medica alia remedia non suppeditare, etc.* » et tunc Viaticum consulunt; et, Viatico administrato, licet infirmitas jam sit ad extremum, nondum tamen putatur adesse etiam tempus Extr. Unctionem administrandi; sed expectare adhuc volunt ut infirmitas in pejus ruat; et tunc advocatur Parochus non quidem ut administret Extr. Unctionem, sed ut paratus sit in necessitate. Medicus autem parentes admonet ut non sinant Parochum e domo discedere, quia infirmus ab hora in horam animam agere potest; sed quoniam adhuc usque mane, si sero est, vivere potest, vel usque sero, si mane, et aliunde adhuc sui compos est, non vult ut ei Extr. Unctio praebeatur. Imo aliquando res adeo progreditur, ut jam incipiendae essent preces pro moribundo, jam recitandum esset *Proficiscere,* et adhuc prohibetur administratio Extr. Unctionis ! Interim quid accidit ? Vel infirmus moritur sine hoc Sacramento, quia aliquando sine agone deficit, vel illud suscipit sensibus destitutus, et tunc verificatur quod dicit Cath. Rom., nempe quod *gravissime peccant qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.*

Ad tales abusus tollendos, et talia praejudicia eradicanda, Parochus debet supra expositam doctrinam saepe docere, nempe Oleum Sanctum non in extremis administrandum oportere, sed quando infirmitas est gravis et periculosa; et non tantum licitum, sed laudabile esse administrare post Viaticum. Doctrinam hanc non solum in Ecclesia docere debet, sed etiam infirmos quos visitat, eorum parentes, et praesertim medicos. Super omnia autem hanc doctrinam ipse sequi debet, utpote medium efficacissimum ad eradicandam opinionem contrariam, atque ad abusum in Paroecia tollendum. — *Frassinetti,* Manuale del Parroco novello, part. 2ª, Ap. 2ª.

[1] *Génicot,* II, 423, b).

negativo sed positivo, nempe quando probabile est infirmum jam exiisse a primo mortis periculo, tunc expedit ejus iteratio; haec enim iteratio est uniformior veteri Ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium infirmo obvenit.

668. — *Q.* Licet ne dare Extremam Unctionem ante Eucharistiam?

R. Olim varia fuit hac de re praxis, quandoque praemittebatur Viaticum, quandoque autem Extrema Unctio. At hodie Eucharistia primo loco ministranda est, ex praxi Ecclesiae, et Rit. Rom.; attamen inversio ordinis peccatum veniale non excedit, imo omni culpa vacat si adsit aliqua justa causa.

ART. II.

De modo Extremam Unctionem conferendi.

669. — *Q.* Quonam modo est conferenda Extrema Unctio?

R. — I. Quando, ut ordinarie accidit, tempus ferat omnes unctiones rite peragere, Extrema Unctio hoc modo conferri debet [1]:

Post orationes in Rituali praescriptas, et generali confessione peracta, *Sacerdos, intincto pollice in Oleo Sancto, in formam crucis inungit infirmum, aptando crucem et verba in unctione cujuscumque partis, semper incipiendo a dextera parte: Per istam sanctam unctionem † et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.* Deinde aures inungendo repetat eamdem formam dicens: *per auditum;* ad nares, *per odoratum;* ad os (labiis clausis), *per gustum et locutionem;* ad manus (sacerdotibus extra, aliis intra palmas), *per tactum,* etc.. Quibus expletis, reliquas orationes recitare debet. — Dum Sacerdos ungit partes corporis, quae binae sunt, prout oculos, aures, etc., non absolvat formam antequam ambas partes perunxerit. Et post quamlibet unctionem Sacerdos ipse, vel minister, si est in sacris, tergat loca inuncta novo globulo bombacii vel

[1] « Sacerdos Extremam Unctionem ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappa candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium aut quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad tergendos digitos; et aquam ad abluendas Sacerdotis manus, ceream item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

« Deinde convocatis clericis seu ministris, vel saltem uno clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, et librum ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat ne effundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas Olei sacculo aut bursa inclusum, ad collum appendat, ut commodius et securius perferat.

« Cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: *Pax huic domui;* R. *et omnibus habitantibus in ea.* Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo, stolaque violacea indutus, aegroto crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis eum aqua benedicta et cubiculum et circumstantes aspergit dicens: *Asperges me, Domine,* etc. Quod si aegrotus confiteri voluerit, audiat illum et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi et efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat: et quantum opus sit, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae ». — Rit. Rom., *Ordo minist. Sacr. Extr. Unct.*

rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat et cineres in sacrarium projiciat.

Si autem quis sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur eadem verborum forma. Ita Rit. Rom.—Eodem modo inungantur caeci a nativitate, surdi, muti; nam etsi externe per illos sensus non peccaverint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, seu per desideria videndi, audiendi, etc. [1].

Ordo inter unctiones partium, juxta communem sententiam non est de necessitate Sacramenti; attamen ordinis inversio probabilius esset graviter illicita, quia contra usum Ecclesiae in re notabili; unde in plurimorum sententia, si ordinis inversio est gravis, peccatum grave est.

Unctio non est absolute necessarium ut fiat contactu immediato manus, nam in necessitate, ut tempore pestis, potest fieri virga oblonga Oleo tincta, cujus extremitas postea comburenda esset. Dixi *in necessitate*, quia secus sic facere saltem veniale esset.

An vero sufficiat una sola gutta Olei ad omnes unctiones faciendas, opinio affirmativa speculative est probabilis, non tamen practice, quia haec vera unctio non videtur. Unde *in praxi* tutius est ad singulas unctiones extremam partem digiti in Oleo intingere [2].

Denique casu quo prior minister hoc Sacramentum perficere nequeat, non sunt iterandae unctiones prius factae si statim alius Sacerdos supplet; secus si unctiones ab alio suppleantur post aliquam notabilem moram (puta per quadrantem), tunc enim omnes unctiones jam factae sub conditione repeti debent [3].

2. Si infirmus animam agat, ita ut tempus omnes unctiones non ferat, vel si infirmus morbo contagioso laboret, tunc, urgente hac necessitate, unica unctio adhiberi potest et sufficit cum forma: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Ita Decr. S. C. R. et U. Inq. die 25 Apr. 1906 a Pio X adprobatum. Haec autem unctio consultius fit in capite, seu in fronte a quo omnium sensuum nervi descendunt; sed nulla requiritur conditio apposita, cum nullam requirat ipsum Decretum. Quod si dubium sit utrum infirmus sit vivus, unctio fieri debet sub conditione: *Si vivis,* etc. — Postea vero si infirmus adhuc supervivat « dicantur Orationes praetermissae, suo loco positae » uti habetur in Rituali; at non oportet ut in singulis sensibus consuetae unctiones sub conditione peragantur cum respectivis formis, quia Decretum superius relatum de hoc silet; unde sublata videtur Th. controversia circa validitatem hujus Sacramenti sub unica forma collati.

670. — *Q.* Quomodo peccat Sacerdos qui caeremonias vel orationes in Rituali praescriptas omittit?

R.— **1.** Quoad *ritus,* ex Rit. Rom.: 1° Sacerdos *certe peccat mortaliter* si Extremam Unctionem ministrat *sine superpelliceo et stola,* extra casum necessitatis.—Omittere vero solum superpelliceum dicunt non excedere veniale [4]. In casu ve-

[1] S. Alph., L. VI, 724.
[2] S. Alph., L. VI, 710.
[3] S. Alph., L. VI, 728.
[4] *Scavini,* III, 416.

ro necessitatis, quidam dicunt non licere sine praefatis vestibus Extremam Unctionem ministrare, ob reverentiam Sacramento debitam ; at probabilius plures licere dicunt, quia licet hoc Sacramentum non sit absolute necessarium, est tamen valde utile [1]. — 2° Administrare Extremam Unctionem *sine lumine*, etiam extra necessitatem, certe non est mortale, et probabiliter ne veniale quidem. — 3° Omittere *signum crucis* in unctionibus est tantum veniale, imo nullum esset peccatum, si ob instantem mortem omitteretur ad celerius agendum. — 4° Abstersio partium inunctarum videtur aliquid grave, ob reverentiam Sacramento debitam, et periculum profanationis Sacri Olei infirmorum. Quare, si ob periculum pestis, unctio mediante virga facta fuit, extremitas virgae comburenda est. — 5° Extra casum necessitatis, probabilius veniale est Extremam unctionem conferre *sine ministro*. Nunquam vero licet uti ministerio foeminae : hinc absente viro, ipse Sacerdos orationibus respondeat [2].

2. Quoad *orationes:* Psalmi poenitentiales, et Litaniae, vel aliae preces quae ab adstantibus recitari debent dum unctiones peraguntur, sunt solum de consilio, juxta S. Alph.. — Sed aliae preces in Rit. Rom. praescriptae sunt de praecepto ; unde earum omissio peccatum erit grave vel leve ratione materiae. Si vero periculum mortis immineat infirmo, ex Rit. Rom., cito infirmus ungatur, et deinde (si supervivat) dicantur orationes praetermissae.

671. — *Q.* Extrema Unctio potest ne conferri sub conditione?

R. Distinguo : — Si dubium respicit ea quae ad Sacramenti validitatem pertinent, ut si adsit materia tantum dubia, vel an subjectum adhuc vivat vel non, tunc ad reverentiam Sacramenti tuendam, certe conferenda est sub conditione.

Si vero dubium respicit *dispositiones* subjecti, tunc conferenda est *absolute ;* - ratio, quia hoc Sacramentum, durante eodem periculo, nullatenus, vel sine scandalo iterari non potest [3]. Quisque autem, nisi certe constet indispositum esse, dispositus praesumi potest. Quare si conferatur sub conditione *si es dispositus*, et suscipiens dispositus non est, Sacramentum non reviviscit amplius, etsi suscipiens postea dispositus sit; contra, si conferatur absolute, etsi suscipiens tunc dispositus non sit, tamen si postea sit dispositus, et per attritionem obicem infusioni gratiae tollat, Sacramentum reviviscit, et sic salutem aeternam consequi potest.

672. — *Q.* Licet ne Parocho Sanctum Oleum domi retinere?

R. Oleum Sanctum, ex Rit. Rom. servari debet *loco nitido et decenter ornato*. Igitur servari non licet in domo parochiali, nisi duobus in casibus : 1° si Parochus crederet quod noctu ad aegrum vocetur, et Oleum pro illa vice domi servet ut commodius et expeditius illud ad infirmum deferat [4] ; 2° si domus parochialis mul-

[1] S. Alph., L. VI, 726.
[2] S. Alph., L, VI, 724.
[3] *D' Annibale*, III, 710.
[4] Quaesitum fuit : « Num causa sufficiens haberi possit ad permittendum Parochis Oleum infirmorum apud se domi retinere, quod haec ab Ecclesia parochiali sejuncta sit, ita ut hujus fores no-

tum distaret ab Ecclesia : quo in casu diligenter custodiri debet loco nitido et decenter ornato, non autem ut res communis inter libros, vel inter alia objecta communia [1]. — Parochus vero, qui aliter faceret, peccaret certe leviter vel graviter pro ratione irreverentiae, vel contemptus, aut scandali [2].

ctu per accitos famulos aperiendae essent? ». — R. *Negative* (S. R. C., 23 jun. 1892, n. 3779 ad VII).

[1] S. R. C., 16 dec. 1826, n. 2650, ad III.
[2] S. Alph., L. VI, 730.

BREVIS APPENDIX

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

673. — *Q.* Quid venit nomine sepulturae ecclesiasticae?

R. Nomine sepulturae ecclesiasticae venit non solum tumulatio in loco sacro [1], sed veniunt etiam pulsatio campanae, exequiae, luminaria, processiones, suffragia, missae, aliaque similia in Ecclesia catholica pro defunctis fieri consueta. Igitur sepultura ecclesiastica duobus constat, loco sacro vel alio ad id destinato, et ritu catholico [2].

Haec sepultura est pars communionis Ecclesiae, ideo, regulariter, nulli fidelium deneganda est. De jure autem quisquis fidelis sepeliri debet in illa parochia ubi domicilium, vel quasi-domicilium habuit, et cetera Sacramenta percepit; nisi alibi sepulturam legitime elegerit; vel legitimum majorum sepulchrum habeat; vel extra suam parochiam obiens, ad illam commode et absque periculo deportari non valeat [3]. — Dixi *de ju-*

[1] Cum benedicitur coemeterium pars aliqua extrema sine benedictione relinquatur pro sepeliendis infantibus non baptizatis; aliisque quibus sepultura ecclesiastica denegatur; nec necesse est ut pars illa per murum separetur, modo discerni possit. Si vero alicubi statutum sit a lege civili ut omnes indiscriminatim in coemeterio sepeliantur, etiam illi qui illud polluunt, tunc omittatur benedictio coemeterii, sed singulis vicibus in quibus sit catholicus sepeliendus, locus in quo ejus cadaver est deponendum, benedicatur prout in Rituali. — *Del Vecchio*, I, 541, VI.

[2] *D'Annibale*, I, 112.

[3] Defuncti in hospitalibus de jure communi funus habere debent a parochis proprii domicilii, non vero a capellano hospitalis, aut parocho in cujus parochia hospitale adest. S. Conc. C., 14 maji 1881. — Item puellae, quae in monasterio mo-

re, quia ex consuetudine, vel etiam ex conventione parochorum ab Ordinariis approbata, aliquando defunctus ibi sepelitur ubi mortuus est, etiamsi loci illius parochianus non fuerit.

Quoties quis extra ecclesiam sui domicilii legitime tumulatur, toties parocho domicilii de jure debetur redemptio, sive portio canonica, vel quarta funeraria. Haec, nisi legitima consuetudo, aut conventio, aut Ordinarii taxa aliter statuat, consistit in quarta parte eorum, quae occasione funeris et sepulturae corporis obveniunt ecclesiae tumulanti. Redemptio persolvi debet non jam a familia tumulati, sed a rectore ecclesiae tumulantis, S. Conc. C., 16 jan. 1694.

674.—*Q.* Sepultura ecclesiastica quo jure prohibita esse potest?

R. Sepultura ecclesiastica potest esse prohibita tum jure naturali, tum jure ecclesiastico.

Est prohibita jure naturali quando, si datur, adest contemptus religionis, vel scandalum fidelium.

Est autem prohibita jure ecclesiastico in quibusdam casibus. Hinc ex jure canonico sepultura ecclesiastica deneganda est: 1° *Infidelibus* et etiam infantibus sine baptismo mortuis.—2° *Apostatis* a christiana fide, et *schismaticis* publicis.—3° *Haereticis*, qui errores suos palam professi sunt eorumque fautoribus notoriis.—4° *Excommunicatis* vitandis, et *interdictis* nominatim.—5° *Duellantibus*, licet absoluti fuerint, et etiamsi extra locum conflictus cum signis poenitentiae decesserint.—6° *Suicidis* non ob insaniam, sed ob desperationem, nisi ante mortem dederint signa poenitentiae [1]. 7° *Peccatoribus publicis* et *notoriis*, qui perierunt sine poenitentiae signis. — 8° Demum deneganda etiam est ei, qui, morti poximus, obstinate et coram testibus Sacramenta sibi oblata respuit. Dixi: *coram testibus*: quia, si sacerdos solus testis fuerit repulsae et impoenitentiae moribundi, non est ei deneganda sepultura, nisi aliunde ipsi denegari debeat ob aliquam causam ex supra relatis; et sacerdos debet tacere, et sinere ut credatur eum fuisse sacramentis rite munitum [2].

Poenitentiae signum esset si

rantur educationis causa, si ibi decedunt, sepeliendae sunt in parochia, intra cujus fines monasterium positum est. Ita ex juris ordinarii dispositione, nisi aliter ab Ordinario statutum sit.

[1] Si quis reperiatur laqueo, veneno interemptus, tenendum est ab alio necatum fuisse. Et, si constet necem sibi intulisse, tenendum est, non fuisse sanae mentis, si tristitiae sese dederat, vel mane confessus fuerat. — *D'Annibale*, Comment., 165 (13).

[2] Quaesitum fuit: « Si quis... censura Ecclesiastica notorie innodatus obierit, et juxta sacros canones et normas hac de re a doctoribus traditas ecclesiastica sepultura carere omnino debeat, et contra pertinaciter gravibus minis expostulentur exequia et ipsa sepultura ecclesiastica, quomodo in hujusmodi casu sese gerere debeat parochus?

S. Poenitentiaria respondit: « Curandum ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant (ut nempe extra locum sacrum defunctus sepeliatur): quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus, neque per se neque per alios sacerdotes, ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat ». Decr. 10 dec. 1860.

Qui ergo publice noti sunt ut adscripti societatibus ab ecclesia certo damnatis, nisi poenitentiae signa dederint, sepultura ecclesiastica privandi sunt.

Quid vero, si cum poenitentiae signis decesserint, et vel insignia societatis certo damnatae ex illorum feretro extent, vel, iis etiam non extantibus, so-

moriens nomen Jesu invocaverit; vel Dei misericordiam imploraverit; vel pectus tutuderit; vel imaginem Crucifixi osculatus fuerit; vel confessarium petierit, etc. (C. S. Off., 19 sept. 1877); ad quod probandum unus testis sufficit.

675.—*Q.* Quid in dubio an danda sit sepultura ecclesiastica?

R. In dubio consulatur Ordinarius. Quod si tempus non ferat, tunc dari potest, quia odiosa restringenda sunt.—Quare, si extemplo aliquis concubinarius moriatur, qui secum concubinam haberet, sed sub domesticae nomine, etc., ita ut, etsi generatim concubinatus supponatur, tamen probari certe nequeat, parochus, si prius Ordinarium consulere nequeat, non debet sepulturam denegare. — Idem dic de illo qui censuratus fuit, sed a publico ignoratur, vel probabiliter credi possit id esse oblivioni datum, vel credi possit quod jam curaverit ejus absolutionem.—Item est, si defunctus officium occupasset, quod judicio prudentum non potuisset retinere, non tamen judicio multitudinis; vel si credi possit quod illud tenuerit bona fide, deceptus auctoritate aliorum. — Uno verbo non sufficit ad denegandam sepulturam ecclesiasticam quod defunctus censuratus decesserit, si id a publico ignoratur, vel si aliquo modo coram populo excusari possit [1].

Ceterum, ait Cl. D' Annibale, cum haec poena (privatio sepulturae) sit introducta jure canonico, cujus nulla est obligatio cum incommodo gravi, si ecclesiastica sepultura negari non potest sine incommodo hujusmodi, eam dare (adeoque mortuum efferre ritu catholico, eique solemnia funerum solvere) aut omni, aut certe gravi culpa vacat; modo haec non extorqueantur in contemptum Ecclesiae, nec defunctus efferatur signis massonicis feretro, aut vexillis appositis [2].

676 — *Q.* Quaenam poenae

cii sectae, cui adscripti erant, cum ejusdem insignibus funeri assistant? Responsum habes in his verbis Pii pp. IX. ad archiepiscopum Parisiensem: « Dissimulare non possumus, venerabilis frater, summam fuisse nostram molestiam admirationemque, ubi accepimus te exequiis interfuisse magni utriusque militiae magistri Magnan » (qui cum poenitentiae signis ex hac vita migraverat), « et solemnem absolutionem fuisse impertitam, dum e illius feretro massonica etiam extabant insignia, et eidem funeri socii illius damnatae sectae cum eisdem insignibus assistebant ». Ergo feretro ita composito, vel sociis cum istis insignibus incedentibus, ecclesiae ingressus denegandus est.

[1] *Del Vecchio;* I. 540; *D'Annibale* I. 116.

[2] Quaesitum fuit: 1° An licitum sit nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera? — 2° An licitum sit mandare ut sua, aliorumve cadavera comburantur?

S. C. S. Offi., 19 maji 1886 respondit: Ad 1um. *Negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus,* incurri poenas contra hanc latas. Ad 2um. *Negative.* — Summus Pontifex Leo XIII has resolutiones approbavit et confirmavit.

Item quaesitum fuit a D. D. Sallua S. Cong. S. Off. Commissario:

1° Utrum Clerus parochialis intervenire possit sepulturae defuncti ad sectam acatholicam quidem non adscripti, sed membra hujus sectae intervenire in hac sepultura volunt, et quidem modo solemni et notorio, seu cum signis ejusdem sectae, et cum consensu familiae defuncti.

2° Utrum Clerus huic sepulturae intervenire possit, si adscripti ad sectam massonicam interveniunt absque signis propriae sectae.

3° Utrum casu, quo fiat sepultura

relate ad sepulturam ecclesiasticam ?

R. ~~Pius IX in Const. Apost. Sedis~~ declaravit subjacere *excommunicationi* latae sententiae *nemini reservatae* « Mandantes, seu cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos ».

Vol. I 168

Quoad poenam, nomine sepulturae ecclesiasticae probabilius intelligitur tantum inhumatio in loco sacro, uti ex verbo *tradi* ostenditur. Ad incurrendam igitur hanc censuram requiritur ut fiat inhumatio in loco, non solum fidelium sepulturae destinato, sed insuper ab episcopo benedicto: unde non incurritur censura si defunctus jubetur sepeliri in coemeterio in quo singulis tantum fossis dari solet benedictio; incurreretur vero si fiat in sepultura gentilitia, per episcopum benedicta, quae in tali coemeterio sita est [1].

Mandantes dicuntur qui ex publica auctoritate qua pollent, jubent ut detur ecclesiastica sepultura; *cogentes* vero personae, sive publicae sive privatae, quae vi compellunt ad sepulturam concedendam. — Disputant vero Th. utrum *haeretici notorii* intelligantur solum qui alicui haereticae sectae addicti sint; sed probabilius intelligunt eos omnes qui, in loco sepulturae, communiter noti sunt tanquam haeresim profitentes.

Ex eadem Const., *interdictum* ab ingressu ecclesiae R. P. speciali modo reservatum incurrunt: « Scienter.... nominatim excommunicatos ad divina officia, seu Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes... »

modo mere civili, ut dicitur, fideles catholici intervenire possint.

Et responsum fuit die 18 jan. 1890.

Ad 1um: *Negative.*—Ad 2um: Si Massones interveniunt uti Corpus morale, seu uti societas massonica, *Negative*; secus si interveniunt tantum uti personae privatae. — Ad 3um: Fideles catholici se abstinere debent in casibus in quibus se abstinere debet Clerus.— Videre autem solum functionem transeuntem, quin aliquis partem directam in ipsa habeat, illicitum non est.

[1] *Génicot*, II, 609.

DE ORDINE

Postquam de Sacramentis, quae ad bonum singulorum fidelium instituta sunt, locuti sumus, nunc agendum nobis superest de duobus postremis Sacramentis quae ad commune bonum Ecclesiae ordinata sunt, nimirum de Ordine et de Matrimonio: primum est ad bonum regimen Ecclesiae, ut filii Dei generentur per gratiam; alterum ad filiorum procreationem, qui postea per fidem et Baptismum ab Ecclesia recipiantur, et sic ejus filii multiplicentur.

Tribus capitibus perficitur tractatus de Ordine: 1 *de Ordinis natura in genere;* 2. *de Ordinis natura in specie;* 3. *de ministro et subjecto Ordinis.*

CAPUT I.

De Ordinis natura in genere: de ejus materia, forma et effectibus: et de Hierarchia ecclesiastica.

ART. I.

De Ordinis natura in genere.

677. — *Q.* Quid est Ordo?

R. Ordo latine significat aptam rerum dispositionem, aut gradum quemdam personarum, seu dignitatem unde persona distat a persona, uti Ordo senatorius, quo senatores a reliqua plebe distinguebantur.

Hac ratione in Ecclesia Ordo clericalis est *quidam gradus personarum, quae ad sacra munia obeunda addictae sunt, eaque de causa a laicis distinctae.* Quum vero cuique clerico diversus Ordo, seu diversa potestas data sit, unde alii aliis praestantiores sunt, sic pro varietate Ordinum, seu potestatis, varii etiam sunt gradus clericorum.

Igitur sacra potestas singulorum propria dicitur *Ordo;* modus autem quo haec potestas traditur *sacra Ordinatio* vocatur; et idcirco quemadmodum effectus a causa ita Ordo ab Ordinatione derivatur. Ordinatio actione transeunte et ritu externo conficitur; Ordo vero in potestate permanente consistit, quae sub sensu non cadit. His positis:

Ordo *active* sumptus, seu *Ordinatio*, definitur a D. Thoma: *Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato in ordine ad Eucharistiam.* — Haec definitio competit tum Ordinibus qui certe sunt Sacramentum, tum aliis qui probabilius Sacramentum non sunt.

Proprius vero, quatenus significat stricte Sacramentum a Ch. Domino institutum, sacra Ordinatio definiri potest; *Sacramentum N. L., quo sensibili ritu et certa forma potestas spiritualis et gratia confertur ad Eucharistiam conficiendam, peccata remittenda, et ad sacra munia obeunda.*

678.—*Q.* Ordo est ne Sacramentum?

R. Ordo, seu sacra Ordinatio, est Sacramentum : de fide est. *Si quis dixerit ordinem , sive sacram ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum;.... anathema sit* [1].—Et sane in eo adsunt tria requisita necessaria ad Sacramentum constituendum,nempe: 1° Adest *signum sensibile*, quia confertur per orationem et manuum impositionem; sic enim de ordinatione septem diaconorum legitur : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus* [2].—2° Adest *divina institutio;* nam ipse Christus Apostolis eorumque successoribus potestatem dedit , tum in suum verum corpus, per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, tum in mysticum suum corpus per alia verba: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, etc..*—3° Adest *gratiae promissio et collatio;* unde Paulus ad Tim.: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii* [3]. Ergo.

679.—*Q.* Quandonam Sacramentum Ordinis institutum fuit?

R. Sacramentum Ordinis institutum fuit in ultima Coena; tunc enim Christus Sacerdotes N. L. instituit per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et licet tantum sacerdotium tunc fuerit institutum , in ipso tamen eminenter contenta fuit ordinatio aliorum ministrorum qui Sacerdotibus inserviunt: quod bene agere poterat Christus potestate excellentiae qua pollebat , eos nempe simul ad omnes Ordines promovendo, relinquendo ut ceteri ipsos gradatim assumerent.

680.—*Q.* Ordines quot sunt; et quomodo dividuntur?

R. In Ecclesia plures adesse Ordines de fide est: *Si quis dixerit praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines et majores et minores, per quos, veluti per gradus quosdam , in Sacerdotium tendatur; anath. sit*[4].

In Ecclesia latina septem recesentur Ordines: Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus et Ostiariatus.—Primi tres vocantur Ordines *majores* seu *sacri*, quia praecipua et nobiliora officia exercent relate ad Eucharistiam. Alii quatuor dicuntur Ordines *minores* et non sacri, non quod sacri non sint , sed quia ipsis minora incumbunt officia respectu ad Eucharistiam, nec per illos ordinati facultatem habent tangendi res sacras , nec obligatione tenentur recitandi horas canonicas et servandi perpetuam castitatem.

S. Th. autem [5] rationem congruentiae affert numeri et distributionis Ordinis.— Distinctio Ordinis accipitur secundum relationem ad Eucharistiam, prout conficitur seu consecratur, distribuitur et suscipitur. Unde vel agitur de ea consecranda, et datur ad hoc *Sacerdotium ;* vel de ea distribuenda, in Sacerdotis absentia aut de proxima materia ad eum tradenda, et hoc pertinet ad *Diaconatum;* vel de praeparandis vasis sacris, ut in iis materia recipiatur , et pertinet ad *Subdiaconatum;* vel de ipsa materia prae-

[1] Conc. Trid., Sess. XXIII, c. III.
[2] Act. Ap., VI, 6.
[3] 1ª Tim. IV, 14.
[4] Conc. Trid., Sess. XXIII, c. II.
[5] S. Th. Suppl. q. 37, a. 2.

standa , et pertinet ad *Acolythatum*—Quod vero pertinet ad *susceptores,* ii mundi esse debent, ideoque immundi arcendi sunt; horum autem triplex est genus; alii qui nolunt fidem suscipere uti infideles, quibus claudenda est ecclesia, et hoc pertinet ad *Ostiarios;* alii qui susceperunt fidem , sed nondum sufficienter instructi, uti catechumeni , et his datur *Lector ;* alii qui instructi quidem sunt , sed a daemone detinentur, uti energumeni , et his dantur *Exorcistae.*

Septenario Ordinum numero non officiunt *Tonsura* et *Episcopatus.* Tonsura enim non est Ordo, sed dispositio ad Ordines, ut patet ex Tridentino.[1]—An veroEpiscopatus sit Ordo et Sacramentum a Presbyteratu *specie* et *numero* distinctum , disput. Th.. Antiquiores praesertim cum S. Th. negant ; recentiores plurimi post Bellarminum affirmant, sive quia traditur specialis potestas, sive quia distincta habetur materia et forma. Attamen ex hoc non consequitur quod octo sint Ordines , quia Sacerdotium subdividitur in Episcopatum et Presbyteratum, et Episcopatus continetur in Sacerdotio tamquam nobilior species in suo genere; unde uterque , Episcopatus et Presbyteratus sub uno generico ordine Sacerdotii continetur: Episcopatus autem dicitur complementum, seu plenitudo Sacerdotii, et ideo Episcopus dicitur *Sacerdos magnus.*

In ecclesia graeca vero Ordines quatuor tantum recensentur, nempe Presbyteratus,Diaconatus,Subdiaconatus et Lectoratus.—Attamen ministeria quae a Latinis aliis minoribus Ordinibus tribuuntur, a Graecis partim Subdiacono, partim Lectori tributa sunt[2].

681. — *Q.* Singuli Ordines sunt ne Sacramentum ?

R.—1. Sacerdotium esse Sacramentum de fide est ; Trid. enim definivit: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum*; *anath. sit.*[3] Unde manifeste consequitur, Sacerdotium, quod primum locum tenet inter Ordines, esse Sacramentum.

2. Diaconatum etiam esse Sacramentum certum est, licet non sit de fide ; quia in illo adsunt tria requisita necessaria ad Sacramentum constituendum, ut dicetur inferius de Diaconatu.

3. Ceteri vero Ordines an sint Sacramentum, disput. Th..Sententia probabilior et ex Cl. Perrone nunc temporis communior negat. Et sane in eis deest *signum sensibile,* quia Ordinis Sacramentum, in sententia communiori et probabiliori, confertur per manuum impositionem, nam de ipsa sola fit mentio in Scripturis , et ipsa sola Graeci utuntur: sed ipsa deest in ceteris Ordinibus; deest etiam *divina institutio,* quae neque in Scripturis legitur , neque in Traditione ; deest quoque *gratiae collatio,* quum nulla sit forma quae productionem gratiae exprimat, et mentio tantum fit potestatis quae traditur; ergo.—Praeterea in Ecclesia Graeca Ordines minores non reperiuntur , excepto solo Lectoratu ; ergo..... — Insuper unicus minister Sacramenti Ordinis non

[1] Sess. XIII, cap. II.

[2] Ceterum Subdiaconatus graeco ritu collatus *Acolythatum* , et *Ostiariatum* includit. Aliquibus graecis *Exorcistatus* traditur cum Diaconatu.

[3] Sess. XXIII, c. III.

potest esse nisi Episcopus, sed illi alii Ordines possunt conferri et aliquando reapse conferuntur etiam ab Abbatibus, ergo.....[1]

ART. II.

De Ordinis materia, forma, et effectibus.

682. — *Q.* Quaenam materia et forma Ordinum ?

R. — 1. Si agatur de Ordinibus qui probabilius non sunt Sacramentum, materia *remota* sunt instrumenta, *proxima* eorum traditio et acceptio: forma vero verba, quae Episcopus profert in instrumentorum traditione. Ita communiter.

2. Si autem agatur de Ordinibus qui certe Sacramentum sunt, tunc tres adsunt sententiae. *Prima* dicit totam materiam in instrumentorum traditione sitam esse: manuum vero impositionem inter ritus mere ecclesiasticos refert, vel saltem eam contineri in ipsa traditione instrumentorum. *Secunda*, quam S. Alph. probabiliorem dicit, docet quod tota materia Sacramenti Ordinis est sola manuum impositio; nam Ecclesia graeca hac sola semper usa est et Latina usque ad saeculum VIII: forma vero, verba, quae talem impositionem concomitantur. Instrumentorum autem traditio est materia tantum accidentalis, licet integralis. *Tertia* vero tenet materiam ordinis duplici ex parte constare, nempe impositione manuum et instrumentorum porrectione; gravissimi enim Th. censent Christum materias et formas sacrarum Ordinationum sic instituisse, ut ex Ecclesiae institutione et usu speciale aliquid pro materia et forma addi posset, cujus omissio Ordinationem irritam redderet. Prima sententia, ait Cl. D' Annibale [2], videtur erronea, secunda verior, tertia tutior, et ideo *in praxi* tenenda, agitur enim de validitate Sacramenti. Hinc, si in ordinatione omissus fuerit aliquis ritus, qui juxta varias Th. sententias ad materiam, vel formam pertineat, Episcopus supplere debet quod fuit incaute omissum; et si unio moralis amplius non existit tota ordinatio sub conditione iteranda erit. Sic S. C. C. ex Bened. XIV de Syn. Dioeces. L. 8, c. 10.

683. — *Q.* Ad validitatem Ordinationis requiritur ne contactus physicus instrumentorum ?

R. Disput Th.. Alii negant, quia, humano modo loquendo, hoc ipso quod aliquis rem alteri offerat et alter aliquo signo sensibili acceptare significet, jam censetur acceptare, etsi non tangat. Alii vero communiter affirmant, quia sicut in Baptismo, Confirmatione et Extrema Unctione requitur, ut suscipiens physice tangat materiam, ita in Ordinatione; unde praesumitur sic Christum instituisse [3]. Et haec sententia in *praxi* est omnino tenenda, agitur enim de valore Sacramenti.

Sufficit autem instrumenta tangere una sola manu etiam chirotheca obtecta, vel tangere digito;

[1] Nec obstat dicere quod nullus ex septem Ordinibus iterari possit, ergo in singulis imprimitur character, quod imprimi non potest nisi per Sacramentum. Nam respondetur, nec consecrationes ecclesiarum iterantur, neque ideo characterem imprimunt, nec sunt Sacramenta.—S. Alph., L. VI. 737.

[2] *D'Annibale* III. 290.

[3] S. Alph., L. VI, 743.

neque necesse est ut contactus fiat a principio prolationis formae usque ad finem, sed sufficit si fiat vel antequam forma terminetur, vel postquam illa incoepta sit [1].

684. — *Q.* Quinam effectus cramenti Ordinis ?

R. Effectus Sacramenti Ordinis *quoad ipsum ordinatum* tres sunt: 1° collatio gratiae sanctificantis, 2° collatio gratiae sacramentalis ad Ordinem susceptum rite exercendum; 3° impressio characteris.—Effectus vero Ordinis *quoad Ecclesiam* est divina institutio Hierarchiae ecclesiasticae.

ART. III.

De Hierarchia ecclesiastica.

685.—*Q.* Quid est Hierarchia ecclesiastica, et quonam jure instituta est ?

R. Hierarchia, graeca vox, quae latine significat *sacrum principatum*, est *complexio hominum, qui Ordini clericali sunt adscripti, quique intra gradum suum quadam spirituali potestate in Ecclesia gaudent a Christo Domino tributa.* [2]

De fide autem est adesse in Ecclesia Hierarchiam divinitus institutam, unde jure divino clerici a laicis distinguuntur. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anath; sit* [3]. Hinc Paulus de variis ministris loquens, qui in Ecclesia constituti sunt, ait: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores..... Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetae numquid omnes Doctores ?* [4]. Ergo in Ecclesia Catholica adest Hierarchia ecclesiastica divinitus instituta.

[1] Casus I. — Caius Diaconus in ordinatione presbyteratus tetigit tantum patenam una simul cum hostia positam super calicem, sed ipsum calicem non tetigit; nunc dubitat an ordinatio sui presbyteratus valida sit ?

S. Congr. S. Off. die 17 mart. 1897 respondit: *Orator acquiescat.* Et Papa Leo XIII resolutionem S. Congr. adprobavit.

Casus II.—Titius Diaconus in ordinatione sui presbyteratus fatetur quod instrumenta tetigit quidem paulo ante prolationem formae ab Episcopo recitatae, sed non in ipso actu prolationis; nunc dubitat an ordinatio valida sit?

S. Congr. S. Off. die 17 mart. 1897 respondit: *Orator acquiescat.* Et Papa Leo XIII resolutionem S. Congr. adprobavit.

Casus III. - Sempronius in ordinatione sui Presbyteratus, dum Episcopus ei porrigebat calicem et patenam cum hostia, hostia in terram cecidit antequam ipse eam tangeret, et antequam Episcopus formulam pronuntiasset: Sempronius animadvertit hostiam in terram cecidisse, et amplius non adesse super patenam antequam formula pronuntiaretur, et Caeremoniarium admonet, qui vel quia Episcopum exturbare nollet, vel quia aliter opinaretur, nihil dixit, permittendo ut consecratio procederet; nunc dubitat an ejus ordinatio valida sit?

S. Cong. S. Off. die 6 julii 1898 respondit: *Attenta asserta evolatione hostiae in terram in porrectione instrumentorum ante tactum instrumentorum eorumdem, ordinationem esse iterandam ex integro sub conditione et secreto, quocumque die, facto verbo cum SS.mo, ut suppleat de Thesauro Ecclesiae, quatenus opus sit pro missis a sacerdote oratore celebratis.* Et Leo XIII resolutionem Congr. adprobavit.

[2] Sicut Clerici duplici potestate praediti sunt, ordinis et jurisdictionis, ita Hierarchia alia est ordinis, alia jurisdictionis. Ad ordinem pertinet consecrare et benedire; ad jurisdictionem regere, ligare et solvere.—*D'Annibale.* I. 88.

[3] Conc. Trid., Sess. XXIII, c. VI.

[4] 1a Cor. XII, 28, 29.

686. — *Q.* Quodnam discrimen inter potestatem ordinis, et jurisdictionis ?

R. Triplex praecipue datur discrimen : 1° *ex modo* quo acquiritur utraque potestas ; potestas ordinis confertur per sacram ordinationem ; potestas vero jurisdictionis transmittitur per missionem, quae est legitima deputatio ad exercendum munus spirituale; 2° *ex objecto*, seu *fine* utriusque potestatis; ordo sanctificat homines per sacros ritus ; jurisdictio vero eos dirigit ac regit per magisterium et disciplinam ; 3° *ex ipsa natura potestatis*; potestas ordinis immutabilis est, unde a subjecto tolli nequit ; jurisdictio e contra potest limitari et etiam omnino tolli ; unde actus ordinis invalidari nequeunt, bene vero actus jurisdictionis.

CAPUT II.

De ordinibus in specie.

ART. I.

De Tonsura.

687.—*Q.* Quid est Tonsura ?

R. Tonsura definitur : *Caeremonia ecclesiastica per quam laicus baptizatus in clerum adscribitur et ad suscipiendos ordines disponitur.*—Dicitur: 1° *Caeremonia*, quia non est Ordo , nam in ea nulla potestas spiritualis confertur ; 2° *ecclesiastica*, quia non a Christo, sed ab Ecclesia instituta fuit; 3° *per quam laicus baptizatus* , quia baptismus est janua Ecclesiae, et a fortiori status clericalis; 4° *in clerum adscribitur*, nam tonsuratus a laicali ad statum clericalem transfertur [1] ; 5° *et ad suscipiendos ordines disponitur*, quia tonsura, ut diximus, non est ordo , sed tantum dispositio ad ordines.

688. — *Q.* Quandonam Tonsura instituta fuit ?

R. Non conveniunt Th. circa tempus quo praecise usus tonsurae in Ecclesia invaluit. Plures volunt Sanctum Petrum primam tonsuram instituisse. Ceterum, certissimum est ipsam in Ecclesia antiquam esse [2].

689. — *Q.* Quinam minister tonsurae, et quonam ritu tonsura confertur ?

R. Minister tonsurae ordinarius eso Episcopus; ex delegatione tamen potest esse simplex Presbyter.

Tonsura conferri potest quocumque die et hora, etiam extra Missam. Confertur autem sequenti ritu ; 1° Tonsurandos, antequam ad hanc sacram caerimoni im se offerat , saecularem habitum deponit, et nigra simul veste talari induitur, mundo valedicit, et nihil jam cum eo commune habet.—2° Incoepto Psalmo *Conserva me* , Pontifex cum forfice capillorum extremitates incidit in quatuor locis , videlicet in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, et in medio capitis, in formam coronae [3] ; et interim qui

[1] Status clericalis est ille , quo quis segregatur a saeculo, atque divino cultui , et ecclesiastico ministerio dedicatur. — Vox autem *clerus* , a graeco idiomate, latine sortem significat ; unde clericus Deum habere debet ut suam partem et haereditatem , et ideo dicitur in sortem Domini vocatus.

[2] Vid. *Aertnys*, L. V, 35, 2°.

[3] Tonsio capillorum in formam coronae exprimit imaginem spineae coronae Christi, atque significat regiam dignitatem ejus qui in clerum adscribitur.

tondetur una cum Episcopo dicit [1]: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.*— Haec autem capillorum detonsio duo significat; nempe clericum superfluitatibus hujus saeculi et vanitatibus renuntiare, et Deo ad instar Nazareorum antiquae legis consecrari.—3° Post geminam orationem et recitatum Psalmum *Domini est terra*, Pontifex clericum superpelliceo induit dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis*; quibus verbis significatur clericum ad laborem, ad tribulationes ac vitae perfectionem vocari, ut luceat coram hominibus, qui hinc coelestem Patrem glorificent.

690.—*Q.* Quaenam dispositiones requiruntur ad tonsuram?

R. Ut quis possit tonsurari, requiritur: 1° ut sit mas; 2° ut sit confirmatus, et quidem juxta alios sub gravi, sed juxta plures solum sub levi; 3° ut sciat rudimenta fidei, et sciat legere et scribere; 4° ut habeat animum Deo inserviendi.

An vero peccet qui primam tonsuram, vel ordines minores suscipit animo effugiendi forum laicale, et postea ad saeculum redeundi, disput. Th.. *Prima* sententia, quae S. Alph. videtur non satis probabilis, dicit nullomodo peccare, quia utitur jure suo. *Secunda* sententia probabilis dicit peccare tantum venialiter. *Tertia* vero sententia, quam S. Alph. probabiliorem putat, dicit peccare mortaliter; nam Trid. hoc crimen fraudem appellat, et ideo a gravi culpa nequit excusari qui sic ordinatur, quia graviter defraudat Ecclesiam, abutendo suis sacris ministeriis ad fines temporales [2].

691. — *Q.* Quaenam sunt obligationes tonsurati?

R. Tonsuratus tenetur: 1° coronam clericalem deferre; 2° deferre habitum clericalem; 3° curas saeculares abjicere, spiritualibus inhaerere et novum hominem induere: dum enim Pontifex ei superpelliceum imponit, dicit: *Induat te Dominus novum hominem.*

Quoad obligationem deferendi habitum clericalem et tonsuram, V. dicta n. 64.

692. — *Q.* Quinam effectus tonsurae?

R. Effectus tonsurae tres sunt: 1° hominem clero adscribit et ad ordines suscipiendos disponit; 2° jus tribuit ad beneficia ecclesiastica; 3° tribuit privilegium fori et canonis.

Privilegium *fori* est exemptio clerici a judicis laici jurisdictione.

— Privilegium *canonis* vero in hoc consistit quod violenter manus injicientes in clericum ipso facto in excommunicationem incurrunt.

Art. II.

De quatuor ordinibus minoribus

693. — *Q.* Quid est Ostiariatus?

R. Ostiariatus est *Ordo, quo confertur potestas aperiendi, claudendi et custodiendi ecclesiam.*

Materia *remota* ostiariatus sunt claves ecclesiae; — *proxima* cla-

[1] S. R. C., 12 nov. 1831, n. 2622 ad 3.

[2] S. Alph., L. VI, 785.

vium traditio.—Forma sunt verba ordinantis, et dicentis: *Sic age quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.*

Officium ostiarii est pulsare campanam ; admittere dignos in ecclesia , et expellere indignos, scilicet infideles, haereticos et excommunicatos; demum vasa sacra, et caetera ad Dei cultum pertinentia fideliter custodire.

694.—*Q.* Quid est Lectoratus ?

R. Lectoratus est *Ordo quo confertur potestas legendi scripturas sacras in ecclesia.*

Materia *remota* est liber continens SS. Scripturas utriusque testamenti;—*proxima* , illius traditio.—Forma sunt verba: *Accipe et esto Verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

Officium Lectoris est legere sacras Scripturas, sed extra missam, nam in missa officium est Subdiaconi ; divinas laudes canere, et praeesse psalmistis; catechumenos instruere, et rudes et pueros docere rudimenta christianae religionis.

695.— *Q.* Quid est Exorcistatus ?

R. Exorcistatus est *Ordo , quo datur potestas expellendi daemones ab obsessis.*

Materia *remota* est liber exorcismorum, qui est solum Rituale Rom., vel Missale, vel Pontificale;—*proxima* ejus traditio.—Forma: *Accipe et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

Officium Exorcistae est obsessos exorcizare.[1] Hodie tamen hoc officium nemo solemniter exercere potest nisi Sacerdos ab Episcopo delegatus. Praeterea, ut habetur in Pontificali ejus officium est *dicere populo , ut qui non communicat, communicantibus det locum; et aquam in ministerio fundere ;* idest parare aquam, salem et cetera necessaria ad benedictionem aquae, qua utitur Ecclesia in exorcismis.

696.—*Q.* Quid est Acolythatus ?

R. Acolythatus est *Ordo , quo potestas traditur inserviendi subdiacono in missa solemni.*

Materia *remota* sunt et candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus; — *proxima*, eorum traditio.—Forma autem, in traditione ceroferarii, sunt verba: *Accipe ceroferarium cum cereo , et scias te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.* R. *Amen* [2]. Utraque materia est essentialis , sed nobilior est urceolus , quia vinum et aqua magis sunt ad missam necessaria. Hae autem materiae sunt partiales, unam totalem constituentes. Character vero non in candelabri, sed in urceoli traditione imprimitur, quia in ea principalior traditur potestas.[3]

Officium acolythi est praeparare ampullas vini et aquae ad Sacrificium missae, et eas subdiacono

[1] Exorcismus, graeca vox, latine est *adjuratio* unde *exorcista* idem est ac *increpans, objurgans, expellens.*

[2] *Amen,* quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum, dicendum est ab ipso Ordinando , juxta consuetudinem. (S. R. C., 12 nov. 1831, n. 2682 ad 6).

[3] Vid. *Gènicot,* II, 426.

porrigere ; lumen deferre ad Evangelium ; luminaria accendere; et missae privatae inservire.

ART. III.

De Ordinibus majoribus

§ 1°

De Subdiaconatu et Diaconatu.

697.—*Q.* Quid est Subdiaconatus , et quaenam ejus materia et forma ?

R. Subdiaconatus , *graece* Hypodiaconatus, est *Ordo, quo confertur potestas in missa solemni inserviendi diacono, et epistolam legendi.*

Antiquitus subdiaconatus inter Ordines minores connumerabatur, et etiam nunc penes Graecos non numeratur inter sacros, nec apud ipsos subdiaconatui adnexa est lex continentiae. Apud Latinos tamen in fine saeculi XII elevatus fuit ad dignitatem Ordinis majoris ab Inn. III, ut communius tenent Th.

Materia apud Graecos est manuum impositio , et forma verba prolata in ea impositione. Penes Latinos materia *remota* est calix vacuus cum patena vacua, et liber epistolarum; calix et patena probabilius consecrata esse debent;— materia *proxima* eorum traditio.— Forma autem sunt verba Episcopi in traditione calicis: *Vide cujus ministerium tibi traditur ; ideo te admoneo ut ita te exhibeas ut Deo placere possis;* — et alia in traditione libri: *Accipe librum epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei , tam pro vivis quam pro defunctis : in nomine Patris, etc.*. Duplici enim materiae duplex adhibetur forma partialis [1].

Officium Subdiaconi est inservire diacono in missa solemni ; panem , vinum , lintea et cetera ad Sacrificium praeparare; epistolam in missa solemni cum manipulo legere; aquam in calicem fundere; pacem in chorum et crucem in processionibus deferre; lavare corporalia, etc.. Peccaret vero subdiaconus, si absque manipulo solemniter ministraret in ecclesia , nisi urgeat necessitas.

Obligationes subdiaconi sunt : servare castitatem , et horas canonicas persolvere [2].

698.—*Q.* Quid est Diaconatus?

R. Diaconatus est *Ordo , quo*

[1] Episcopus subdiaconatum suscipientes admonet huic Ordini legem perpetuae continentiae impositam esse , edicitque neminem ad subdiaconatum promovendum esse, si propositum non habeat ultro hanc legem accipiendi : atque his verbis concludit : *Proinde, dum tempus est , cogitate , et , si in sancto proposito perseverare placet , huc accedite.* — Post haec verba ordinandi accedunt ; et dum Episcopus procumbens super faldistorium solemnem incipit litaniarum precationem , omnes in locis super tapeta se prosternunt.

[2] Quum in ordinatione subdiaconatus, vel diaconatus Episcopus ordinatis dicat : *Dicite Nocturnum talis diei*, quaesitum fuit quid per haec verba intelligendum sit? Et S. R. Cong. declaravit : « Pro *Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus festi, aut Dominicae in Psalterio ; prouti Ordinatio in feria, Festo, aut Dominica habita sit ». Episcopus vero ordinans jus habet injungendi alium a Nocturno diei, quem Pontificale designat. — Decr. S. R. C., 27 jun. 1899, n. 4042 ad I et II.

Nunc autem alia quaestio exorta et proposita fuit, nempe : « Utrum ad hunc Nocturnum etiam Psalmus *Venite, exultemus*, Hymnus et Lectiones addendae sint, vel potius sufficiant Psalmi, cum respectivis Antiphonis, ad talem Nocturnum spectantes? » — Et S. R. C. respondit : *Negative* ad 1am partem ; *Affirmative* ad 2am (Die 10 julii 1903).

traditur potestas inserviendi Sacerdoti solemniter celebranti, et canendi Evangelium.

Diaconus juxta vim graecae vocis idem est ac minister ; unde diaconi dicuntur ministri per antonomasiam, quia ipsi tenent sacri ministerii principatum,et quidquid subdiaconis et minoribus clericis officii tribuitur, in diaconatu tamquam in fonte ac principio continetur.

699.—*Q.* Diaconatus est ne ex institutione divina, et est ne Sacramentum ?

R. Diaconatus est ex institutione divina, nam Conc. Trid. definivit: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris ; anath. sit* [1]. At ministrorum nomine praecipue intelliguntur diaconi; ergo.

Diaconatum vero esse Sacramentum, licet non sit expresse de fide, quia nec Scriptura id manifeste docet, nec ab Ecclesia definitum fuit, certum tamen est ex decreto Trid. nuper relato.

Et sane in eo adsunt tria requisita ad Sacramentum constituendum necessaria ; adest enim 1° *signum sensibile* in manuum impositione; 2° *divina institutio ;* nam de fide est quod in Ecclesia Catholica adest Hierarchia *divina ordinatione instituta*, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris, quorum nomine certe veniunt saltem Diaconi; 3° *collatio* gratiae, ut patet ex ipsa forma: *Accipe Spiritum Sanctum* , etc.; ergo.

700.—*Q.* Quaenam est materia et forma diaconatus ?

R. Disput. Th.. -- *Prima* sententia dicit esse solam traditionem libri Evangeliorum cum sua forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivus quam pro defunctis: in nomine Domini. Amen.—Secunda* dicit esse solam impositionem manus Episcopi cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus , in nomine Domini.— Tertia* vero dicit utramque, nempe traditionem libri et impositionem manus esse materiam essentialem. Prima sententia est probabilis; secunda est probabilior ; tertia probabilis et tutior et ideo omnino *in praxi* sequenda, utpote spectans ad valorem Sacramentorum.

Quoad diversitatem vero Ecclesiae Graecae in qua diaconatus confertur per solam manuum impositionem, et Ecclesiae Latinae in qua praeter manus impositionem requiritur etiam traditio instrumentorum , respondetur quod traditio instrumentorum non habetur pro materia essentiali, sed accidentali, licet integrali [2].

701. — *Q.* Quaenam officia diaconi ?

R. Officia diaconi olim plurima erant; at nunc ex Pontificali Rom. tria haec sunt: *ministrare ad altare; baptizare; praedicare.* — Ministrat autem ad altare dum sacerdoti celebranti porrigit patenam cum hostia et calicem cum vino; dum canit solemniter Evangelium ; dum sacra vasa Eucharistiam continentia extrahit et reponit in loco sacro; dum Eucharistiam ministrat, sed tantum ut minister extraordinarius. — Alterum officium est baptizare sole-

[1] Sess. XXIII, c. VI.

[2] S. Alph. Hom. Ap., T. XVII, 15.

mniter: sed ut minister extraordinarius id praestat. — Tertium officium est praedicare verbum Dei, ubi et quando Episcopo videbitur [1].

Diaconus nequit ministrare Eucharistiam nec solemniter baptizare nisi ex gravi causa et cum delegatione Parochi.

An vero, si absque commissione communicat populum, vel solemniter baptizat, etiam extra necessitatem, incurrat irregularitatem, disput. Th.; sed plures probabilius negant; ratio, quia in hoc casu non sibi usurpat actum Ordinis, sed tantum ei deest jurisdictio.

An autem diaconus, vel subdiaconus solemniter ministrans in mortali graviter peccet (V. dicta n. 203).

§ 2°

De Presbyteratu et Episcopatu.

702. — *Q.* Quid est Presbyteratus?

R. Presbyteratus [2] est *Ordo, quo specialis traditur potestas conficiendi Corpus et Sanguinem Christi et absolvendi a peccatis.* Unde duplex spiritualis potestas Ordinato traditur; quarum una respicit Corpus Christi *reale*, nempe consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, et proinde conficiendi Sacramentum Eucharistiae; altera respicit Corpus Christi *mysticum*, nempe remittendi et retinendi peccata fidelium.

Presbyteratus est verum Sacramentum N. L.; et est de fide: ut diximus n. 681.

703. — *Q.* Quaenam est materia et forma presbyteratus?

R. Triplex datur sententia. *Prima* dicit materiam esse solam traditionem instrumentorum, nempe patenae cum hostia et calicis cum vino; et formam esse verba, quae Episcopus profert in eorum traditione: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis quam pro defunctis: in nomine Domini.* R. *Amen.* Sed haec sententia communiter non est recepta a Th.. — *Secunda* dicit in ordinatione presbyteratus duplicem esse materiam et formam essentialem, nempe traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super Corpus Christi reale, scilicet sacrificandi, cum forma: *Accipe potestatem offerre, etc.*; et impositionem manuum qua traditur potestas super Corpus Christi mysticum, idest absolvendi a peccatis, cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, etc.* — *Tertia* vero probabilius dicit materiam essentialem esse solam manuum impositionem, ideoque per ipsam solam utramque potestatem tradi sacrificandi et absolvendi.

Quum autem triplex sit manuum impositio: 1ª quando Episcopus manus imponit una cum

[1] Stola, qua induitur Diaconus, significat jugum Christi et obedientiam Evangelio ejus. — Dalmatica vero est symbolum vitae immaculatae et liberalitatis Diaconi erga pauperes, cum initio Diaconorum munus fuerit ministrare mensis et curam habere viduarum.

[2] Presbyter, graeca vox, latine *Seniorem* significat, non solum propter aetatis maturitatem, quae tali ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam, scriptum est enim: *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata.* — Sap. IV, 8, 9.

presbyteris, absolutis litaniis, nihil dicens; 2ª quando immediate post primam item una cum sacerdotibus [1] extendit manum super initiandos, et fundit preces; 3ª quando post communionem utramque manum imponit et dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, etc.;* hinc Th. tertiae sententiae dicunt utramque potestatem tradi non in tertia manuum impositione, quia jam supponit consecratos sacerdotes, dum ipsi cum Episcopo jam consecrant Eucharistiam; unde materia essentialis esse debet vel in prima vel in secunda.[2]— Forma autem essentialis juxta hanc sententiam probabilius est oratio quae in hac secunda manus impositione dicitur ab Episcopo. Licet autem haec tertia sententia speculative loquendo sit probabilior, secunda sententia tamen cum sit etiam probabilis, in *praxi* omnino sequenda est. Unde si omissa fuisset vel traditio instrumentorum vel prima aut secunda manuum impositio, tota ordinatio repetenda esset; si vero omissa fuerit tertia impositio, haec tantum supplenda est, etiam extra ordinationem, imo extra missae sacrificium, S. C. Rit., 22 maji 1841.

704.—*Q.* In ordinatione presbyteratus sufficit ne ad validitatem: 1° traditio unius speciei; 2° vel tangere solum hostiam et non patenam, vel tantum calicem et patenam non vero hostiam?

R. Ad 1ᵘᵐ. Ad validitatem ordinationis probabilius non sufficit traditio unius tantum speciei, nempe panis solum, vel vini, quia per traditionem unius speciei non datur potestas ad totum Sacramentum.

Ad 2ᵘᵐ. Si quis tangeret solam hostiam et non patenam, probabilissimum et fere certum est ordinationem esse validam, quia hostia et vinum est materia substantialis, licet consultum sit eam iterare.[3] (V. dicta n. 683).

Item in sententia communi et moraliter certa valide ordinatur qui tangeret tantum calicem et patenam non vero hostiam, quia contactus censetur fuisse realis, licet non physicus sub omni respectu.[4] Ceterum curandum est ut Ordinandus sive hostiam, sive patenam, sive calicem tangat, et sic se ab omni scrupulo eximat.

705. — *Q.* Quaenam officia presbyteratus?

R. Officia presbyteratus his verbis Pontif. Rom. recenset: Sacerdotem oportet *offerre, benedicere, praeesse, praedicare, baptizare.* Officia ergo presbyteri sunt:—1°Offerre sacrificium.—2° Benedicere tum personis, tum rebus; harum benedictionum formulae plures inveniuntur in Rit.

[1] Impositio manuum Sacerdotum non est essentialis, et ipsi nulla verba proferunt; imponunt autem manus in signum cooptationis et societatis ad simile ministerium, cui caeremoniae respondet apud Graecos salutatio. Ita *Scavini, Tournely.*

[2] Alii melius non distinguunt hanc primam et secundam manus impositionem; ambae enim videntur moraliter unam manuum impositionem constituere, quae incipit cum tactu physico super caput ordinandi et continuatur extensione manus versus ordinandum cum oratione, in qua forma invenitur. (Vid. *Gènicot*, II, 427); Decr. S. R. C.. n. 3274.

[3] Cl. *D'Annibale*, III, 289, (5).

[4] S. C. R. propositum fuit dubium: *An Sacerdos, qui in ordinatione non tetigerit physice calicem, possit celebrationem continuare?* S. C. R. respondit: *Posse continuare absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia.* Die 3 dec. 1661, n. 1221.

Rom. — 3° Praeesse populo Dei, ipsumque regere ; vi enim ordinationis habet ut possit eligi ad populum regendum , uti sunt Vicarii generales, Archidiaconi, Parochi. — 4° Praedicare , pascere nempe populum doctrina et exemplo. — 5° Baptizare, et cetera sacramenta administrare (exceptis Confirmatione et Ordine) ut minister ordinarius, non tamen sine dependentia a Parocho, ut fert praesens Ecclesiae disciplina.

706.—*Q.* Adestne obligatio celebrandi missas et dicendi preces quae ab Episcopo imponuntur ordinatis ?

R. Disput. Th. an adsit vera obligatio. Alii tenent obligationem esse sub peccato et quidem gravi: alii probabiliter dicunt hujusmodi obligationem esse decentiae, non autem sub peccato , saltem non esse sub gravi, cum id Episcopi non declararint.

Ceterum non adest obligatio applicandi praedictas missas juxta intentionem Episcopi, dum praescribitur tantum ut initiati pro eo orent; ideoque ipsi bene possunt missas pro aliis applicare etiam cum stipendio. Neque tres illae missae prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti, cum missae votivae esse debeant. — An vero neopresbyter pro missa quam celebrat cum Episcopo possit stipendium accipere , disput. Th. [1].

707. — *Q.* Ad quid tenetur neopresbyter vi promissionis obedientiae ?

R. Presbyter vi hujusmodi promissionis , hac lege inter alias adstrictus tenetur, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit , discedere nequeat sine licentia Episcopi, nisi forte velit transire ad aliquam religionem, quod potest etiam contradicente Episcopo.[2] (V. dicta n. 66).

708.—*Q.* Quid est Episcopatus ?

R. Episcopatus definitur: *Ordo supremus, quo presbytero datur potestas confirmandi , ordinandi et plebem sibi commissam regendi.*

Materia Episcopatus iuxta alios tota consistit in impositione libri Evangelii super caput consecrandi; juxta alios e contra tota consistit in impositione manuum, et juxta alios in utraque simul. — Forma vero juxta omnes in verbis quae utrique impositioni respondent. — Certum autem est quod unctio sive capitis, sive manuum, sive traditio baculi et annuli, aliaeque caeremoniae ad essentiam consecrationis non pertinent.

Duplex ergo est in Episcopo potestas : una *ordinis*, qua potest confirmare baptizatos, et sacerdotes ceterosque ministros ordinare; altera *jurisdictionis*, qua plebem sibi commissam gubernare valet.

Ejus ergo officia erunt ea omnia exequi quae ad regimen Ecclesiae necessaria sunt ; nempe docere, verbum Dei praedicare, administrare Sacramenta, invigilare disciplinae ac morum sanctitati, leges condere , contumaces poenis canonicis coërcere, eorum qui ordinandi sunt mores , indolem , scientiam accurato examine discutere [3].

[1] S. Alph., L. VI, 829.
[2] Vid *Génicot*, II, 28.
[3] Dum Paulus dicit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (1ª Tim. III), non dicit bonum esse hoc desiderium, sed bonum esse in se opus desideratum. Et S. Th. in haec verba sic scribit: « Appetere Episcopatum ra-

CAPUT III.

De ministro et subiecto Ordinationis, et de poenis in illicite Ordinantes vel Ordinatos.

ART. I.

De Ministro ordinationis

709. — *Q.* Quinam minister ordinationis?

R.—I. Solus Episcopus ex potestate divina est minister Ordinum Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus.

II. Episcopus est minister ordinarius, et Presbyter ex delegatione Summi Pontificis est minister extraordinarius Subdiaconatus et Ordinum minorum.

III. Quilibet Episcopus, etsi irregularis, simoniacus, vel haereticus, *valide* Ordines confert, quia valor Sacramentorum non pendet a probitate ministri; *licite* vero solus Episcopus proprius ordinandi, vel alius ex ejus licentia.

710. — *Q.* Quinam proprius ordinandi Episcopus?

R. Proprius ordinandi Episcopus ille est, cujus jurisdictioni ordinandus subjicitur; quod ex quatuor capitibus esse potest:

1. *Ratione originis*, nempe cum quis naturaliter est ortus in ea dioecesi, dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, v. g. occasione itineris, mercaturae, legationis. Quod si filius sit illegitimus attendi debet: 1° origo matris; 2° locus in quo fuit baptizatus. Sic ex jure.

2. *Ratione domicilii*, idest decennalis habitatio in aliquo loco, vel translatio majoris partis bonorum in eum locum, et successiva permanentia per aliquod considerabile tempus, quod plures volunt esse triennium, et alii relinquunt arbitrio Ordinarii loci in quem translata fuit major bonorum pars. In utroque tamen casu ordinandus debet jurejurando affirmare se vere habere animum perpetuo ibidem permanendi. Quod si duo diversa domicilia habeat, ab Episcopo utriuslibet loci poterit ordinari, quia utrique Episcopo subditus est ratione domicilii, modo in iis aequaliter, licet non mathematice, habitet. Ita S. C. Cong. [1].

3. *Ratione beneficii*, dummodo non fuerit obtentum in fraudem Episcopi originis vel domicilii. Non sufficit tamen pensio, licet perpetua et ecclesiastica, nec capellania laicalis, quia non sunt vera ecclesiastica beneficia. Requiritur autem ut beneficium ab ordinando pacifice possideatur, et detractis oneribus, per se ad congruam vitae sustentationem sufficiat juxta taxam quae viget in loco beneficii, si illud residentiam exigit, secus quae viget in loco domicilii. Et requiritur etiam ut ante Ordinum susceptionem Ordinanti exhibeantur *Litterae testimoniales*

tione temporalium bonorum est illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit praesumptuosum; sed appetere proximis prodesse est secundum se laudabile. Verum, quia prout est Episcopalis actus, habet adnexam gradus celsitudinem, praesumptuosum videtur quod aliquis praeesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente ». 2a 2ae q. 185, a. 1.

[1] Quando adolescentes, ut saepe fit, in seminario alienae Dioecesis studiorum curriculum conficiunt, eos ordinat proprius Episcopus, sed requiruntur testimoniales loci in quo studiis vacarunt. S. C., 12 jul. 1840.

Episcopi tam originis, quam domicilii super ordinandi natalibus, aetate, moribus, vita.

4. *Ratione familiaritatis*, nempe si Episcopus per triennium (etsi incoeptum ante ejus promotionem ad Episcopatum) integrum et completum, licet juxta plures non continuum, eum in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, et beneficium, omni remota fraude, statim, vel saltem intra terminum unius mensis a die actae ordinationis, ipsi conferat. Debet tamen litteras testimoniales natalium, aetatis, etc., obtinere a proprio Praelato originis et domicilii ordinandi.

711. — *Q.* Regulares a quonam Episcopo licite ordinantur?

R. Praemitto: Nomine *Regularium* veniunt etiam Novitii, modo notabile jam tempus in novitiatu transegerint, et cum juramento promittant in religione, quantum in se erit, perpetuo remansuros. Hoc praemisso:

Regulares, secluso speciali privilegio, post Tridentinum nominatim concesso, ordinandi sunt ab Episcopo *loci* ubi morantur de familia. — Si Episcopus loci absit, vel ordinationes proximo legitimo tempore non sit habiturus, vel etiam si Sedes vacet, fas est Praelatis regularibus subditos ad *quemcumque Episcopum* mittere. — Praelati regulares debent semper subditis suis Litteras *dimissorias* [1] dare non solum ad alienum, sed etiam ad proprium Episcopum. Quod si dentur ad alienum, iis inserendum est authenticum testimonium Vicarii, vel secretarii proprii Episcopi de causa, ob quam hic non ordinat. — Hoc autem testimonio non indigent Regulares, quibus concessa est facultas Ordines recipiendi a quocumque catholico Episcopo [2].

712. — *Q.* Minister quonam tempore et loco Ordines conferre debet?

R. — 1. Quoad *tempus*, Ordines minores, si conferantur in ordinatione speciali, conferri possunt singulis dominicis vel festis de praecepto, etiam extra Missam, modo mane conferantur; sed in ordinatione generali, conferri debent iis diebus, quibus Ordines majores conferri possunt.[3] — Ordines majores ex jure inter missae celebrationem conferuntur: 1° Sabbato singulorum quatuor Temporum; 2° Sabbato ante Dominicam Passionis; 3° Sabbato Sancto. Ex dispensatione vero a Papa obtenta, conferri possunt etiam extra tempora, aliis diebus, scilicet vel Dominicis, vel festis de praecepto. Festa supressa reputantur de praecepto quoad Ordines. Ita S. C. R., 16 mart. 1883, n. 2703.

2. Quoad *locum*, ex Trid. Ordines conferuntur in propria Dioecesi, in Ecclesia Cathedrali, vel in Ecclesia digniori Dioecesis, si

[1] Dicuntur Litterae *Dimissoriales* illae quibus Episcopus ordinandi proprium subditum alieno Episcopo delegat, ea tamen conditione, ut suo Episcopo semper maneat subditus. Quod si quis has Litteras obtineat ea facultate ut alterius Episcopi subditus fiat, *Remissoriales* appellari solent. Litteras dimissoriales Episcopus etsi nondum consecratus, modo possessionem adeptus, concedere potest: idque licet in aliena existat dioecesi; nam talis concessio non est actus jurisdictionis contentiosae; et durant donec revocentur, cum sit gratia facta. Ipsas concedere nequit Vicarius Generalis, nisi speciale habeat mandatum, vel nisi Episcopus in remotis habitet, atque versetur.

[2] *Marc*, n. 1910.

[3] Vid. *Pontificale Rom.*

in ea Episcopus sit. Usus tamen invaluit ut etiam in privato sacello conferantur.

713. — *Q.* Quid observandum quoad modum ordinationis?

R. Ex parte *modi* ordinationis requiritur:

1. Ut quisque ordinetur a proprio Episcopo aut ex ipsius licentia ab alio cum litteris testimonialibus.

2. Ut serventur debita interstitia. Interstitia sunt ea temporis intervalla, quae inter unum et alium Ordinem decurrere debent. — Quoad interstitia haec observanda sunt: 1° Quoad Ordines minores tempus non determinatur, ideo quatuor Ordines eadem die conferri possunt; 2° Inter postremum e minoribus susceptum et Subdiaconatum, unus annus intercedere debet. Idem dicendum inter alios Ordines majores. — Episcopus dispensare potest ab interstitiis, si expedire ipsi videatur, modo debitis temporibus Ordines conferantur, et dispensare potest etiam quoad Regulares; sed dispensare non potest subditum alterius, sibi dimissum, sine debita facultate. Etiam Vic. Capit. ab ipsis dispensare potest, quia succedit in jura ordinaria Episcopi; sed non potest Vic. Gen., nisi habeat mandatum generale. Ita S. C. C. [1].

3. Ut ordinati SS. Communionem in missa Ordinationis suscipiant; quae verius sub mortali praecepta est presbyteris, ut Sacrificium compleant, siquidem cum Episcopo concelebrant; sed Diaconis et Subdiaconis probabilius praecepta est tantum sub levi, et pro ordinandis in minoribus est tantum de consilio [2].

4. Ut quisque ordinetur per gradus et non per saltus, seu ut Ordinem superiorem ante inferiorem non suscipiat. Collatio tamen hujus Ordinis ante alium est valida, cum tradantur distinctae potestates.—Qui vero mala fide per saltus ordinatur, graviter peccat et ordinem praetermissum suscipere debet, antequam in superiore ministret [3].

[1] In jure prohibetur sub gravi suscipere eodem die Ordines minores et Subdiaconatum. S. C. C., 7 maji 1707.

[2] S. Alph., L. VI, 801.

[3] Cf. *Génicot*, II, 436.

Art. II.

De subjecto ordinationis.

714. — *Q.* Quodnam subjectum Ordinis?

R. Subjectum Ordinis quoad *validitatem* est omnis homo viator, baptizatus, mas, qui si adultus est, habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi Ordinem. Dixi *si adultus est,* quia infantibus certum videtur nullam requiri intentionem ad valide Ordines suscipiendos.

715. — *Q.* Quaenam requiruntur ut quis licite ordinetur?

R. Ut quis *licite* ordinetur, praeter nuper dicta, plures conditiones requiruntur, quarum aliae internum Ordinandi respiciunt, aliae ejus externum, et aliae modum ordinationis.

1. Ex parte *animi* requiritur: 1° Vocatio divina quae definiri potest: *Actus divinae providentiae, quo Deus quosdam homines prae aliis eligit ad sacra munia obeunda.* Quantum haec necessaria sit constat ex Sacra Scriptura: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* [4]*;*

[4] Haebr., 5, 4.

alioquin, *qui non intrat per ostium in ovile ovium fur est et latro* [1]. — Hinc si quis sine signis divinae vocationis, et consequenter sine vocatione divina ad altare ascendit, nequit a gravi culpa excusari, tum ob gravem praesumptionem, qua non vocatus in sacrum ministerium se introducit, tum ob magnum periculum damnationis cui se exponit [2]. — 2° Recta intentio unice promovendi gloriam Dei, et salutem propriam et proximi. — 3° Specialis vitae probitas. — An vero clericus in vitio turpi habituatus licite possit ascendere ad Ordines, dicetur infra. — 4° Animus clericandi, scilicet ascendendi ad Ordines superiores; sed hoc intelligitur tantum pro eo qui Ordines minores suscipiens acceptat beneficium ad quod requiritur sacerdotium. vel alius Ordo sacer.

2. Ex parte *exteriori* requiritur: 1° Aetas requisita: pro tonsura requiruntur saltem 7 anni: pro minoribus nulla est aetas praescripta, usus tamen est ut conferantur ab anno 7 ad 14; pro majoribus vero requiritur annus 22 pro Subdiaconatu, 23 pro Diaconatu, 25 pro Presbyteratu; annus autem sufficit ut sit inchoatus. Demum pro Episcopatu requiritur annus 30 et quidem completus. — 2° Confirmatio, quae tamen, ex communi sententia, non est praecepta saltem sub gravi.

3. *Titulus* pro iis qui Ordinibus sacris initiantur. Est autem Titulus *jus recipiendi fructus annuos juxta taxam ab Episcopo determinatam pro honesta clerici sustentatione.*. Titulus triplex esse potest: paupertatis, patrimonii, et beneficii. — 1° Titulo *paupertatis* soli Regulares professi ordinari possunt. — 2° Titulo *patrimonii*, seu bonorum quae clericus possidet, ordinari possunt saeculares, quos Episcopus judicavit assumendos pro necessitate vel utilitate ecclesiarum. Patrimonium debet esse juxta taxam synodalem, perpetuum, fundatum in reddito certo et libero, hypotheca munitum, et ab Episcopo approbatum. Sufficit etiam pro patrimonio census perpetuus, licet sit redimibilis, vel capellania laicalis, quae ut sufficiat ad titulum, necesse est ut a patrono, expressa et legali forma in Curia Episcopali recognita, detur in titulum, sub obligatione illam non repetendi, donec clericus alium titulum consecutus sit [3]. Sufficit etiam pensio laicalis, vel ecclesiastica, vel mixta. (V. n. 114)—3° Titulo vero *beneficii*

[1] Joan., 10, 1.

[2] S. Alph. Hom. Ap., III, 45.

[3] In Archidioec. Neapolitana, *suspensionem* ab Ordinibus susceptis, Ordinario speciali modo reservatam, ipso facto incurrit Clericus qui praesentaverit falsum, fictum, fiduciarium, vel quomodolibet fraudulentum patrimonium, aut alium quemcumque titulum pro Ordinatione, atque hoc titulo sacros Ordines susceperit. — Eamdem poenam incurrit Clericus, si beneficium, vel pensionem, vel patrimonium, vel cappellaniam, ad cujus titulum fuerit sacris Ordinibus insignitus, hypothecaverit, resignaverit, vel respective alienaverit, extinxerit, aut remiserit, nisi alium titulum de Ordinarii licentia suffecerit (cas. IV, V primae class.). — Praeterea *excommunicationem* Ordinario simpliciter reservatam incurrunt tum ipsi Clerici praesentantes quemlibet fraudulentum titulum pro Ordinatione, ut supra in primo casu, tum omnes praedictum falsum, fictum, fiduciarium, aut quovis modo fraudulentum titulum constituentes, mandantes, consulentes, aut quomodolibet ad id criminis concurrentes, ipsa praedicti tituli constitutione (cas. X secundae classis).

quisque ordinari potest, dummodo beneficium ecclesiasticum sit inamovibile, sufficiens ad honestam sustentationem, actu obtentum et pacifice possessum (V. dicta de beneficiis ecclesiasticis, n. 114 et seq.).

Praeter hos titulos, alii passim admittuntur ex privilegio Pontificio, habita ratione circumstantiarum loci, temporis, etc.. Hujusmodi sunt: 1° Titulus *mensae communis*, quoad illos qui in aliqua communitate vivunt, etsi simplicia solum vota, vel etiam nulla emittant.—2° Titulus *servitii Ecclesiae*, quoad eos qui alicui ecclesiae, ex cujus servitio sustentari possint, adscribuntur vel in purpetuum, vel ea conditione si ab illa ecclesia recedunt, ut aliter provisum fuerit.—3° Titulus *Missionis*, quoad alumnos Congregationis a Propag. Fide nuncupatae vel quoad alios qui apostolicis Missionibus se devovent; ea tamen conditione, ut Missionibus quibus jam destinati sunt, vel destinabuntur, suam operam impendant.

NOTANDUM: si titulus etiam Missionis amittatur, Ordinarius tenetur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Et etiam Sacerdotes Regulares si ex Indulto Apostolico in saeculo vivant, vel qui egressi sunt ex aliqua Congregatione cum votis tantum simplicibus, tenentur sibi titulum canonicum providere. Ita S. C. de Propag. Fide, 1 sept. 1856.

4. *Scientia* Ordini suscipiendo conveniens. Conc. Trid. pro initiandis *ad tonsuram* tantum requirit, ut ipsi edocti fuerint rudimenta fidei, et sciant legere et scribere; — pro initiandis *ad minores*, ut linguam latinam intelligant;—pro *Subdiaconis* et *Diaconis*, ut sint litteris instructi, et sciant quae ad Ordinem exercendum pertinent;—pro initiandis ad *Presbyteratum*, ut ad populum docendum ea, quae omnibus scire necessarium est, ac administranda Sacramenta, diligenti examine praecedenti, idonei comprobentur. Hinc Sacerdotio initiandi tenentur scire non solum quae pertinent ad Baptismum, ad Eucharistiam, et ad Extremam Unctionem, sed etiam quae spectant ad administrationem Poenitentiae saltem in casu necessitatis; secus enim graviter peccant.[1]—Communis sententia tenet minorem requiri scientiam in Regularibus vitae contemplativae addictis, quia ordinantur tantum ad chori, altarisque servitium. Aliter tamen dicendum si Regulares ad omnia sacerdotalia officia deputandi sint, ut hodie passim fit [2].

[1] Vide tamen recentiores praescriptiones a Pio PP. X emanatas, pro Italia et insulis adjacentibus, quoad studia et Ordinationem Clericorum, praesertim anno 1907.

[2] Ex Decr. S. C. Ep. et Reg. a S. P. Leone XIII confirmato, « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur nisi testimoniales litteras exhibeant quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint si aggatur de subdiaconatu; ad minus per biennium si de Diaconatu; et quoad Presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ». Pius vero X *Motu proprio* (die 19 mart. 1906) voluit ac jussit ut « in Italia et insulis Italiae dictioni subjectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium vel votorum solemnium pertinentes, ne antea ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae exa-

5. Immunitas a censura et ab irregularitatibus, seu ab iis defectibus, qui, Ecclesiae judicio, ineptum reddunt ad divina officia reverenter obeunda.

6. Exercitium ordinis prius suscepti, antequam ad Ordinem superiorem ascendat. Attamen, nisi strictum praeceptum detur ab Episcopo, omissio hujusmodi exercitii quoad Ordines minores nullum erit peccatum, quia eorum exercitium obsolevit; quoad Ordines majores vero alii dicunt esse veniale; alii rem esse de consilio.

7. Exercitia spiritualia; nunc tamen inductum est, ut grave hoc praeceptum accipiatur tantum pro solis ordinandis in majoribus. Praestat tamen ut etiam ordinandi in minoribus per aliquot dies iis vacent. (Vid. suspensionem, n. 7, in Const. *Apost. Sedis*).

716. — *Q.* Clericus in vitio turpi habituatus potest ne licite ascendere ad sacros Ordines?

R. In hac quaestione alii aliter sentiunt. Cl. Berardi tenet quod Clericus qui 1° *identidem* (nam si habitus esset valde intensus, et radicatus, forsan ipsa lex naturalis obstare posset); 2° et *occulte* labitur (dummodo lapsus non sit cum foeminis); 3° et sinceram se emendandi voluntatem habeat; 4° et omnibus perpensis, sperari debet quod ad minus utilis Ecclesiae futurus sit, si dispositus sit ad Sacramentum Poenitentiae, ad Sacramentum Ordinis quoque (nisi alio ex capite aliquid obstet) dispositus erit.[1]—At. S. Alph. sic habet:

« Hodierna et antiqua Ecclesiae lex semper constans, obstringit tam Episcopos quam confessarios et promovendos ut, cum aliquis clericus recidivus vel consuetudinarius in vitio carnis ad sacrum Ordinem, sive ad Subdiaconatum, sive ad Diaconatum, sive ad Presbyteratum ascendere cupit, quamvis sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi, non tamen poterit sacrum Ordinem suscipere, nisi aliquandiu operam det ad pravum habitum extirpandum. Et si ipse persistat Ordinem statim suscipere, non censetur dispositus ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi »[2].

Ab hac tamen regula S. Doctor excipit tantum hunc casum, nempe quando Deus donet poenitenti tam extraordinariam compunctionis gratiam, quae reddat eum adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum Ordinem assumere, et ideo (si idipsum confessario ex validis conjecturis constet) beneficium absolutionis suscipere, sine eo quod temporis experientia prius comprobetur. Sed etiam in hoc casu consultius est ait S. Doctor[3] quod differatur susceptio Ordinis, sive ut sic Ordinandus a pravo habitu se purget, sive ut melius facta proposita executioni mandet; nisi Ordinandus ex dilatione ordinationis sit subiturus notam sive proximum periculum infamiae.

Hic autem casus, ait Bened. XIV, facilius se offert in audiendis eorum confessionibus qui jam in domum religiosam pro exerci-

mine probati sint idonei; sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissimo, et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemorabili ».

[1] *Praxis*, n. 596, 597, 1190.
[2] S. Alph., L. VI, 64.
[3] S. Alph., L. VI, 77.

tiis spiritualibus se receperunt, ut in proxima ordinatione sacris ordinibus initientur. Mihi autem videtur hoc periculum infamiae facilius adesse pro eo qui ad Diaconatum vel Presbyteratum se praeparat; non vero pro eo qui se ad Subdiaconatum tantum se disponit, quia tunc facilius praesumitur Ordinandum velle se maturius cogitare de ineundo ejusmodi vitae instituto, quod tam gravia secum fert onera, quodque semel susceptum per totam vitam necessario servandum erit. Ceterum etiam in praedictis casibus Confessarius curet ut poenitens aliquo specioso praetextu sacram ordinationem differat.

717.—*Q.* Quodnam temporis spatium requiritur ut judicari possit clericum, de quo agitur, esse a tali vitio emendatum?

R. Licet S. Alph. requirat pro tali emendatione experimentum *longi temporis* saltem plurium mensium, tamen determinatum temporis spatium statui nequit, quum res a variis circumstantiis dependeat. Pro eo qui per specialem Dei gratiam vehementi contritione manifeste compunctus est, breve temporis spatium satis est ut sufficienter probatus censeri possit; e contra pro eo qui remissus sit in adhibendo remedia pro sua emendatione non sufficeret experientia plurium mensium. Quare ad prudentem confessarium spectabit judicare quando poenitens sufficienter probatus sit.—Ceterum haec regula generalis statui potest: Ut confessarius tuta conscientia permittere possit quod clericus ad sacros ordines ascendat, illa emendatio praecedere debet, quae vel ex temporis spatio, vel alia via, prudentem ac fundatam spem ipsi praebeat quod ille castitatem in futurum fideliter servaturus sit [1].

718.—*Q.* Quomodo se gerere debet confessarius cum clerico qui in dubio de ejus divina vocatione ad sacros ordines ascendere velit?

R.—1. Si dubium de divina vocatione provenit ex aliquo vitio occulto quo laborat iste clericus, confessarius nequit eum absolvere quia illud vitium, praesertim si esset impuritatis, non solum dubiam reddit ejus divinam vocationem, sed certam reddit ejus actualem indispositionem ad ordines sacros, ut communiter docent Th. cum S. Alph. [2].

2. Si vero dubium provenit ex alio motivo exteriori, tunc si res a mera clerici voluntate depedet, confessarius exigere tenetur ut illum motivum, v. g. aliquem defectum, removeat, sicque omne dubium auferat. Si autem res non dependet a mera clerici voluntate, tunc confessarius illum obliget ut rem aperiat proprio Ordinario, vel saltem sacerdotem praeclari doctrina et prudentia praeditum consulat, ejusque mandato vel consilio adhaereat.—Ceterum si cle-

[1] Ad seminariorum Directores et Confessores ordinarios praecipue spectat in re tam magni momenti invigilare, nec unquam permittere ut qui sit in vitio turpi recidivus et habituatus ad ordines sacros ascendat. Iste clericus aut se emendet a tali vitio opportuna media adhibendo, aut clericalem habitum deponat. Nec confessarii, ait Cl. Scavini V. I, n. 658, credant verbis, quae transeunt, sed inquirant facta quae permanent. En peritorum consilium. Credant ergo expertis, et falsa pietas eos non decipiat cum tanto fidelium scandalo et catholicae Ecclesiae damno.

[2] S. Alph., L. VI, 64, 77.

ricus tale dubium auferre negligat, tunc, quousque manet tale dubium, nec ipse clericus licite ad sacros ordines ascendere nec, si velit, confessarius ipsum absolvere potest.

ART. III.

De poenis contra illicite Ordinantes vel Ordinatos

719. — *Q.* Quaenam poenae hodie vigent contra illicite Ordinantes?

R. Contra illicite *Ordinantes*, sequentes adsunt poenae:

1. Suspensionem a collatione Ordinum per triennium ipso jure incurrit qui aliquem ordinat *absque titulo* Beneficii vel Patrimonii, *cum pacto* ut ordinatus non petat ab ipso alimenta [1].

2. Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit qui, excepto casu legitimi privilegi, Ordinem sacrum confert *absque titulo* Beneficii vel Patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur; vel etiam Religioso nondum *solemniter* professo.

3. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrit Ordinans proprium subditum qui (post septennium) alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit [2], *absque litteris testimonialibus* Ordinarii ejus loci.

4. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso facto incurrit qui alienum subditum ordinat, *absque litteris dimissorialibus* ejus Episcopi, etiamsi id faceret sub praetextu Beneficii statim conferendi aut jam collati, sed minime sufficientis ad congruam Ordinandi sustentationem [3]. (Ex Const. *Ap Sedis*. n. 2, 3, 4.)

5. Suspensionem per annum a collatione Ordinum incurrit qui alienum subditum ordinat, cujusvis rescripti vel privilegii praetextu, *sine proprii Ordinarii testimonio*, quo ejus probitas ac mores comprobantur (Trid. Sess. XXIII, cap. 8, de Ref).

6. Episcopus Titularis qui, vigore cujusvis privilegii sibi concessi, aut etiam familiaritatis praetextu, alterius subdito aliquem Ordinem vel primam Tonsuram confert, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ab exercitio Pontificalium per annum ipso jure suspensus est. (Trid. Sess. XIV, cap. 2, de Ref.).

720. — *Q.* Quaenam poenae adsunt contra illicite Ordinatos?

R. Quoad illicite *Ordinatos* sequentes adsunt poenae:

1. Qui Ordinem recipit *ab excommunicato*, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiato, aut ab haeretico vel schismatico

[1] Antiquo jure cautum erat ut qui absque titulo ordinatus esset, ipso facto ab exercitio Ordinis suspensus foret... Hodie vero, cum Const. *Apost. Sed.* poenam suspensionis contra solum ordinatorem conservaverit, ordinatus sine titulo, vel postea titulum amittens, nullas poenas latae sententiae incurrit, nec per se ab ordinibus exercendis prohibetur, etiamsi ob malam fidem graviter peccaverit. — *Génicot*, II, 618 (1); *D'Annibale*, I, 412 (42).

[2] Nempe probabilius *per sex menses* (vid. *Génicot*, II, 439).

[3] Censuram hanc incurrit etiam conferens Ordines Minores; ordinans Religiosum exemptum sine dimissoriis ejus superioris; vel familiarem suum, si ei non conferat beneficium per se sufficiens. — *Aertnys*, L. VI, 417.

notorio, si hoc faciat *mala fide*, nempe scienter, ipso jure suspensionem ab Ordine suscepto incurrit; si vero *bona fide*, seu ignoranter, prohibetur Ordinem sic susceptum exercere, donec dispensetur (Ex Const. *Apost. Sedis*, n. 6). Praefata autem dispensatio a proprio Episcopo concedi potest [1].

2. Qui Ordinem recipit ab alieno Episcopo, etiamsi cum debita licentia, sed *sine testimonio* proprii Ordinarii, quo ejus probitas ac mores commendatur, a susceptorum Ordinum exercitio suspensus manet, donec proprio Ordinario expedire videbitur. (Trid. Sess. XIII. cap. 8, de Ref.).

3. Qui Ordines vel Tonsuram suscipit ab Episcopo Titulari, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ipso jure suspensus est ab Ordinibus sic susceptis donec Praelato suo visum fuerit. (Trid. Sess. XIV, cap. 2, de Ref.).

4. Qui Ordines suscipiunt a quolibet Episcopo qui in aliena dioecesi Pontificalia exercet sine expressa Ordinarii loci licentia, ipso jure suspensi sunt ab executione Ordinum. (Trid. Sess. VI, cap. 5. de Ref.).

5. Qui, non arctatus beneficio recepto vel recipiendo, Ordines Sacros recipit cum litteris dimissoriis obtentis a Vicario Capitulari vel Administratore intra annum vacationis sedis, ipso jure suspensus est ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati: si vero eodem modo Minores Ordines suscipit, omni privilegio clericali privatur. (Trid. Sess. VII. cap. 10, de Ref.).

6. Demum clerici saeculares *exteri Romae* commorantes, necnon clerici *suburbicarii* qui contra praescriptam normam Ordines recipiunt, vel non praemissis spiritualibus exercitiis, ipso jure suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis incurrunt (Ex Const. *Apost. Sed.*, n. 7) [2].

NOTA : 1° Suspensiones quae hic recensentur ex Const. *Apost. Sedis*, sunt R. P. reservatae; quae vero ex Conc. Trid. nemini sunt reservatae, nisi expressum sit. – 2° Veteres Th. plures enumerant *irregularitates* quae ex mala susceptione Ordinum oriantur. Hae tamen rectius dicuntur suspensiones, ideoque per Bullam *Ap. Sedis* abolitae sunt, exceptis iis quae hic supra commemoravimus [3].

[1] Vid. *Aertnys*, L. VI, 941; L. VII, 126.
[2] Conf. *Aertnys*, L. VII, 127.
[3] Vide *Aertnys*, L. VI, 418; *Gèni cot*, II, 633 (2).

DE IRREGULARITATIBUS

APPENDIX AD TRACTATUM DE ORDINE

CAPUT UNICUM

ART. I.

De irregularitatis natura et effectibus.

721.—*Q.* Quid est irregularitas, et quomodo dividitur:

R. Irregularitas definiri potest; *Impedimentum canonicum primario impediens licitam Ordinum susceptionem, secundario eorum exercitium.* — Dicitur 1° *impedimentum*, et sic distinguitur a censura quae est poena, et ob culpam semper infligitur; dum irregularitas est etiam ex defectu. Dicitur 2° *canonicum*, idest a lege Ecclesiae positum; unde, si quis ab Ordinibus arcetur ab alia lege vel naturali ut in mutis, vel divina ut in foeminis, tunc non dicitur proprie irregularitas, sed inhabilitas. Dicitur 3° *primario impediens etc.*, ex quo distinguitur et a *suspensione*, quae Ordinem jam susceptum directe attingit, et a *censura*, quae ob culpam semper infligitur, dum irregularitas aliquando directe contrahitur etiam ob solum defectum.

Irregularitas alia est *ex defectu*, et alia est *ex delicto* [1]; — Impedimentum quod absque dispensatione tolli aut cessare potest, uti esset defectus aetatis non est proprie irregularitas. Item, quando auctores in totalem et partialem, vel in perpetuam et temporalem irregularitatem distinguunt, irregularitatem accipiunt significatione lata et minus propria. Cl. *D'Annibale*, I, 400 (11).

722. — *Q.* Quinam effectus irregularitatis?

R. Tres numerantur effectus:

1. *Inhabilitas ad Ordines licite suscipiendos*, et juxta communem sententiam etiam ad Tonsuram; frustra enim ad Ordines praeparatur, qui ab Ordine arcetur: Graviter autem peccat Episcopus, qui scienter irregulari Ordines, vel primam tonsuram confert. Idem dicendum de eo, qui in irregularitate tonsuram suscipit [2].

2. *Inhabilitas ad Ordines majores licite exercendos;* ita ut irregularis valide quidem Ordinem suscipit et exercet, sed graviter peccat tum Ordinem suscipiendo, tum Ordines majores exercendo: dixi *majores*, quia minores hodie a laicis quoque obiri solent.

3. Juxta plures, saltem indirecte et quasi per accidens, etiam *inhabilitas ad beneficia consequenda;* beneficium enim datur propter officium; sed irregularis inhabilis

[1] In dubio an aliqua irregularitas sit ex defectu vel ex delicto, tenendum est eam esse ex delicto; quia et difficilius contrahitur, et facilius dispensari poterit. *D'Annibale*, I, 408.

[2] S. Alph., L. VII, 342.

est ad ordines ideoque ad officium; ergo etiam ad beneficium.

An vero collatio beneficii irregulari facta non solum illicita, sed ipso facto etiam invalida sit, disput. Th.; sed probabilius valet. Utcumque in dubio collatio possidet [1]. Si vero beneficium fuerit ante irregularitatem obtentum, et exercitium sacri Ordinis requirat, tunc, si irregularitas est *ex defectu* beneficium potest retineri, dummodo onera per alium impleantur: si autem *ex delicto*, nec dispensatio obtenta fuit, debet privari, sed per sententiam judicis.

Quamvis vero irregularis ex delicto beneficio non privetur ipso facto, tenetur tamen petere dispensationem; quam, si ipse non petit, vel non possit obtinere, tenetur statim beneficium renuntiare. Sed, si magna laboret inopia, et alium jam delegaverit pro adimplendis beneficii muneribus, poterit renuntiationem differre [2]. — Notandum: Irregolaris, generatim loquendo, non est privandus pensionibus, quas possidet. Si tamen crimen, propter quod irregularitatem contraxit, fuerit valde grave, equidem judex poterit eum privare.

723. — *Q.* Jurisdictio potest ne acquiri in irregularitate, vel servari, irregularitate, superveniente?

R. Jurisdictio alia est *ordinaria* ratione beneficii, vel officii; alia *delegata*. — Si est *ordinaria*, res pendet a quaestione superius posita de validitate beneficii dati irregulari. — Si *delegata*, tunc quis *valide* jurisdictionem recipit et etiam exerçet in statu irregularitatis; imo etiam *licite*, si exercitium jurisdictionis non requirat actum Ordinis; nisi sit nominatim denuntiatius.

ART. II.

De irregularitatibus ex defectu.

724. — *Q.* Quinam sunt irregulares ex defectu?

R. Irregulares ex defectu sunt ex Codice iuris canonici n. 984.

1° Illegittimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati, vel vota solemnia professi.

Quare irregulares sunt spurii seu nati en fornicatione, adulterio, ex matrimonio civiliter tantum contracto, vel ex matrimonio nullo propter impedimentum dirimens, licet hoc a coniungibus fuerit ignoratum. — Haec illegitimitas debet esse certa; hinc non sunt irregulares qui nati sunt 7° vel 8° vel 10° mense post mortem mariti; nec expositi, seu ex incertis genitoribus nati, nam S. C. C. 27 Iun 1857, respondit: *In dubio de ligitimitate natalium nullus censetur irregularis* [3].

Haec irregularitas tollitur 1° per legitimum subsequens matrimonium parentum, modo parentes tempore conceptionis, vel nativitatis filii, habiles fuissent ad matrimonium religiosum contrahendum; [4] 2° per professionem votorum solemnium.

[1] *D'Annibale*, vol. I, n. 329.

[2] *Ninzatti*, 1769; S. Alph., L. VI, 342: vid. *Génicot*, II, 629, in fine.

[3] Expositi, *ex praxi*.. Curiae Romanae indigent dispensatione ut ordines possint suscipere; qui tamen ad ordines absque dispensatione promoti sunt, tuta conscientia in illis ministrare possunt.

[4] Non sufficit legimatio per matrimonium civiliter tantum contractum.

2° Irregulares sunt corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt.

Hinc irregularis esset *coecus*, vel qui caret oculo canonico, seu sinistro,—*mutus*, seu qui vel nullatenus loqui potest, vel nonnisi cum magna difficultate. Balbutiens vero non est irregularis, nisi risum, vel contemptum populo afferat, quod raro evenit;—*surdus*, non vero surdaster. Si tamen surditas superveniat Sacerdoti, ei non interdicitur missae celebratio, cum facilius tolerentur defectus in jam promoto;—*claudus* si sine baculo ad altare se sustinere nequeat; —*mancus*, vel destitutus digito ad Eucharistiae ministerium necessario, nempe pollice, vel indice, vel alterutrius parte. Item si isti digiti sunt adeo debiles ut non possit hostiam elevare, aut frangere. Item de eo qui caret tribus posterioribus digitis. Item qui manus ita tremulas habeat, ut sit periculum effundendi Sanguinem;—*monstruosus* seu qui laborat notabili macula, v. g. qui faciem ustulatam habet, vel valde maculatam, vel laborat notabili defectu, aut excessu alicujus membri, uti deformiter gibbosus, vel pigmaeus, aut gigas, ita ut sine horrore aut risu conspici non possit.

3° Irregulares sunt epiletici, vel amentes, vel a daemone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certe constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere.

4° Irregulares sunt bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valide successive contraxerunt.

De bigamis variae erant et implexae canonistarum sententiae; nunc res clara est. Bigami non habentur qui in matrimonium duxerunt viduam vel corruptam; sed habentur qui duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt, licet unum vel utrumque matrimonium non consummaverint. Ratio huius irregularitatis est quia cum matrimonium signum sit unionis Christi unius cum Ecclesia una, bigamia hanc perfectam Christi unionem cum Ecclesia nequit amplius significare.

5° Irregulares sunt qui infamia iuris notantur; nempe illi, quos constat perpetrasse aliquod ex iis criminibus, quibus inflicta est nota infamiae sive ex ipso facto, sive post sententiam. Ita in Codice iuris canonici declarantur plures ipso facto infames (Can. 2314.2320.2328.2343.2251. 2357.) Ita de apostatis, haereticis et schismaticis edicitur quod nisi moniti resipiscant, infames declarentur. —Nunc igitur cessat irregularitas *ex infamia facti*, seu quando quis ob patratum delictum, vel ob pravos mores bonam aestimationem apud fideles probos et graves amisit; at de hoc judicium spectat ad Ordinarium, qui huiusmodi infames ab ordinibus repellere debet quousque illa infamia facti perdurat.

Haec irregularitas non est proprie ex delicto, sed *ex defectu famae*, et nonnisi per dispensationem tollitur.

6° Judex qui mortis sententiam

tulit, licet iustam; ratio huius irregularitatis est quia Ecclesia a iudiciis sanguinis, licet iustis, abhorret. Hanc irregularitatem solus iudex incurrit, non vero accusatores, testes, procuratores contra reum, neque qui sententiam scribunt, publicant, neque iurati, qui sententiam non ferunt, sed iudicant de solo facto.

7° Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae. — Carnifices fiunt irregulares ipsa susceptione muneris, etsi nunquam executi fuerint. Ceteri ministri irregulares fiunt executione poenae capitalis, dummodo ministerium praestiterint volontarie et immediate, uti sunt qui officium illud sponte acceptant vel petant intuitu mercedis, qui corpus rei fatali caesurae apponit cuiusque collum denundat, qui securim elevat ac demittit, ideoque carnifex est. E contra officium non praestant immediate qui supplicii machinam (ghigliottina) construunt, vel constructam erigunt; neque lictores qui reum ad supplicii locum ducunt, ut urgent ut celerius scalam ascendat; neque milites qui vi legis illi officio exequendo adigantur.

ART. III.

De irregularitatibus ex delicto.

Q. Quodnam delictum requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam?

R. Requiritur quod delictum sit peccatum grave, post baptismum commissum et externum sive publicum sive occultum; excipe qui actionem delictuosam ponit ex metu gravi excusante a lege positiva, licet non a lege naturali; ita qui ex metu gravi ponit actum ordinis sibi poena canonica prohibitum. **Can. 986.**

Q. Quinam sunt irregulares ex delicto?

R. Irregulares ex delicto sunt:

1° Apostatae a fide, haeretici, schismatici.

2° Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovismodo sibi conferri siverunt. — Evidenter haec permissio dari debuit aetate adulta cum perfecta cognitione rei et prohibitionis Ecclesiae.

3° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati; vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta. — Irregulares igitur sunt qui cum ligati essent vinculi matrimoniali, aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis matrimonium attentare, aut actum tantum civilem ponere ausi sunt. Item irregulares sunt qui etiam ab omni vinculo soluti, ausi fuerint contrahere valide cum muliere abstricta votis religiosis simplicibus, vel invalide cum muliere matrimonio valido coniuncta aut votis solemnibus ligata.

4° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperatores. — Homicidium debet esse iniustum et omnimode voluntarium. Quoad abortum requiritur certitudo tum de existentia fetus anima, tum de eius eiectione. Inter cooperatores veniunt mandantes et qui operam proximam praestant.

5° Qui seipsos vel alios muti laverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt. — Ad mutilationem requiritur abscissio membris seu partis corporis proprium et distinctum officium habentis.

6° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur— Obiectum est simplex exercitium medicinae vel chirurgiae, excepto casu indulti apostolici, ut non raro datur pro locis missionum, vel excepto casu verae et urgentis necessitatis.

7° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel ex ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibita.— Hinc irregularis esset subdiaconus cantans Evangelium in missa, diaconus sacramentaliter absolvens, sacerdos calicem consecrans ; nec requiritur quod exercitium ordinis fiat scienter et solemniter. — Olim irregularitatem contrahebat qui censura ligatus, illum ordinem exercebat a quo per censuram erat prohibitus exercere. Nunc vero irregularitatem etiam contrait qui ordinem exercere prohibitus est a poena canonica non solum medicinali, sed etiam personali, aut vindicativa, aut locali.

Sunt simpliciter impediti :

1° Filii acatholicorum, quandiu parentes in suo errore permanent. — 2° Viri uxorem habentes.—3° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debent, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint. — 4° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem.— 5° Qui ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint.—6° Néophyti, donec, iudicio Ordinari sufficienter probati fuerint.—7° Qui infamia facti laborant, donec ipsa, iudicio Ordinarii, perdurant. **Can. 987.**

Q. Ignorantia et dubium excusant ne excusat ne ab irregularitate ?

R. Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive en defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat. **Can. 988.**

Nemo habendus ut irregularis, nisi de irregularitate certo constet tum ex parte iuris, tum ex parte facti ; irregularitas enim est res odiosa, sive quae est ex delicto, sive quae est ex defectu.

Q. Irregularites multiplicantur ne ?

R. Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis ex earumdem causis, (v. g. si quis esset illegitimus et bigamus); non autem ex repetione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario (v. g. qui tres homines tribus ictibus occidit tres incurrit irregularitates).

Q. Quinam dispensaré possunt ab irregularitate ?

R. Ab irregularitate dispensare possunt :

1° Romanus Pontifex a quacumque irregularitate dispensare potest sive per se, sive per suum delegatum.

Si irregularitas sit publica et dispensatio petatur pro foro externo recurrendum est ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum. Si vero agatur de casu occulto et dispensatio petatur pro foro interno recurrendum est ad sacram Poenitentiariam.

2° Ordinarii per se vel per alium possunt dispensare suos subditos ab omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta irregularitate quae est ex homicidio voluntario et ex procuratione abortus, et quacumque alia quae deducta sit ad forum iudiciale. **Can. 990.** § I.

In casibus irregularitatis dubiae Ordinarius dispensare potest ad cautelam et quidem definitive, ita ut irregularitas dein non reviviscat, si forte vere extitisse comperiatur. Haec facultas Ordinario competit sive in casu quo irregularitas impediat ordinis susceptionem, sive exercitium ordinis suscepti.

Ex epikeia eadem facultas competere adhuc videtur Ordinario circa irregularitatem ex defectu in casibus urgentioribus, in quibus dispensatio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae. Ita communiter censebant Theologi et Canonistae.

3° Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequeat, et periculum immineat gravis damni vel infamiae; Attamen sed in hoc casu dispensare tantum potest ab irregularitate impediente exercitium ordinis suscepti, non vero ab irregularitate impediente ordinis susceptionem; et haec dispensatio datur a confessario pro foro tantum interno. Necesse autem non est ut haec dispensatio detur in foro sacramentali; at si concessa sit in foro interno non sacramentali scripto consignari debet, et de ea in secreto Curiae libro constare debet. **Can. 991.**

DE MATRIMONIO

Tractatus de Matrimonio in quatuor capita dividitur. In 1° *agemus de praeparatione ad matrimonium, seu de sponsalibus et de matrimonii denuntiationibus. — In* 2° *de matrimonio in se spectato, sive ut est contractus, sive ut Sacramentum, nempe: de ejus materia, forma, ministro et subjecto; de ejus proprietatibus et obligationibus; de divortio; et de lege civili circa matrimonium. — In* 3° *de matrimonii impedimentis; et de impedimentorum dispensationibus. — In* 4° *de matrimonii celebratione, vel de ejus convalidatione. — Sequitur Appendix de Debito conjugali.*

CAPUT I.

De praeparatione ad Matrimonium, seu de sponsalibus et de denuntiationibus.

ART. I.

De sponsalibus.

§ 1°

De natura sponsalium.

742. — *Q.* Quid sunt sponsalia?

R. Sponsalia, a *spondendo* dicta, communiter accipiuntur pro promissione futuri matrimonii, et in hoc sensu definiri possunt: *Promissio vera, deliberata et mutua futuri matrimonii scripto, coram testibus, expressa, inter personas determinatas, jure habiles.*

Dicitur: 1° *promissio*, seu voluntas se obligandi; unde non sufficit simplex propositum; quare qui diceret puellae « *Volo te ducere* » non contraheret sponsalia, quia verba haec propositum tantum indicant, nisi tales essent circumstantiae, ut ex ipsis colligatur ea verba dicta esse animo contrahendi sponsalia [1].

Dicitur: 2° *vera*, nam si promissio esset ficta, nulla pro foro interno essent sponsalia; pro foro vero externo valida reputantur, quum verba censeantur menti conformia.

Dicitur: 3° *deliberata* ita ut promittens sciat et perfecte advertat quid agat [2].

Dicitur: 4° *mutua*, nempe a viro et a foemina vicissim facta et acceptata; unde promissio matrimonii, etiam juramento firmata, non obligat, quamdiu non est facta a comparte repromissio. — Verum si constaret unam partem voluis-

[1] S. Alph., L. VI, 842.

[2] Qui vehementi concupiscentia raptus sponsalia contraheret, ageret quidem sine prudentia, non tamen sine advertentia, quia regulariter loquendo talis concupiscentia sufficientem advertentiam non aufert.

—

se se obligare independenter a repromissione alterius partis, tunc teneretur stare promissioni, non vi sponsalium, quia adhuc non sunt, sed vi ejusdem promissionis. In hoc tamen casu, quum non adsint sponsalia (nam ad naturam sponsalium requiritur repromissio), ex hac promissione unius tantum partis non oriretur impedimentum publicae honestatis.

Dicitur: 5° *futuri matrimonii*, unde verba promissionis de contrahendo matrimonio in praesenti non valent. Cum enim matrimonium coram parocho et testibus contrahendum sit, contractus de praesenti nec matrimonium est, quia deest forma Trid., nec sponsalia constituit, quia non habetur promissio ne virtualiter quidem futuri matrimonii [1].

Dicitur: 6° *scripto coram testibus expressa;* nam, licet olim valida essent sponsalia etiam secreta aliquo signo vel verbis expressa, nunc tamen ex Decr. S. C. Conc. de mandato speciali Pii Pp. X, die 2 aug. 1907, edito: « Ea tantum sponsalia habentur valida, et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per *scripturam* subsignatam a partibus, et vel a Parocho, aut loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque, vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura notetur; et alius testis addatur qui cum Parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet. » [2]. Quare sponsalia aliter contracta nullius sunt effectus tum pro foro interno, tum pro foro externo [3]. Quinam vero debeat esse parochus de quo hic loquitur, dicetur inferius, ubi de impedimento *Clandestinitatis*.

Dicitur: 7° *inter personas determinatas;* sicut enim matrimonium debet esse unius cum una, ita et promissio illius. Hinc, si quis duabus simul promitteret se unam ex illis fore ducturum, haec promissio, licet ab eis acceptata, induceret vinculum justitiae, non sponsalium. Verba vero haec: *Non ducam aliam praeter te*, verius et communius non constituunt vera sponsalia; nam verba negativa sunt, potest enim etiam nullam ducere; excipe tamen si in verbis negativis vera promissio contineatur, quam pars acceptaverit, ut si dicat: *Non aliam, sed te ducam* [4].

Dicitur: 8° *et jure habiles*, idest inter personas, quae nullo detinentur impedimento, nec dirimente, nec prohibente, promissio enim de re illicita non tenet.

NOTA: Finis sponsalium triplex

[1] Matrimonium *civile* dictum, quia fit per verba *de praesenti*, nullam vim sponsalium habere potest, sive fideles actum ipsum explentes intendant meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere. S. C. C., 13 mart. 1879, cujus decretum confirmatum fuit a Leone XIII, 17 mart. 1879. — Verum, licet ex matrimonio civili dicto impedimentum publicae honestatis non oriatur, oritur tamen obligatio matrimonium ecclesiasticum celebrandi.

[2] Cum autem hoc Decr. a die Paschatis Resurr. anni 1908 vigeat, sponsalia quae ante hoc tempus contracta fuissent juxta antiquam disciplinam suum valorem habere pergunt; et hoc dictum habeatur etiam de aliis quae infra adnotabuntur, ex eodem Decreto.

[3] V. *Gennari*. Comment. in hoc Decr. cap. 2.

[4] *Scavini*, III, 738; S. Alph., L. VI, 842.

est: 1° ut sponsi maturiori consilio matrimonium ineant; 2° ut tempore intermedio se praeparent ad gratiam Sacramenti; 3° ut cognosci possit an aliquod adsit impedimentum.

743.—*Q.* Quomodo dividuntur sponsalia?

R. Sponsalia dividuntur: 1° In *ecclesiastica* seu *publica* et clandestina, seu privata. *Ecclesiastica* seu publica dicuntur quando adamussim observatur praescripta forma, seu adsunt solemnitates requisitae ad eorum valorem; *clandestina* vero seu privata quando aliquid deest ex requisitis solemnitatibus, quae nempe privatim inter se sponsi ineunt: haec porro in praesenti disciplina nullius sunt roboris. — 2° In *absoluta* et *conditionata*.—3° In *simplicia* et *poenalia*, prout nullam vel aliquam poenam resilienti constituunt.

744.—*Q.* Sponsalia inita per metum sunt ne valida?

R.—1. Si metus est *levis*, disput. Th.. Alii tenent invalida esse, quia etiam per metum levem fit alteri injuria, proindeque nemo per injuriam obligari potest. Sed alii cum S. Alph.[1] ut valida tenent, quia metus levis facile contemni potest, proindeque promittens censetur sponte voluisse injuriam pati.—Ceterum Th. communius et probabilius dicunt quod qui ex metu levi sponsalia contraxit potest illa in conscientia rescindere. Qui vero metum incusserit, tenetur ad matrimonium, si altera pars velit; an vero teneatur ex veris sponsalibus, controvertitur[2].

2. Si metus est *gravis* quidem sed *justus*, vel *ab intrinseco*, sponsalia valida sunt; quia in primo casu qui ea contraxit esset irrationabiliter invitus si nollet contrahere; et in secundo casu nulla ei fit injuria.

3. Si vero metus est *gravis* et *injustus*, et *ab extrinseco*, et *incussus ad extorquendum consensum*, tunc communius et verius sponsalia ipso jure invalida sunt; quia sponsalia naturam matrimonii sequuntur; sed matrimonium cum tali metu contractum est nullum; ergo[3].— Et hoc etiamsi sponsalia fuissent cum juramento inita, quia juramentum sequitur naturam actus.[4]

745.—*Q.* Sponsalia inita per dolum aut errorem sunt ne valida?

R.—1. Si dolus aut error versetur circa substantiam, vel circa conditionem substantialem, v. g. si quis promitteret expresse sub tali particulari conditione, sponsalia invalida sunt.

2. Si vero dolus aut error versetur circa qualitatem aut conditionem accidentalem, tunc an sponsalia valida sint, disput. Th.. Alii affirmant etiamsi dolus aut error causam dederit contractui, cum jam adsit consensus circa substantiam. Sed alii negant, si error causam dederit consensui, etsi dolus abfuerit, quia matrimonia mutua benevolentia auspicari et iniri

[1] S. Alph., L. VI, 844.
[2] *Lehmkuhl*, II, 658, 2.
[3] Contractus cum tali metu initi probabilius sunt de se validi, cum ipsi non sint de se nulli, nec eis resistit jus, unde bene potest metum passus, nisi velit contractum rescindere, manere obstrictus ad illum exequendum. (V. dicta v. I, 830). At pro sponsalibus diversa occurrit ratio, nam ipsa sunt de se nulla, quia ipsis resistit jus, unde non potest cum tali metu matrimonium contrahi. — S. Alph., L. VI, 844.
[4] S. Alph., L. VI, 844.

necesse est [1].—In hoc tamen casu qui deceptus fuit jus habet ad sponsalia rescindenda propter injuriam passam, et hoc etiamsi deceptio a tertia persona provenerit[2].

746. — *Q.* Contrahens sponsalia tenetur ne defectus occultos aperire ?

R. Praemitto : defectus potest nuptias reddere *perniciosas*, vel tantum *minus appetibiles*. Hoc posito :

1. Si defectus occulti nuptias reddunt *perniciosas*, uti si sponsa esset gravida, sponsus siphiliticus, debitis oneratus et similia, contrahens tenetur vel illos aperire, vel a matrimonio recedere.

2. Si vero nuptias reddunt tantum *minus appetibiles*, nempe si sponsa reputabatur dives, nobilis, pulchra, virgo et talis non esset, tunc licet ipsa non possit sponsum decipere fingendo se immunem a tali defectu, tamen non tenetur defectum manifestare, nisi infelicem matrimonii exitum praevideat. — Imo interrogata potest dissimulare aequivoce respondendo, tunc enim non fingit, sed occultat defectum occultum ; — ratio, quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propria infamia, nisi laedat jus alterius. Et licet sponsus, cognito defectu possit a sponsalibus resilire opponendo exceptionem propter talem defectum, tamen usquedum ipse exceptionem non opponat, potest cogi a sponsa ad matrimonium; sicut adultera, usquedum vir non opponat exceptionem propter adulterium, potest ab eo debitum petere. Unde Th. dicunt quod sponsa ab alio corrupta, etiamsi interrogetur a sponso an fuerit ab alio cognita, poterit dissimulare et negare per restrictionem late mentalem respondendo non esse corruptam, subintelligens in communi aestimatione, aut ad aperiendum tibi. Imo nonnulli dicunt quod ipsa potest sine peccato, aut saltem sine mortali, uti aliquo artificio, quo impediat ne vir deprehendat esse corruptam, modo, ut dictum est, gravida non sit [3].

Quod si laborans occulto defectu sciat alteram partem eodem vel pari defectu laborare, non tenetur defectum suum alteri aperire, quia paria delicta mutua compensatione delentur ; excepto casu, quo timendae sint rixae, scandala, damna, tunc enim aperire teneretur ad haec damna vitanda.

747.— *Q.* Ad quid tenetur qui sponsalia ficte promiserit alteri vere repromittenti ?

R. —1. Si ficte promiserit, nempe absque animo sponsalia contrahendi vel sine animo se obligandi, certe non tenetur stare promissis, cum omnino defuerit animus contrahendi aut se obligandi, nam ubi deest voluntas, deest etiam obligatio. — Attamen in utroque casu gravissime peccavit, quia alterum in re gravissima decepit, et tenetur damna resarcire. Imo si intervenerit defloratio, tenetur ad matrimonium, si alia via damna non possit sat aequivalenter resarcire. [4]

2. Si vero promisit cum animo sponsalia contrahendi, et se obligandi, sed sine animo adimplendi, tunc tenetur ad matrimonium; quia

[1] *D'Annibale*, III, 507.
[2] S. Alph., L. VI, 835.
[3] S. Alph., L. VI, 865.
[4] *Marc*, n. 1950.

jam obligationem contraxit. Et hic adverte quod, si quis sciret ex promissione oriri obligationem, sed ad eam non adverteret, nihilominus teneretur stare promissis, quia jam habuit virtualem voluntatem se obligandi [1].

748. — *Q.* Codex iuris canonici quid statuit circa sponsalitia?

R. Codex iuris canonici circa sponsalitia sic statuit: § 1° Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.

§ 2° Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet.

§ 3° At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem impleuda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur. **Can. 1017.**

749. — *Q.* Sponsalia filiorum-familias, inconsultis parentibus, sunt ne valida et licita?

R. — 1. Sponsalia filiorum-familias, inconsultis parentibus, certe *illicita* sunt ob defectum reverentiae ipsis debitae in re tam magni momenti; exceptis tamen duobus casibus; 1° quando parentes sunt irrationabiliter inviti; 2° vel quando matrimonium honestum et utile differri nequit, nec commode haberi potest consensus parentum.

2. An vero sint *valida*, distinguendum: Si parentes sunt injuste et irrationabiliter inviti, valida sunt et licita [2]. Si autem juste et rationabiliter inviti, tunc si causa dissentiendi in parentibus est *temporalis*, sponsalia sunt valida, quia dissensus non esset quoad substantiam; sed eorum executio usque ad cessationem dissensus differri debet. — Si vero *perpetua*, major Th. pars invalida esse contendit; non ex natura rei, vel ex lege positiva, sed quia promissio de re illicita non obligat; et hoc etiamsi sponsalia inita sint cum stupro et juramento, quia stuprum non tollit illicitatem, et juramentum sequitur naturam actus, qui cum invalidus sit, etiam ipsum juramentum invalidum erit [3].

Ceterum Codex iuris canonici sic habet:

Parochus graviter filios familias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario. **Can. 1034.**

750. — *Q.* Sponsalia sub conditione inita sunt ne valida?

R. — 1. Si conditio est *de re praeterita*, vel *praesenti*, et extat, sponsalia valida sunt, quia, posita conditione, absoluta evadunt.

[1] S. Alph., L. VI, 853.

[2] Injustus parentum dissensus potest tamen aliquando sufficientem causam praebere resiliendi a sponsalibus, cum nempe ex futuro matrimonio gravia incommoda, gravesque molestiae e tali dissensu praeviderentur.

[3] S. Alph., L. VI, 849.

2. Si vero conditio est de *re futura necessaria*, sponsalia valida sunt, quia futura res necessaria habetur pro praesenti; nisi temporis determinationem significet, ut si quis puellae diceret: *Contraham tecum sponsalia si mater moriatur*, idest post mortem matris; quo in casu invalida essent, quia adesset sola promissio sponsalia contrahendi.

3. Si autem conditio est de *re futura contingenti* et est *possibilis* et honesta, tunc statim exurgit obligatio expectandi eventum conditionis, et interim non se reddendi impotentem; et impleta conditione, sponsalia valida sunt absque novo consensu, dummodo prior non fuerit retractatus.—Si *impossibilis*, sive talis sit de jure, sive de facto, sponsalia nulla sunt.—Si conditio est *turpis*, et quidem contraria substantiae matrimonii, nulla sunt. Si autem non est contraria, tunc si conditio turpis adhuc implenda est, nulla sunt sponsalia, nisi joco ipsa fuerit apposita et sponsi absolute se obligare intenderint; si autem est jam impleta, an valida sint, disp. Th. (Vid. V. I, n. 819).

751. — *Q.* Quid de conditione « si pater consenserit? »

R.—1. Si pater primo consentiat, deinde statim, mutata voluntate, dissentiat, nulla sunt sponsalia; quae enim statim fiunt, eodem tempore facta censentur.

2. Si vero consentiat et post notabilem moram dissentiat valent sponsalia, quia per conditionis implementum jam orta est obligatio. — Similiter si primo pater dissentiat et deinde post aliquod notabile tempus consentiat, non valent, quia conditio semel deficiens amplius impleri nequit.

3. Quod si consensui praemoriatur pater, tunc si conditio apposita fuit ad obtinendum positivum patris consensum et approbationem, sponsalia non tenent. — Si apposita tantum ad excludendum ejus dissensum, tunc valent, mortuo enim patre, dissentio nequit amplius locum habere.

752. — *Q.* Quid si quis conditionis eventum impedierit?

R. Si conditio apposita est *potestativa*, nimirum a mera voluntate ejus, qui eam posuit, pendet, tunc etsi culpabiliter conditionem impedierit, sponsalia tamen nulla evadunt, et utraque pars libera erit.

Si autem contidio ab alio pendet, vel a casu fortuito, tunc pars innocens libera evadit, non vero nocens, pro qua uti impleta habetur. Idem dic si conditionem impedire tantum tentaverit. (Vol. I, 833, 6).

753. — *Q.* Sponsalia contracta inter personas aliquo impedimento detentas sunt ne valida?

R.—1. Certum est quod sponsalia *absolute* contracta cum impedimento, sive impedimentum cognoscatur sive non, invalida sunt: hinc sponsalia absolute contracta cum haeretico invalida sunt; quia, si valida essent, obligarent: sed obligatio esset de re illicita: ergo.

2. Quando agitur de impedimento quod ex se ipso cessat, v. g. aetas, vel votum ad tempus, aut pendet ex libera contrahentium voluntate, tunc certe valent sponsalia inita cum intentione contrahendi matrimonium tempo-

re quo hujusmodi impedimentum cessaverit [1].

3. Quando vero agitur de impedimento quod solum per dispensationem cessare potest, et adjecta fuerit conditio « *si Papa dispensaverit* », tunc si Papa non soleat dispensare, vel non adsit justa causa dispensandi, sponsalia illicita et invalida sunt, quia de re moraliter impossibili. — Si autem Papa soleat dispensare simulque adsit justa causa dispensandi, tunc an sponsalia sic contracta inducant obligationem dispensationem impetrandi et, obtenta dispensatione, valida sint sine novo consensu, disput. Th.. *Prima* sententia tenet haec sponsalia invalida esse, quia cum tales sponsi sint inhabiles ad matrimonium contrahendum, etiam inhabiles sunt ad illud promittendum [2]. Et si aliquando adsit obligatio dispensationem petendi, v. g. quia puella violata fuit, obligatio non vi promissionis, sed vi damnorum provenit. *Secunda* sententia tamen communior et verior tenet haec sponsalia licita et valida esse ideoque inducere obligationem dispensationem petendi eamque expectandi; qua obtenta et partibus significata, sponsalia absque novo consensu firmantur et absoluta evadunt, modo consensus ab initio positus adhuc perseveret, et ab eo temporis puncto impedimentum inducit publicae honestatis. — Quod si altera pars ante conditionis eventum nova sponsalia iniret, haec essent invalida quia promissio esset de re injusta [3]. Neque huic sententiae obstare videntur nonnullae decisiones S. C. C. quas allegat opposita sententia, quia sicut legenti facile patebit, illae decisiones intelligendae sunt de casu in quo Papa non solet dispensare, vel alia occurrunt specialia rerum adjuncta, quae promissionem illam infirmant.

[1] *Génicot*, II, 442.
[2] *Gury*, II, 725.

§ 2°

De obligatione et effectibus sponsalium.

754.—*Q.* Quaenam obligatio et quinam effectus sponsalium?

R.—I. Sponsalia *jure naturali* obligant sub gravi et ex justitia ad matrimonium contrahendum;— ratio, quia contractus bilateralis in re gravi gravem inducit obligationem; unde qui sine justa causa a sponsalibus recedit graviter peccat.

II Sponsalia *ex jure naturali et canonico* inducunt impedimentum *impediens* matrimonium, seu efficiunt quod non possit licite matrimonium contrahi cum alia persona, nisi priora sponsalia fuerint legitime soluta; - ratio, quia res uni debita licite nequit alteri tradi.

III. Sponsalia *ex jure canonico* inducunt etiam impedimentum *dirimens* publicae honestatis, seu matrimonium dirimunt inter unum sponsorum et consanguineos alterius in primo gradu: qui effectus semper durat, etiam solutis sponsalibus, modo valida et absoluta fuerint, aut conditionata adimpleta conditione.

[3] S. Alph., L. VI, 859; *Scavini*, III, 747; *D'Annibale*, III, 808.

IV. Sponsalia *ex jure civili* quosdam effectus pariunt relate ad dotem, etc. [1].

755.— *Q.* Quandonam sponsalia implenda sunt?

R. 1. — Si tempus fuit praefixum, tempore statuto implenda sunt.

2. Si vero nullum tempus fuit praefixum, et pars quae commode potest impletionem petere tacet, videtur dilationi consentire. Haec quoad sponsos. — Sed quoad judices ecclesiasticos recte docent Th. quod ad evitandos difficiles exitus, quos fere semper habere solent coacta connubia, partes non sunt a judice cogendae, sed potius monendae [2].

756.—*Q.* Qui sponsalia cum duabus inivit quamnam ducere tenetur?

R.— 1. Certum est posteriora sponsalia invalida esse, etsi juramento firmata; quod enim uni promissum fuit, alteri promitti nequit, neque juramentum est vinculum iniquitatis. Hinc *per se* semper primam sponsam ducere tenetur; et hoc etiamsi cum secunda sponsa conscia priorum sponsalium adfuit copula, quia ipsa non fuit decepta, sed decipi voluit.

2. Quod si secunda sponsa, cum qua adfuit copula, inscia erat priorum sponsalium, tunc quamnam ducere teneatur disput. Th.. *Prima* sententia communior et probabilior dicit sponsum semper teneri ducere primam, quia secunda sponsalia, quum sint contra jus alterius, sunt de re illicita, ideoque invalida. *Secunda* sententia sat probabilis sic distinguit: si ex tali copula cum secunda sponsa adsit proles legitimanda; vel si ex tali copula secunda sponsa priorum sponsalium ignara infamiam subjerit; vel si secunda sponsalia publica fuerint, et priora occulta; vel si matrimonium civile dictum cum secunda jam initum fuerit, tunc in hisce casibus tenetur ducere hanc secundam, quia justam causam habet a prioritus sponsalibus resiliendi; et erga primam tenetur damna reparare quae passa sit. Si vero nihil horum intersit, tunc primam ducere tenetur; et erga secundam tenetur solum de damnis, quia per secunda sponsalia eam decepit.

3. An vero prior sponsa juri suo renuntiare debeat, si secunda ex defloratione grave damnum passura sit, alii negant, quia secunda damnum patiendum sibi imputare debet; sed alii affirmant

[1] « La promessa scambievole di futuro matrimonio non produce obbligazione legale di contrarlo, né di eseguire ciò che si fosse convenuto pel caso di non adempimento della medesima ». *Cod. Civ.*, art. 53. (Attamen *Cod. Poen.* ad poenam trium mensium carceris et ad mulctam damnat eum qui, sub promissione non adimpleta matrimonii, puellam 18 annis minorem seduxerit, atque dehonoraverit).

« Se la promessa fu fatta per atto pubblico, o per iscrittura privata da chi sia maggiore di età o dal minore autorizzato dalle persone, il concorso delle quali è necessario per la celebrazione del matrimonio, oppure consta dalle pubblicazioni ordinate dall'uffiziale dello stato civile, il promettente che ricusi di eseguirla senza giusto motivo, è obbligato a risarcire l'altra parte delle spese fatte per causa del promesso matrimonio.

« La domanda però non è più ammessibile dopo un anno del giorno in cui la promessa doveva essere eseguita ». *Cod. Civ.*, art. 54.

[2] *Scavini*, III, 745.

teneri ex caritate, si ipsa grave damnum non patiatur [1].

757.—*Q.* Licet ne sponsalibus poenam apponere?

R. Si poena conventionalis generaliter apponatur etiam in eum qui juste resiliat, nec licita est nec valida; et hoc certum est apud omnes, quia libertati matrimonii obstat; et hoc valet etsi haec poena fuerit juramento firmata, quia juramentum non potest esse vinculum rei a lege prohibitae.

Si vero poena apponatur tantum in injuste resilientem, probabilius illicita et invalida est si apponatur a sponsis, vel a consanguineis, vel ab amicis; non vero si ab extraneis; — ratio, quia in primo casu minueretur libertas matrimonii, non vero in secundo [2].

758.—*Q.* Qui de arrhis?

R. Arrhae, a re pro qua dantur dictae, sunt illud omne quod datur a sponso, vel a sponsa, vel ab eorum parentibus in signum promissi matrimonii.—Poena improbatur, quia odiosa; non vero arrhae.

Pro arrhis haec sunt jure canonico statuta: — 1° Qui arrhas dedit, si juste resiliat a sponsalibus, eas recuperat. — 2° Qui arrhas accepit, si injuste resiliat, reddet quantum accepit, si sit aetate minor; si vero major, restituet duplum, nempe si et ipse arrhas dederit, acceptas restituet et suas amittet; quod si non dederit, et tantum acceperit, tunc restituet acceptas, et tantum de rebus suis ut subeat poenam dupli praescriptam. Et etiam ad quadruplum teneri poterit, si ita conventum fuerit; ultra quadruplum leges pacisci prohibent. Imo non vi arrharum, sed jure naturae tenetur reficere omnia damna quae ex injusto suo recessu alter passus sit. — 3° Celebrato matrimonio, arrhae redeunt ad tradentem, cum datae sint in pignore seu ad securitatem matrimonii.

Donationes vero, vel munera data occasione sponsalium, non redeunt ad tradentem, sed, celebrato matrimonio, donatio confirmatur et fit absoluta. — Si vero matrimonium non sequatur, et donationes sunt magni valoris, et factae tantum intuitu futuri matrimonii, regulariter sunt restituendae.

§ 3°

De dissolutione sponsalium.

759.—*Q.* Quibus de causis sponsalia solvi possunt?

R. Praemitto: Causae ob quas sponsalia etiam jurata solvi possunt duplicis generis sunt; quarum aliae *ipso facto* sponsalia rescindunt; aliae sponsalia *rescindibilia* efficiunt ad nutum sponsorum. Hoc posito:

[1] S. Alph., L. VI, 848. — Olim in locis ubi Decretum Trid. quoad clandestinitatem non fuit publicatum, si inter sponsos carnalis copula affectu maritali interfuisset, haec pro vero conjugio habebatur, nisi aliquod impedimentum canonicum obstitisset. Cum autem decursu temporis iis in locis haec de coniugio disciplina passim desuetudine atque oblivione exsolevisset, proindeque copula inter sponsos affectu maritali non pro usu legitimi matrimonii, sed pro fornicationis peccato communi hominum opinione existimaretur, Leo XIII, die 15 feb. 1892, sua suprema auctoritate decrevit atque mandavit ut deinceps copula carnalis sponsalibus superveniens etiam in illis locis non amplius pro legitimo matrimonio agnoscatur.

[2] S. Alph., L. VI, 863.

I. Sponsalia ipso facto solvuntur per electionem status perfectioris, nempe per susceptionem Ordinis sacri, vel pro professionem religiosam; ratio quia talis status est incompossibilis cum matrimonio- — Item solvuntur per lapsum temporis praefiniti ad finiendam obligationem.

II. Sponsalia solvi possunt mutuo et libero sponsorum consensu; ratio, quia ex juris principio res eo modo dissolvi potest, quo fuit colligata ; sed sponsalia mutuo consensu obstringuntur; ergo mutuo consensu dissolvi possunt ; dummodo tamen sponsi puberes sint , nec speciale obstet statutum.

III. Sponsalia solvi etiam possunt ad nutum unius e sponsis, si intervenit justa causa, uti notabilis mutatio, discessus unius ex sponsis, et impedimentum subsequens.

760. — *Q.* 1° Susceptio Ordinum minorum; vel 2° solus ingressus in Religionem dirimit ne sponsalia?

R. Ad 1um. Susceptio Ordinum minorum communius et verius sponsalia non solvit, quia per se talis status non est incompossibilis cum matrimonio. Attamen, si susceptio fiat cum voluntate ulterius progrediendi, sponsa liberatur ; imo fieri potest ut ob solos ordines minores a sponso susceptos liberetur, si nempe matrimonium cum clerico ita aversaretur, ut praevisa status mutatione, nunquam contraxisset [1].

Ad 2um. Solus ingressus in religionem, vel sola habitus vestitio sponsalia dirimunt ex parte manentis in saeculo, quia ingrediens Religionem vel habitum vestiens satis ostendit juri suo renuntiare; non vero ex parte ingredientis Religionem vel habitum vestientis, si postea ad saeculum redeat, quia per solum ingressum, vel per solam vestitionem non redditur inhabilis ad matrimonium contrahendum; sicut redderetur per professionem [2].

761. — *Q.* Votum simplex castitatis dirimit ne sponsalia?

R. Si tale votum sponsalia *antecedit* ipsa dirimit etiamsi votum fuerit alteri ignotum , vel etsi sponsalia fuerint jurata et cum defloratione conjuncta , quia res uni promissa nequit alteri valide promitti.

Si vero *subsequitur* , tunc disput. Th.. Alii dicunt votum esse nullum, quia in tertii praejudicium emissum.—Sed alii communius volunt esse validum , quia sponsalia semper intelliguntur promissa sub conditione « *Nisi status melior eligatur* ». Excipe si sponsus votum emitteret ut sponsam eluderet, vel si nuptiae celebrandae sint ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsae providendum, cum aliter his malis non possit occurri [3].

762. — *Q.* Ad quid tenetur vir qui castitatem vovit et postea puellam cognovit sub promissione matrimonii ?

R. Si ex matrimonio timeantur gravia damna, uti rixae, scandala, etc. vir non tenetur ad matrimonium, sed ad sola damna.

Secluso hoc casu, an teneatur ad matrimonium, disput. Th.[4] Alii

[1] *Marc*, 1957, 3°.
[2] S Alph., L. VI, 873.
[3] S. Alph., L. III, 649.
[4] S. Alp., L. VI, 874.

negant quia, stante voto, non poterat verum consensum praestare, et ideo tenetur tantum ad damna, eam dotando, vel de nuptiis providendo, eodem modo ac si sola defloratio sine promissione intercessisset. Sed alii probabilius cum S. Alph. affirmant, ipsum omnino teneri ad matrimonium, sive ejus promissio fuerit vera sive ficta, ideoque teneri dispensationem voti impetrare; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria ad finem conducentia, si possit ea ponere sine gravi incommodo;-ratio hujus secundae sententiae est quia debita onerosa, uti obligatio ex delicto fraudis, semper praeferenda sunt debitis quae obligationem trahunt ex libera voluntate hominis, prout sunt vota; et aliunde votum semper intelligitur emissum sub conditione, nisi advenerit obligatio alteri damnum compensandi. Et etiam in casu, quo mulier violata conscia fuerit voti, vir tenetur petere dispensationem, ut merito probabiliter dicunt plures Th. contra alios.

Utrum autem casu, quo mulier fuerit inscia voti, possit sponsus eam ducere sine dispensatione, aliqui negant, quia, cum de facili possit, tenetur utrique obligationi satisfacere. Sed alii affirmant, quia tunc cessat, seu omnino suspenditur obligatio voti et praevalet obligatio matrimonii ineundi. Contracto tamen matrimonio, vir non potest debitum petere, nisi dispensationem obtineat [1].

763.—*Q.* Matrimonium cum alia persona contractum solvit ne sponsalia?

R. Matrimonium cum alia persona contractum certe sponsalia solvit ex parte illius qui matrimonium non contraxit.—An vero etiam solvat ex parte illius qui matrimonium inivit, disput. Th.. Alii affirmant, quia obligatio semel extincta nunquam reviviscit. Alii negant; et dicunt sponsalia esse tantum suspensa, ita ut, soluto matrimonio, si altera pars instet, ad priora sponsalia tenetur [2]. Et alii sic distinguunt: si matrimonium bona fide initum fuit sponsalia soluta sunt, secus si mala fide [3].

764.—*Q.* Mora seu temporis lapsus solvit ne sponsalia?

R. Videndum an tempus ad sponsalia implenda fuit praefixum vel non.

1. Si *tempus non fuit praefixum* et mora se tenet ex utraque parte, neuter liber est, quia mora unius compensatur cum mora alterius, nisi adsint adjuncta, ex quibus colligatur utrumque voluisse renuntiare sponsalibus. — Si vero mora se tenet ex parte unius et est notabilis, tunc altera pars libera evadit; e contra pars, quae culpabiliter est in mora, ab obligatione non liberatur, quia nemo debet a sua culpa commodum reportare. — Quae autem mora sit notabilis, judicio boni viri erit definiendum, v. g. parochi, confessoris, etc., et in foro externo arbitrio Ordinarii [4].

2. Si vero *tempus fuit praefixum*, videndum an praefixum fuerit ad finiendam vel ad sollicitandam obligationem. Si *ad fi-*

[1] S. Alph., L. VI, 874.
[2] S. Alph., L. VI, 875.
[3] *D'Annibale*, III, 514.
[4] Bened. XIV, Not. 46, 5.

niendam, elapso tempore ex culpa unius partis, pars innocens liberatur, etiamsi sponsalia fuerint jurata. Si *ad sollicitandam*, tempore etiam elapso, non cessat obligatio, quia duplex in hoc casu obligatio intervenit, una contrahendi absolute, altera tali tempore: cessante autem hac secunda obligatione, prior adhuc manet.

3. In dubio vero an tempus fuit praefixum ad finiendam vel ad sollicitandam obligationem, tres a Th. assignantur regulae: — 1ª Si terminus ab una tantum parte praefigitur, altera negative se habente, tunc censetur appositus ad obligationem sollicitandam. Si vero ab utraque, ad finiendam.— 2ª Si terminus praefigitur antequam sponsalia contrahantur, censetur ad finiendam: secus si post contracta sponsalia. — 3ª Si res dubia sit, censebitur terminus appositus ad sollicitandam obligationem, si adhuc commode celebraretur matrimonium; secus ad eam terminandam [1].

765.—*Q.* Quaenam mutatio in sponsis censetur notabilis ad solvenda sponsalia?

R. Notabilis mutatio in sponsis sponsalia certe solvit, licet jurata sint; nam sponsalia semper inita censentur sub tacita conditione. « *Ut mutatio notabilis non contingat* ».

Quaenam vero mutatio censeatur notabilis, disput. Th.. Alii dicunt illam mutationem pro notabili habendam esse, quae si extitisset, vel si cognita fuisset, sponsalia nunquam fuissent contracta.—Alii vero hanc regulam rejiciunt, quia quilibet e levi causa posset a sponsalibus resilire, et dicunt illam solam mutationem pro notabili habendam esse, quae viros prudentes retraheret [2].

Haec autem notabilis mutatio tribus modis contingere potest: 1° in bonis animi; 2° in bonis corporis; 3° in bonis fortunae.

766.— *Q.* Notabilis mutatio in bonis animi quot modis contingere potest?

R. Plurimis modis notabilis mutatio in bonis animi contingere potest :—1° Si pars cognoscatur alicui gravi vitio dedita, puta ebrietati, impietati, blasphemiis, ludo, etc.. — 2° Si gravis deprehendatur morum asperitas, saevitia, vel infamia.—3° Si ex matrimonio timeantur graves rixae vel inter consanguineos, vel inter eorum parentes, vel inter ipsos sponsos, uti si inter ipsos adsit constans, ineluctabilis et profunda animi alienatio, vel adsit timor infelicis exitus.—4° Si merito timeatur gravis parentum indignatio, vel si timeatur scandalum [3].

[1] S. Alph., L. VI. 867.
[2] S. Alph., L. VI, 873.
[3] Quid (*addes*) si adsit causa contrahendi, sed contradicant parentes, et inde e conjugio timeantur damna et odia inter ipsos? Sanchez docet abstinendum a matrimonio ex lege caritatis: imo nulla esse sponsalia, cum sint promissio de illicito. Fateor (ait S. Alphonsus, qui sedulo hanc quaestionem discutit; cum hic casus frequenter occurrat) fateor quidem hanc esse communem sententiam, et per se loquendo veram, quando filius commode hujusmodi scandalum vitare posset. Sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductae videtur obstare, quod caritas non obligat cum gravi incommodo... Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur matrimonium cum puella, cum qua credit quietam ducturum vitam ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam?..... Quapropter melius dicendum mihi et aliis doctis junioribus videbatur

767. — *Q.* Quid de notabili mutatione in bonis corporis?

R. Notabilis mutatio in bonis corporis legitimam quoque praebet causam dirimendi sponsalia: unde si unus ex sponsis incidat in morbum contagiosum, puta epylepticum, gallicum, etc., dissolvi poterunt sponsalia. Et probabilius dissolvi etiam possunt per amissionem pulchritudinis in sponsa, si communi judicio notabilis sit; et etiam per hujusmodi amissionem in sponso, quae tamen longe major esse debet.

768. — *Q.* Fornicatio in sponsis inducit ne notabilem mutationem?

R. Fornicatio vel antecedit sponsalia, vel ea subsequitur.

1. Fornicatio si *antecedit* et se tenet ex parte sponsae, licet invitae, sponsus, cum hoc cognoscit, certe a sponsalibus recedere potest. — Si vero se tenet ex parte sponsi, et prolem suscepit, vel pluries fornicatus fuerit, sponsa potest a sponsalibus resilire. Si autem prolem non suscepit et fornicatus fuerit semel, aut bis tantum, tunc disput. Th.. Alii dicunt sponsam non posse recedere, quia in communi hominum aestimatione sponsus notabiliter vilior non efficitur. Alii tamen affirmant sponsam posse resilire, quia reapse sponsus etiam ex una fornicatione vilior efficitur.

2. Si vero fornicatio *sponsalia subsequitur*, sive se teneat ex parte viri, sive ex parte foeminae, sive sponsalia sint jurata, sive non, justam praebet parti innocenti causam resiliendi a sponsalibus; quia in hoc casu habetur fractio fidei datae; et hoc etiamsi sponsa fuerit per vim corrupta, ut verius dicunt Th., quia redditur notabiliter vilior. — Imo si sponsa permittat se impudice tangi ab alio per oscula et amplexus, sponsus resilire potest a sponsalibus. Et potest resilire etiam sponsa si talia oscula, vel tactus in sponso ita frequentia sint, ut cor depravatum ostendant.

3. Si autem utraque pars post sponsalia fornicata fuerit, tunc Th. alii affirmant neutrum posse resilire; alii solum sponsum; et alii verius utrumque [1].

769. — *Q.* Quid de notabili mutatione in bonis fortunae?

R. Certum est sponsalia dissolvi posse si uni, vel utrique sponso superveniat paupertas, vel notabile detrimentum in bonis temporalibus, quia matrimonium inde durius efficitur. At, si sponsus aeque pauperem ducere voluisset, tunc teneretur, quia se voluit obligare ad ducendam etiam pauperem.

E contra si uni ex sponsis magna superveniat fortuna, an possit a sponsalibus recedere, plures

cum Palao, tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus ab hujusmodi matrimoniis abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tanto magis, quod (ut dicunt ipse Sanchez et Holzman) hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur, inito tamen matrimonio, facile evanescunt et animi conciliantur. Ceterum cum hoc sit contra communem sententiam, propterea sapientibus discutiendum relinquo.

Aliter esset, si ex tali matrimonio sit oriturum malum commune toti regioni: ut si in oppido parvo plures graviter perturbarentur familiae. Nam bonum communitatis privato praeferendum est. *Vindiciae Alphonsianae*, par. 8ª, quaest. III.

[1] S. Alph., L. VI, 861, 862; *D'Annibale*, III, 514 (6).

Th. affirmant, quia notabiliter mutatur ejus conditio; sed communius negant, quia tunc matrimonium non efficitur gravius, sed longe levius [1].

770. — *Q.* Quid si post notabilem mutationem sponsus sponsam carnaliter cognoverit? [2]

R. Sponsus, cognita notabili mutatione sponsae, si eam carnaliter cognoscat, non potest amplius a sponsalibus resilire, quia censetur juri suo renuntiasse, eo modo quo maritus censetur renuntiare juri divortii, si uxorem adulteram cognoscit. [2]

771. — *Q.* Discessus unius sponsi praebet ne justam causam a sponsalibus resiliendi?

R. Discessus unius sponsi dat alteri causam resiliendi duobus in casibus: — 1° quando quis, inscia vel invita altera parte, alibi discesserit, ibique domicilium fixerit; quia ita censetur renuntiare juri suo; 2° quando reditus sit valde difficilis seu moraliter impossibilis, vel sponsus nonnisi ad longum tempus rediturus sit.

772. — *Q.* Impedimentum subsequens solvit ne sponsalia?

R. — 1. Si impedimentum superveniens sit tantum *impediens* et nascatur ob electionem melioris status, nempe ex voto castitatis, vel religionis, recolenda sunt dicta n. 760, 761. — Si vero oriatur ex tempore feriato, vel Ecclesiae vetito, sponsalia non dissolvuntur, sed eorum executio erit differenda usque ad tempus ab Ecclesia permissum.

2. Si impedimentum sit *dirimens*, sponsalia nulla evadunt, quia nec licite, nec valide matrimonium inter sponsos contrahi potest. — At, si unus ex sponsis sua culpa impedimentum apposuerit, tunc pars innocens libera evadit. Pars vero nocens an libera evadat nonnulli affirmant, quia, posito impedimento, matrimonium jam factum est impossibile; sed communius negant, quia aequum non est ut commodum e sua iniquitate reportet et alteri fidem frangat [3].

An vero in hoc casu sponsus qui impedimentum apposuit teneatur petere dispensationem, Th. affirmant si sponsus teneretur ad matrimonium, ut damnum reparet deflorationis, aut infamiae sponsae. Secluso hoc casu, alii negant, sed alii probabilius etiam affirmant, si dispensatio facile et intra breve tempus obtineri potest; secus si opus esset magno labore et tempore, quia quisque fidem datam tenetur praestare mediis ordinariis, non vero extraordinariis [4].

773. — *Q.* Sponsalia possunt ne propria auctoritate solvi?

R. Si non adest justa causa resiliendi, tunc una pars nequit, invita altera parte, sponsalia solvere, quia esset vera violatio juris alterius.

Si causa resiliendi est iusta et *certa*, quisque propria auctoritate potest, altero invito, a sponsalibus recedere, puta si altera post sponsalia est fornicata; nisi forte, ad scandalum vitandum, caritas velit ut judicis auctoritas invocetur, nempe quando sponsalia essent publica et fornicatio occulta [5].

[1] S. Alph., L. VI, 876; Hom. Ap., T. XVIII, 19.
[2] Ut infra dicetur.
[3] S. Alph., L. VI, 857.
[4] S. Alph. Hom. Ap., Tr. XXIII, 15.
[5] Quod si causa *certa* probari nequeat coram judice, pars innocens per se poterit a sponsalibus resilire, modo caveat

Si vero causa est *dubia*, sive juris sit, sive facti, recurrendum est ad Superiorem, seu ad judicem ecclesiasticum, ne quisquam periculo se committat alterum privandi suo jure [1].

774. — *Q.* Quaenam *in praxi* observanda sunt quoad sponsos tempore sponsalium?

R. Haec praecipue *in praxi* observanda sunt [2]:

1. Ut ante benedictionem sa-

a scandalo; quia defectus externi judicii suum certum jus ipsi non adimit. *Scavini*, III, 763.

[1] S. Alph., L. VI, 778.

[2] *De ingerentia Parochi in matrimoniis componendis.* — Prudentia christiana exigit quod Parochus et quilibet Sacerdos omnino se abstineat a matrimoniis concludendis; nam parentes ipsi quoad hoc sufficienter solliciti sunt. Parochus nil quaerat, nil suggerat: et optimum erit si omnia matrimonia concludantur quin ipse se intromittat Zelus collocandi puellas in matrimonium aedificationem non gignit; zelus est omnino superfluus, imo periculosus, quia si puellae sunt pauperes, mundus qui totus in maligno positus est, aliquam affectionem, si divites aliquod lucrum adesse suspicatur. Hisce in rebus, nempe in matrimoniis concludendis, mundus vult esse solus, et bene facit. Ecclesiastici ergo qui a tali negotio se abstinent et Deo grati et hominibus laudabiles evadent.

Ecclesiastici zelum habeant coadjuvandi puellas quae, vocante Deo, mundo valedicere et vitam in virginitate ducere desiderant; in hoc laudabiliter zelum impendunt et bonum opus peragunt, quia hae puellae ut plurimum eorum auxilio indigebunt ad pugnam superandam, quam sine dubio mundus eis tentabit.

Sed dicet aliquis: Nonne est etiam opus caritatis in matrimonium collocare puellam quae parentibus est orbata? Opus bonum quidem prima fronte videtur; sed experientia docet ut plurimum nec in hoc casu conveniens esse ut parochus, vel alius ecclesiasticus se se immisceat, quia puellae quae nuptiis aspirant norunt quidem quid facere oporteat. Quinimo in casu de puella parentibus orbata, multo cautior parochus esse debet, ne ansam malignis praebeat male suspicandi. In casu vero omnino speciali quo caritas ejus auxilium expostulet, tunc parochus indirecte tantum auxilium praebeat, curando nempe ut alia persona directe se ingerat, se omnino occultando. Potius deberet parochus, prout prudentia suggesserit, curare ne matrimonia ineantur quae praevidentur infelicem exitum habitura esse; v. *g.* si ageretur de matrimonio puellae cum juvene impio moribusque corrupto, quae certe victima evaderet imprudentiae parentum. — Dixi: *prout prudentia suggesserit*, quia multoties parentes cupidi filias in matrimonium collocandi monitiones quascumque rejicerent, quo in casu ad verba inutilia imo odiosa, ideoque damnosa, nemo tenetur; tunc memorari oportet illud Spiritus S. « *Ubi auditus non est, non effundas sermonem* » Eccle. 22, 6.

Casu autem quo aliqua virgo inhonorata evadat, parochus omni studio curet ut violator eam ducat, in hoc enim casu nullum adesset periculum, nulla mala suspicio, imo ab omnibus laudabitur. Attamen non semper hoc remedium adhibendum erit. Si, v. *g.* dubium adesset quod puella fidem viro servatura non esset, aut vir uxori, proindeque matrimonium ob hanc, vel aliam causam infelicem exitum habiturum esset, tunc parochus prudenter se abstinebit ab hoc matrimonio componendo, ne malum transiens permanens evadat. Quare si e matrimonio contrahendo nil boni sperandum sit, Parochus utilius puellam ad poenitentiam, et parentes ad patientiam exhortabitur. Sed nonne lex tum ecclesiastica, tum civilis exigit ut delictum per matrimonium reparetur? Utique, dummodo matrimonium apponat malo remedium quin aliud majus producat. — Sed nonne proles permanebit illegitima? Utique, sed semper melius est quod sic permaneat, quam ea omnia mala provocare quae ex infelici matrimonio juste timentur.

Accidit aliquoties quod parentes, ex avaritia obcoecati, ad vitandas expensas, vel ad vitandam divisionem bonorum patrimonialium, consensum denegant filiis ad matrimonium contrahendum, eos sic cogentes vitam coelibem involuntarie ducere, cum gravissimo periculo quod hi filii in habituali statu pec-

cerdotalem in templo suscipiendam sponsi in eadem domo non cohabitent, sicut declaravit Trid[1].

2. Ut visitationes sint juxta morem regionis probatum, et in ipsis sponsi abstinere se debent ab exhibendis iis benevolentiae signis, quibus concupiscentia potest facilius excitari. Et quoad amplexus et oscula sponsis nonnisi illa permitti possunt, quae mos patriae permittit, et *modo non sint pressa, neque per notabile tempus protracta*; quae quidem quamvis publica sint, attamen, ait S. Alph. est moraliter impossibile in talibus actibus causa voluptatis habitis se continere a non labendo in pollutionem, vel in copulae consensum.

3. Ut in visitatione nunquam sponsus cum sola sponsa versetur, ne ad breve quidem tempus; et Parochi et Confessarii opportune et importune parentes moneant (praecipue vero matres), quam magnam rationem Deo reddituros esse si sponsam cum sponso solam relinquunt, ob gravissimum periculum in quo ipsos relinquerent gravium peccatorum, ut lacrymabili experientia constat.

4. Ut in visitatione sponsi ad invicem non appropinquent cum proximo periculo vel aspectuum, vel osculorum, vel amplexuum, vel etiam tactuum obscoenorum. —Visitatio vero diu non protrahatur nec nimis frequens sit.

5. Ut tali tempore sponsi spiritualibus subsidiis se muniant, praecipue vero frequentia Sacramentorum.

6. Tandem ut celebratio matrimonii diu non protrahatur cum experientia constet totum illud temporis spatium inter nuptias intercedens tempus esse peccatorum.

775.—*Q.* Quomodo se gerere debet sponsus aut sponsa si ipsi constet alterum in visitatione peccare ob pravum affectum?

R. Si actus inter sponsos ex suo objecto et modo honesti sunt et fiunt coram aliis, licite potest una pars illos actus permittere, ne altera pars infametur, vel sui suspicionem ingerat, neque alii scandalizentur.—Si vero illi actus fiant clam, et certum sit malitiose fieri, tunc ex caritate tenetur illos actus repellere, si citra grave incommodum id fieri potest; quod si adesset incommodum, puta si alter a matrimonio certe recederet, illos permittere potest; nam ex una parte actus per se honesti sunt, et ex altera non tenetur peccatum alterius impedire cum gravi suo damno.

cati vivant. Haud dubium quod Parochus in tali casu tenetur tales parentes monere ut debitam libertatem filiis relinquant.

Tandem si Parochus reperiat personas solutas vivere in concubinatu, omnem curam adhibeat ut ipsarum unio per sacramentum legitima et sancta evadat; plures enim adsunt qui vitam in concubinatu per multos annos degunt ob solam acediam et incuriam, quos Pastor bonus et prudens si ad matrimonium contrahendum exhortetur, absque ulla difficultate ei obtemperant, ut experientia saepe compertum fuit. Cf. *Frassinetti*, Manuale del Parroco novello.

[1] Trid. Sess. XXIV, cap. I.—In dicecesi Neapolitana « sponsi et sponsae post contracta sponsalia coram Parocho vel alio sacerdote a Parocho delegato, et nondum soluta, carnalem inter se copulam habentes; necnon parentes qui, aut copulam etiam una vice, aut cohabitationem sponsorum impia indulgentia permittunt incidunt in *excommunicationem* Ordinario reservatam.—Casus IX secundae classis.

ART. II.

De Matrimonii publicationibus.

776. — Publice a Parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum. **Can. 1022.**

§ 1. Matrimoniorum pubticationes fieri debent a parocho proprio.

§ 2. Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat.

§ 3. Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio ad normam § 2, removeatur. **Can. 1023.**

Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in Ecclesia inter Missarum solemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequenter accedat. **Can. 1024.**

Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecciesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur. **Can. 1025.**

Publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit, et mentio omittatur religionis partis non catholicae. **Can. 1026.**

Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare. **Can. 1027.**

§ 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare.

§ 2. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest. **Can. 1028.**

Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum, qui matrimonio assistere debet. **Can. 1029.**

§ 1. Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione.

§ 2. Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur. **Can. 1030.**

§. 1. Exorto dubio de exsistentia alicuius impedimenti:

1.° Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes;

2.° Publicationes peregat vel

perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes;

3.° Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit.

§ 2. Detecto impedimento certo:

1.° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Poenitentiariam;

2.° Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat.

§ 3. Demum si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat.

Can 1031.

Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit.

Can. 1032.

777. — *Q.* Parochus tenetur ne publicationes matrimonii facere?

R. — 1. Parochus, etsi certus sit nullum adesse impedimentum, tamen ad debitas denuntiationes tenetur; et si, omissis sine urgenti causa denuntiationibus, matrimonio assistere praesumpserit, graviter peccat.

2. Parochus ad tres publicationes tenetur. An autem omittere unam denuntiationem sit mortale, plures Th. probabiliter negant, quia respectu ad totum praeceptum non videtur gravis materia; probabilius vero affirmant si duae denuntiationes omittantur.

3. Publicationes fieri debent a Parocho, vel ab alio sacerdote de ejus licentia. Proprius Parochus est ille, in cujus parochia sponsi habent domicilium vel quasi-domicilium.

Quod si sponsus duplex habeat domicilium, v. g. domicilium in una parochia, et quasi-domicilium in altera; vel si sponsi sint diversarum parochiarum, in utraque parochia denuntiationes, faciendae sunt.

Si unus ex sponsis recenter in aliquam parochiam venerit, longe probabilius denuntiationes faciendae sunt in Paroecia unde discessit, ubi nempe diutius est commoratus.

Quod si unus ex sponsis est diversae dioecesis, tunc debet referre *statum*, ut ajunt, *liberum* suae dioecesis, nisi ante aetatem puberem ab ea discesserit: qui status liber debet esse recognitus et approbatus ab Ordinario.

4. *Tribus continuis diebus festivis*: continuis, idest nullo die festo omisso a prima denuntiatione ad ultimam: quod si plures dies festi inter unam et alteram denuntiationem intercedant, licet haec transgressio non videatur gravis, non excusatur tamen a veniali, quia jam transgreditur praescriptum Concilii.—Et si occurrunt tres dies festivi immediati, licet probabiliter dicant plures Th. denuntiationes posse fieri illis tribus diebus, *praxis* tamen est ut unus vel alter praetermittatur,

quia tempore tam brevi non satis finis Concilii obtineretur. — *Festivis*, vel ex lege generali, vel ex lege aut consuetudine speciali.

5. *In ecclesia*: scilicet parochialis vel alibi, si Parochus ibi coram populo suo missam celebrat.

6. *Inter missarum solemnia:* ergo non in concionibus, neque in processionibus, neque in vesperis fieri possunt. Ceterum si per oblivionem, vel aliam causam, denuntiationes non fuerint factae inter missarum solemnia, ex justa causa fieri possunt etiam in vesperis. *S. Congr.*, 25 oct. 1586 [1].

778.—*Q.* Publicationes quanam forma fieri debent?

R. Publicationes fieri debent forma ordinaria prout in Rit. Rom. nempe: 1° faciendae sunt voce alta et indicari debent personae contrahentes, nomen et cognomen, earum parentes, patria et parochia; 2° admoneri debet an publicatio, quae fit, sit prima, vel secunda, vel tertia; 3° demum monendus est populus de gravi obligatione tum revelandi quam primum impedimenta sibi nota, tum nihil dicendi contra veritatem.

779.— *Q.* Dispensatio a proclamationibus ad quemnam spectat?

R. Dispensatio non ad Parochum, sed ad Episcopum spectat. Episcopus vero aliquando *potest* dispensare, quando nempe causa est mere sufficiens, et nullum grave damnum ex denegatione est timendum, ut si sponsi essent magnates, vel valde senes, aut valde dispares in conditione, aetate, qualitate, etc.; et aliquando *tenetur*, quando nempe causa est urgens, et grave aliquod damnum ex denegatione esset timendum, v. g. si adsit probabilis timor ne matrimonium malitiose impediatur; vel si imminent periculum animae, corporis, aut fortunae, etc. [2]. — Si autem sponsi sint diversae dioecesis, an dispensatio obtineri debeat ab utroque Episcopo, hodie sententia affirmans probabilior est. Ubi tamen contraria consuetudo vigeat, servari potest; sed fides *status liberi* omnino requiritur [3].

Parochus autem, etsi dispensare non possit, in casu tamen necessitatis et in quo Episcopus dispensare tenetur, si nequit ipsum adire, et periculum sit in mora, v. g. si quis morti proximus concubinam ducere vellet ad legittimandam prolem, potest per epichejam declarare hoc praeceptum denuntiationis hic et nunc non obligare, et matrimonium coram duobus testidus, omissis denuntiationibus, celebrare, modo certus sit nullum adesse impedimentum [4].

780.—*Q.* Quinam obligantur ad revelanda impedimenta?

R. Peractis denuntiationibus, omnes fideles sub gravi teneutur tum lege naturali ad evertendum grave peccatum alterius et irreverentiam Sacramenti, tum lege ecclesiastica quae neminem excipit, ad revelandum impedimentum sive impediens sive dirimens, quamvis secretum. Quod si impe-

[1] Parochus inquirat an filii filiaeque familias contrahant *de consensu parentum*; — an uterque sponsus sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeat. Ita Rit. Rom. De his igitur *examinandi sunt*, prudenter tamen et discrete, prout conditio personarum et variae circumstantiae suadebunt. Curet etiam Parochus ut sponsi non praetereant praescripta legis civilis, si salva conscientia servari possint.

[2] S. Alph., L. VI, 1005.

[3] *March*, 2064.

[4] S. Alph., L. VI, 1007.

dimentum sit infamans, vel aliquod grave damnum sponsis pariturum sit, tunc prius ipsis manifestandum erit, si manifestatio profutura censeatur, secus parentibus, ut ipsi provideant.

Parochus autem, quum ipsi delatum sit impedimentum, debet matrimonium interdicere, et rem Ordinario deferre, ut de tali impedimento cognoscat, quia haec cognitio pertinet non ad Parochum sed ad Ordinarium.

781.—*Q.* Quándonam cessat obligatio impedimenta revelandi?

R. Obligatio impedimenta revelandi cessat quatuor in casibus:

1° Quando quis scit super illo impedimento jam obtentam fuisse dispensationem.—2° Quando quis scit impedimentum ex confessione sacramentali, vel scit sub secreto commisso, v. g. si quis impedimentum cognoscit ratione publici officii quod exercet, ut parochus, advocatus, medicus, obstetrix, etc.; ita enim bonum publicum postulare videtur. Non excusat vero secretum naturale, etiamsi fuerit promissum et juramento firmatum, quia haec promissio, etiam jurata, non obligat quando grave damnum communitati vel tertiae personae imminet. — 3° Quando quis revelare nequit sine aliorum scandalo, vel sine suo gravi damno, uti esset qui criminis particeps fuerit; item famulus, cui grave damnum immineret si heri impedimentum prodat.— 4° Quando quis ita confuse impedimentum noverit, ut in *praxi* nulla habeatur ejus scientia: puta si nesciat quod impedimentum sit, vel si audierit a persona non fide digna.

Quod si matrimonium jam celebratum sit, nemo amplius tenetur ex lege Ecclesiae ad revelandum impedimentum. At si impedimentum sit dirimens tenetur ex lege naturali, modo moraliter certus sit, quod absque scandalo impedire potest peccata vel formalia, vel etiam solum materialia eorum, qui invalide contraxerunt, quia *unicuique Deus mandavit de proximo suo.*

782.— *Q.* Quomodo se gerere debet Parochus, cui revelantur impedimenta?

R.—1. Parochus expendat illius revelationis valorem, attentis rerum, personarum et locorum circumstantiis. Denuntiatio etiam unius testis fide digni attendi debet, quia hic non agitur de poena infligenda, sed de Sacramento rite peragendo, de peccato vitando et de magnis incommodis praecavendis. Curet interim, si possit, ut revelans declarationem suam scripto firmet, aut saltem illam coram duobus testibus fide dignis renovet.

2. Quod si revelatio futilibus rationibus fundata videtur, Parochus eam non attendat, et Matrimonii celebrationi assistat. — Si autem existentia impedimenti videtur dubia, et eo magis si est certa, Parochus huic matrimonio assistere nequit, sed rem Episcopo deferre debet, ejusque mandatis stare.

3. Si autem, factis denuntiationibus, aliquis Parocho se sistat, et objiciat sponsum sponsalia jam prius secum fecisse, tunc si denuntiator indemnitatem solum intendat obtinere, Parochus litem componat. Quod si denuntiator agit contra ipsam matrimonii celebrationem, tunc si certe constat sponsum justam habuisse causam a prioribus sponsalibus resiliendi, interpellantem moneat se in proclamationibus et

in ipso matrimonio celebrando progressurum esse, nisi sibi exhibeatur prohibitio Ordinarii. In dubio vero de justa causa resiliendi, Parochus nequit ulterius procedere, sed rem Superiori deferre ejusque sententiam expectare debet.

Quomodo vero se gerere debeat Parochus si sponsi jam sint in Ecclesia ad matrimonium celebrandum, et ex eorum confessione vel aliter impedimentum adesse deprehendat, vel ipsos indignos noverit ad matrimonium celebrandum, dicetur inferius ubi de matrimonii *celebratione*.

CAPUT II.

De matrimonio in se spectato, sive uti contractu, sive uti sacramento.

ART. I.

De Matrimonii natura, et institutione [1]

783.—*Q.* Matrimonium quomodo definitur et quomodo distinguitur?

R. Matrimonium, quasi *matris munus*, et a matre potiusquam a patre dictum, quia major esse solet cura matris in prole suscipienda et educanda, sub duplici respectu considerari potest: 1° ut contractus vel naturalis, vel civilis; 2° ut Sacramentum.

Ut *contractus* definitur a Catech. Rom.: *Conjunctio maritalis viri et foeminae inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens,* nempe retinens societatem perpetuam et indissolubilem. Et sub hoc respectu matrimonium fuit a Deo ab ipso mundi initio institutum [1].

Ut *Sacramentum* definitur: *Sacramentum N. L., quo vir et mulier baptizati corporum suorum dominium legitime sibi tradunt et accipiunt ad prolem suscipiendam sancteque educandam.*—Et sub hoc respectu institutum fuit a Christo Domino qui naturam matrimonii non mutavit, sed ad dignitatem Sacramenti elevavit.—Quo autem tempore hoc Sacramentum institutum fuit non conveniunt. Th.. Alii volunt illud instituisse in nuptiis in Cana Galileæ; sed juxta plures eo tempore quo ejus indissolubilitatem sancivit, aut solemniter confirmavit.

Matrimonium distinguitur:

I. *In se et quoad subjectum*, in legitimum, ratum, et consummatum. *Legitimum* est illud quod contrahitur inter personas non baptizatas iuxta leges naturales et civiles. *Ratum* quod contrahitur inter baptizatos juxta leges naturales, civiles et ecclesiasticas et inter quos, post contractum,

[1] In contractu matrimonii ineundo nec humani legislatores, nec ipsi contrahentes ea omnia possunt, quae in ceteris possunt: etenim *illis* non datur voluntatem supplere, si forte ex parte unius defuit; nec *his* (quia matrimonia et societatis et religionis summopere intersunt) datur aliquid aleatorii in eis introducere. Sed in primis contractus matrimonii est suapte natura aliquid sacrum et sanctum *Auctore,* quippe Deus contrahentes conjungit; *re*, quia corpora nostra sunt templum Sp. Sancti; *fine,* quia ad gloriam Dei cum primis pertinet; ac denique *mysterio*, nempe in Christo et in Ecclesia quorum unionem significat. Quamobrem religiose ac sancte, et non prout ceteri contractus inunda sunt, quod nec ipsos ethnicos latuit.—Qua est Sacramentum a ceteris quam longissime distat materia, forma, ministris. *D'Annibale,* III, 426, 427.

nondum intercessit copula conjugalis. Dicitur *ratum*, quia non solum natura et jus civile, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet. *Consummatum*, quod præterea carnali copula completum est. Ut autem matrimonium consummatum dici possit, requiritur ut matrimonium sit rite contractum et adsit copula perfecta et sufficiens ad generationem.

2. *Quoad validitatem*, in verum et putativum — *Verum* quod reapse et valide contractum est, et ut tale probatur.—*Putativum* quod legitime contractum creditur, cum tamen ex parte rei ob aliquod latens impedimentum nullum sit.[1]

3. *Quoad formam*, in canonicum, civile, conscientiae et clandestinum. — *Canonicum* in quo omnia ab Ecclesia praescripta habentur. *Civile* in quo habentur formalitates a jure civili praescriptae, sed tantum quoad effectus civiles. *Conscientiae* seu secretum quod, omissis denuntiationibus, contrahitur coram Parocho, et testibus, data fide de eo non revelando. *Clandestinum* demum quod contrahitur sine praesentia Parochi et testium, de quo fusius inferius dicetur. — His accedit matrimonium *morganaticum*, quod vir nobilis contrahit cum muliere humilioris conditionis, eo pacto ut tam mulier quam filii inde nasciturі certa bonorum portione tempore sponsalium statuta contenti sint, exclusi a ceteris bonis avitis ac paternis una cum titulis.

784. — *Q.* Institutio matrimonii est ne a jure naturali, vel potius a divina Dei voluntate ?

R. Institutio matrimonii repeti debet non a solo jure naturali tamquam a fonte adaequata et essentiali, sed potius a positiva Dei creatoris voluntate, qui postquam naturam humanam condidit, matrimonium ut officium hujusmodi naturae instituit.

Constat 1° *ex S. Scriptura*: nam in Gen. (I, 27, 28), post creationem Adam et Hevae, legitur: *Deus... masculum et foeminam creavit eos. Benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini.* Et ipse Adam, post acceptam a Deo Hevam in uxorem, ait: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una* [2]. Quae ultima verba referens Christus subjungit : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [3].— Ex his verbis expresse patet quod Deus est auctor et institutor matrimonii. Et sane ille solus dici potest institutor matrimonii, qui ejus finem, essentiam et proprietates determinavit. Atqui Deus solus:—*a*) Finem primarium matrimonii determinavit, nempe filiorum procreationem, et humani generis multiplicationem : « Crescite et multiplicamini ». —*b*) Ipse solus determinavit essentiam vinculi matrimonialis : « Erunt duo in carne una ». — *c*) Ipse solus determinavit proprietates matrimonii essentiales, unitatem nempe et indissolubilitatem: « Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet »: Ergo.

Constat 2° etiam *ex ratione theol.* Et sane licet humana natura ten-

[1] Matrimonium quod *praesumptum* dicebatur, non amplius locum habet.

[2] Gen., II, 24.

[3] Matth., XIX, 6.

dat ad quamdam consociationem viri cum muliere, attamen neque natura hominis ex se sola, neque ulla voluntas aut auctoritas humana potuit determinare finem primarium matrimonii; nec mutuo contrahentium consensui conferre potuit vim, ut ex viro et muliere juxta verba Christi, efficiatur una et individua caro ; nec vinculo matrimonii addere potuit unitatem et indissolubilitatem tamquam proprietates essentiales et proprias; ergo institutio matrimonii nonnisi a positiva Dei creatoris voluntate repeti potest. Unde optime Leo XIII (Encycl. *Arcanum*) ait: « Cum matrimonium habeat *Deum auctorem* fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo *sacrum et religiosum* quiddam, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum »; et infra: « Matrimonium esse *sua vi, sua natura, sua sponte, sacrum* »[1].

785.—*Q.* Est ne de fide matrimonium in N. L. esse Sacramentum ?

R. Matrimonium esse N. L. Sacramentum de fide est : *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anath, sit* [2].

Probatur 1° *ex S. Scriptura.* Paulus ait: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea... Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* [3].

At vero vocabulum *Sacramentum* directe refertur non ad unionem Christi et Ecclesiae, ut volunt Novatores, sed ad ipsum viri ac mulieris conjugium, quod proinde Apostolus expresse appellat Sacramentum, seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Et sane pronomen demonstrativum *hoc* indicat *Sacramentum* referendum esse ad rem immediate praecedentem; res autem immediate praecedens est matrimonium, verba enim *adhaerebit uxori suae* matrimonium evidenter innuunt ; ergo, juxta Apostolum, conjugium christianorum est Sacramentum, seu signum rei sacrae: ergo Christus conjugium sanctificavit, seu elevavit ad dignitatem Sacramenti.

Probatur 2° *ex Traditione*, seu ex testimonio Ss. Patrum. S. Jo. Chrysost. expendens verba Pauli: *Cui vult nubat, tantum in Domino* [4], ait : Non nubat tamquam gentilis, sed tamquam christiana, non propter libidinem, *sed propter Sacramentum.*—S. Ambros. scribit: Neque nos, virginitatem commendantes, negamus *sanctificatum a Christo esse conjugium,* divina voce dicente : Erunt ambo in carne una, et in uno spiritu.— S. August. in libro *De bono conjugali* inter alia scribit : In nostrarum (foeminarum) nuptiis plus valet *sanctitas Sacramenti*, quam foecunditas uteri. Patet ergo quod Ss. Patres Matrimonium dixerunt verum Sacramentum.

Probatur 3° *ex argumento Prae-*

[1] Act. S. S., t. XII, p. 385.
[2] Trid. Sess. XXIV, c. 1.
[3] Ephes., V, v. 32.
[4] 1ª Cor. VII, 39.

scriptionis. Et sane utriusque Ecclesiae orientalis et occidentalis consensus hac in re constans fuit et perpetuus, ut patet ex libris symbolicis, et euchologiis, ex libris ritualibus et sacramentalibus utriusque Ecclesiae : ex professione Graecorum in Conc. Lugd. secundo, anno 1274 ; ex Conc. Flor., in quo unio facta est inter Graecos et Latinos, etc.. Ergo si Ecclesia, sive Graeca sive Latina, semper hanc doctrinam professa est, nullomodo negari potest matrimonium esse verum et proprium Sacramentum.

Probatur 4° demum *ex ratione theol.*. Matrimonium est verum Sacramentum N. L., si in eo adsunt tres conditiones necessariae ad constituendum Sacramentum. Atqui ita est; adest enim: 1° *signum sensibile* in expressione utriusque consensus; 2° *divina institutio*, ut ex testimonio B. Pauli et Ss. Patrum probatum fuit ; 3° *collatio gratiae*, nam conjuges ut perfecte repraesentent unionem Christi cum Ecclesia, quae unio est supernaturalis et indispensabilis, debent se invicem diligere amore sancto et supernaturali ; sed conjuges nequeunt se invicem tali supernaturali amore diligere sine gratia sanctificante ; ergo matrimonium ut unionem Christi cum Ecclesia vere repraesentet, hanc gratiam conferre debet [1]; ergo.

786.—*Q.* In matrimonio Christianorum contractus potest ne separari a Sacramento ?

R. In matrimonio Christianorum contractus nunquam separari potest a Sacramento : quia Christus

[1] *Ob.* 1ª. Verba Pauli « *Sacramentum hoc magnum est*, etc. », non referuntur ad matrimonium, sed ad unionem Christi cum Ecclesia per incarnationem ; vel ad summum ad conjunctionem Adami et Hevae, quae sola signum fuit unionis Christi cum Ecclesia. Ergo.

R. Verba Pauli referri nequeunt ad unionem Christi cum Ecclesia, nam tunc genuinus verborum sensus hic esset : Unio Christi cum Ecclesia est magnum Sacramentum in Christo et in Ecclesia ; sed hic sensus absurdum involvit; ergo illa verba de matrimonio intelligi debent, ut probatum fuit. — Nec intelligi debent de matrimonio Adami et Hevae, tum quia Adam per illa verba « *quamobrem relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae* » (Gen. II, 24), non de se, sed de omni alio conjugio loquitur ; tum quia Christus ipse illa verba ad omne conjugium refert.

Ob. 2ª. Matrimonium ex Paulo ab oratione retinet et mentem a Deo avocat. (1ª Cor. VII, 5, 33). Unde idem Paulus ait : *qui non jungit* (matrimonio) *virginem suam melius facit.* Ib. Et Ecclesia matrimonium sacris ministris prohibet ; ergo nequit esse verum Sacramentum.

R. Matrimonium a Deo institutum est ideoque honestum et licitum esse oportet. Ex fragilitate autem hominum fit, ut matrimonio juncti carnalibus deliciis saecularibusque curis inhordinate inhient, sicque ab oratione impediantur. Ad quod praecavendum Christus matrimonium ad Sacramenti dignitatem elevavit. — Apostolus vero matrimonio praefert continentiam, non quia illud malum sit, sed quia haec excellentior est. Et hoc sensu Ecclesia Sacerdotes arcet a nuptiis tamquam a statu minus perfecto ac minus convenienti dignitati et muneribus sacris, non vero tamquam a re mala.

Ob. 3ª. Sacramenta N. L. operantur quod significant : atqui matrimonium non operatur quod significat, nempe unionem Christi cum Ecclesia ; ergo.

R. Sacramenta plura significare possunt. Porro matrimonium significat tum unionem Christi cum Ecclesia, tum castam sanctamque dilectionem inter virum et mulierem ; illam *speculative* tantum matrimonium significat, et proinde non efficit ; istam *practice* significat, ac proinde etiam efficit. Ergo Sacramentum matrimonii sub uno respectu operatur quod significat.

illud matrimonium, quod Deus ab initio uti contractum instituit, ad dignitatem Sacramenti elevavit;et utrumque, contractum nempe et Sacramentum, ita ad invicem alligavit et identificavit, ut inter Christianos neque verus et legitimus haberi possit contractus qui non sit etiam Sacramentum, neque verum et validum Sacramentum quod non sit etiam contractus. Ratio enim Sacramenti non supervenit, ut ita dicam, contractui naturali in sua contractus essentia jam constituto et perfecto, sed in ipso contractu inest Sacramenti ratio; ergo ratio contractus separari nequit a ratione Sacramenti.

Haec veritas clare constat ex constanti doctrina Ecclesiae. — Et sane si Sacramentum a contractu separaretur, et Sacramentum esset tantum quid accessorium contractui, tunc Trid. non dixisset Christum fecisse matrimonium Sacramentum, sed instituisse Sacramentum distinctum ad sanctificandum matrimonium; ergo in matrimonio fidelium contractus separari nequit a Sacramento. — Hinc Pius IX in Syllabo, sub n. 66, hanc damnavit propos.: *Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile.* Et Leo XIII, in Encycl. *Arcanum,* ait: « Non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio (contractus a Sacramento) probari; cum exploratum sit in matrimonio Christiano contractum a Sacramento *non esse dissociabilem* ».

Ergo matrimonium, quod dicunt *civile,* per se nec est Sacramentum, nec contractus matrimonialis, sed nihil aliud est nisi *turpis atque exitialis concubinatus* (Pius IX in Allocutione 27 sept. 1852). — Dixi *per se,* nam in locis ubi Tridentina lex clandestinitatis non viget, si ambo contrahentes baptizati volunt in actu civili verum matrimonium, quantum possunt, inire, matrimonium valet.

787. — *Q.* Baptizatus qui matrimonium contrahit quin intentionem habeat Sacramentum recipiendi contrahit ne valide?

R. — **1.** Si quis matrimonium contrahendo veram intentionem habet faciendi quod faciunt ceteri fideles in contrahendo, tunc ejus matrimonium validum est, etsi ipse ignoret se esse ministrum hujus Sacramenti, imo etsi non credat matrimonio inesse rationem Sacramenti; quia eo ipso quod intendit facere quod faciunt ceteri fideles, reapse et ipse intendit facere quod facit vera Ecclesia et quod Christus instituit; unde ejus error particularis corrigitur seu tollitur ab intentione seu voluntate generali contrahendi matrimonium prout ab aliis fidelibus contrahi solet.

2. Si vero ex una parte matrimonium valide quidem contrahere velit, et ex altera rationem Sacramenti excludere, tunc in hoc casu duas habet intentiones, unam legitimam contrahendi matrimonium, prout homini baptizato possibile est, alteram vero erroneam contrahendi in sola ratione contractus. Et in hoc casu, quum adsint duae contrariae voluntates videndum quaenam in ipso praevaleat. Si absolute valide contrahere vult, tunc haec intentio destruit secundam intentionem et implicitam habet intentionem Sacramenti, quippe *conditionate* tantum excludit Sacramentum, nempe si possibile esset illud excludere. Si autem *positive et absolute*

ita Sacramentum excludit ut alias contrahere nolit, et solum actum mere civilem exercere positive intendit, tunc matrimonium invalide contrahit, quia vult separare quod e sua natura inseparabile est [1].

788. — *Q.* Matrimonium fidelis cum infideli est ne Sacramentum?

R. Matrimonium *fidelis* cum *infideli* ex mutuo et vero consensu contractum, sed sine R. Pontificis dispensatione, non est Sacramentum, sive quia infidelis non est Sacramenti capax, sive quia pro fideli adest impedimentum disparitatis cultus, ideoque nec est verum matrimonium, nam pro fideli nequit separari contractus a Sacramento.

Si vero accedit dispensatio Pontificis matrimonium certe validum erit. An vero in hoc casu sit Sacramentum ex parte fidelis, disput. Th.. Multi probabilius affirmant, nam fidelis omne ponit quod ad Sacramentum requiritur, nec ulla est repugnantia quod ex duobus contrahentibus unus ob ejus incapacitatem Sacramentum non recipiat, recipiat vero alter qui Sacramenti capax est. [2]

789. — *Q.* Si ambo conjuges infideles suscipiunt Baptismum, eorum matrimonium evadit ne Sacramentum?

R. Si ambo conjuges infideles sint, et ambo ad fidem convertantur, an eorum matrimonium, suscepto Baptismo, Sacramentum evadat, Th. communius affirmant, quia per Baptismum eorum matrimonium etiam in faciem Ecclesiae fit ratum et indissolubile; ergo etiam Sacramentum evadit.— Nonnulli tamen requirunt quod isti conjuges post Baptismum consensum renovent coram Parocho et testibus [3]; sed alii contra sentiunt et dicunt quod hanc renovationem Ecclesia non curat [4].

790.—*Q.* Matrimonium *haereticorum* vel *schismaticorum* inter se est ne Sacramentum?

R. Matrimonium haereticorum vel schismaticorum inter se validum est etiam in ratione Sacramenti, modo integre servent leges Ecclesiae quae ad rei substantiam pertinent; quia ad valide contrahendum matrimonium uti elevatum ad dignitatem Sacramenti, requiritur tantum Baptismus, uti janua Sacramentorum. Hoc ipsum confirmat praxis Ecclesiae, quae nullo modo eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem recipiendam, si resipiscentes ad Catholicae Ecclesiae unitatem redeant.—Nec officit veritati Sacramenti, quod erronee existiment se perficere contractum mere naturalem; nam non est ipsi necessaria intentio explicita et formalis Sacramentum conficiendi et suscipiendi; sed satis est ut intendant contractum conjugalem validum efficere, nam eo ipso efficiunt Sacramentum, quia non est in hominis potestate contractum a Sacramento sejungere.

ART. II.

De matrimonii essentia, fine, et effectibus.

791.—*Q.* 1° In quonam consistit essentia matrimonii; 2° et

[1] *Ballerini*, Op. Th. Mor., Vol. VI, 406.
[2] Vid. *Tanquerey*, De Matrim., n. 31.
[3] *De Varceno*, De Matr.
[4] *Scavini*, III, 725.

quaenam ejus obligationes essentiales ?

R. Ad 1um. Matrimonium considerari potest *in fieri*, seu *in actu* quo initur; et *in facto esse*, seu ut jam initum. Hinc:

I. Essentia matrimonii, in actu quo initur, seu *in fieri*, consistit in mutuo consensu et mutua pactione, qua vir et mulier inter se perpetuo conjunguntur et legitimam sibi faciunt corporum potestatem ad prolem suscipiendam et educandam.

II. Essentia matrimonii, ut jam initum est, seu *in facto esse*, consistit in vinculo quod ex illa mutua pactione oritur et in obligatione radicali reddendi debitum.

Ad 2um. Obligationes essentiales matrimonii, quae bona matrimonii dicuntur, tres sunt: 1° *Proles*, nempe filiorum procreatio et educatio; nam, licet prolis generatio non sit de substantia matrimonii, tamen ex ejus contractu nascitur obligatio exhibendi actus per se aptos ad generationem prolis semper ac ab altera parte rationabiliter petantur, et nihil agendi quo ejus procreatio impediatur. 2° *Fides*, nempe fidelitas quaedam, qua mutuo vir uxori et uxor viro ita se obstringit, ut alter alteri sui corporis potestatem tradat sanctumque illud conjugii foedus nunquam se violaturum polliceatur [1]. 3° *Sacramentum*, vinculum scilicet matrimonii quod nunquam dissolvi potest. [2]

792.—*Q.* Quinam fines matrimonii ?

R. In matrimonio considerari possunt fines intrinseci et extrinseci.

1. Finis *intrinsecus primarius* est prolis procreatio ejusque educatio tum quoad corpus, tum quoad animam; fines vero *intrinseci secundarii* sunt remedium concupiscentiae, et mutuum adjutorium et solatium in vitae societate.

2. Fines *extrinseci* seu contrahentium plures esse possunt, uti pax, divitiae, etc..

793.—*Q.* Qui matrimonium contrahit cum intentione non suscipiendi ejus obligationes, vel excludendo fines essentiales, contrahit ne valide et licite ?

R.—1. Qui matrimonium contrahit positiva intentione *non suscipiendi* obligationes quae sunt ma-

[1] Cath. Rom. pars 2a, c. 8, de matr. « Fides et proles possunt *dupliciter* considerari : *uno modo* in se ipsis, et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur et pactio conjugalis servatur; sed indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se..... *Alio modo* fides et proles possunt considerari secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, et pro fide debitum servandi fidem, sine quibus etiam matrimonium esse non potest, quia haec in matrimonio ex ipsa pactione conjugali causantur; ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium; et sic accipiendo fidem et prolem, constat quod proles est essentialissimum in matrimonio, et secundo fides, et tertio sacramentum; sicut enim homini est essentialius esse naturae, quam esse gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius ». S. Th. 3 par. suppl., q. 49, a. 3.

[2] Nota : Sacramentum stricto sensu est solum matrimonium *in fieri*, seu contractum matrimonialem inter baptizatos initum, et a Christo vi producendae gratiae donatum; in eo enim invenitur proprie ratio Sacramenti. — Matrimonium vero *in facto esse* latiori tantum sensu dici potest sacramentum, quatenus nempe pro tota vita significat unionem Christi cum Ecclesia (Cf. *Gènicot*, II, 445; *Aertnys*, L. VI, 444).

trimonio essentiales, nempe bonum prolis, fidei et sacramenti, non solum illicite sed etiam invalide contrahit, quia contractus matrimonii ex sua natura, seu essentia exigit consensum in eas obligationes: qui ergo positivam intentionem haberet eas non suscipiendi eo ipso excluderet essentiam matrimonii, proindeque nullum esset ejus matrimonium. Hinc invalidum esset matrimonium contractum sub pacto seu sub conditione contraria bono *prolis*, v. g. si quis diceret: *duco te si prolis generationem vitabis;* vel contraria bono *fidei*. v. g. si diceret: *duco te si adulterium committas;* vel contraria bono *sacramenti*, v. g. si diceret: *duco te donec aliam te meliorem inveniam* [1]. Haec prava intentio si externe non manifestatur, matrimonium invalidat pro foro interno tantum; quo in casu praesumptio est pro valore matrimonii, cum causa sit favorabilis et boni communis. At si expresse apponatur et in pactum deducatur tunc invalidat etiam pro foro externo [2].

2. Qui matrimonium contrahit cum intentione quidem *suscipiendi* obligationes quae sunt matrimonio essentiales, sed *non adimplendi*, v. g. cum intentione negandi debitum, vitandi prolem, vel etiam non educandi, moechandi, etc., matrimonium valide contrahit, sed graviter peccat.

3. Qui positive excluderet fines etiam intrinsecos, probabilius non solum valide, sed etiam licite potest matrimonium contrahere, prout si esset senex et nuberet sine spe procreandi, nec intenderet remedium concupiscentiae, dummodo non excludat obligationes matrimonii essentiales. Sic contraxerunt B. M. V. et S. Joseph., qui utique nec procreationem prolis intenderunt, nec remedium concupiscentiae, et tamen valide contraxerunt, ut patet ex Matth. (c. I) Angelus enim Josepho dixit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* [3]

794.—*Q.* Qui matrimonium contrahit ob solos fines secundarios, vel extrinsecos peccat ne?

R.—1. Utrum peccet qui matrimonium contrahit principaliter ob remedium concupiscentiae, disput Th.. Plures dicunt peccare venialiter [4]; sed sententia communis et valde probabilis negat, modo non intendat prolis generationem impedire; - ratio, quia matrimonium est a Deo institutum non solum ad prolem procreandam, sed etiam in remedium

[1] Haec prava intentio (de qua S. Alph., L. VI, 881, 5) duplici modo intelligi potest; nempe 1° quod contrahens utique animum habeat contrahendi verum matrimonium, ideoque suscipiendi obligationes matrimonii proprias, tamen simul habeat animum has illasque obligationes non adimplendi; 2° quod animo ita sit comparatus, ut absolute non velit contrahere quampiam ex iis obligationibus, quae ad substantiam matrimonii pertinent. Porro si primo sensu illa intentio accipiatur, matrimonium validum est pro utroque foro; si autem secundo sensu accipiatur intentio, tunc etiamsi in pactum seu conditionem non deducatur, tamen, quoad conscientiae forum, invalidat contractum; quia contractus matrimonii ex sua natura seu essentia exigit consensum in eas obligationes. Qui ergo habet intentionem excludentem quampiam ex his obligationibus eo ipso excludit matrimonii essentiam, ac proinde nullum est matrimonium.—*Ballerini*, Opus. Th. M. VI, 492-5.

[2] S. Alph., L. VI, 881, 5.

[3] Vide *Génicot*, II, 549; Bevilacqua, n. 24; *Ballerini* ad Gury, II, 752 (c).

[4] Cl. *Del Vecchio*, II, 916.

concupiscentiae, ut constat ex Apost.: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat*[1].

2. An vero peccet nec ne qui matrimonium contrahit principaliter ob aliquem finem accidentalem extrinsecum, S. Alph. sic distinguit: Si finis sit per se honestus, uti pax populi, amor inter consanguineos, familiae honoris conservatio, sanitatis tuendae gratia et similia, tunc contrahens nullomodo peccat[2]. Si vero finis non est honestus, uti voluptas, divitiae, etc., tunc contrahens peccat et quidem graviter si in voluptate, divitiis, etc., constituit suum ultimum finem; secus peccat tantum venialiter.

795. — *Q.* Quinam effectus Sacramenti matrimonii?

R. Effectus matrimonii, prout est contractus, sunt obligationes essentiales quas conjuges contrahunt, quae a S. Aug. vocantur bona matrimonii. Prout vero est sacramentum, duos effectus producit: — 1° Quum sit Sacramentum *vivorum, per se* non confert gratiam primam, sed gratiam secundam, nempe augmentum gratiae sanctificantis; *per accidens* vero potest conferre etiam gratiam primam (V. dicta n. 172)— 2° Confert gratiam sacramentalem, quae sponsis confert virtutem necessariam qua digne valeant suas explere obligationes, nempe: se mutuo diligendi, concupiscentiam reprimendi ad conjugalem castitatem servandam, prolem pie sancteque educandi et matrimonii onera patienter ferendi.

—

[1] 1ª Cor. VII, 2.
[2] S. Alph., L. VI, 882, 883.

Art. III.

De matrimonii materia, forma, ministro et subjecto.

796.— *Q.* Quaenam materia et forma matrimonii et quinam ejus minister, et subjectus?

R. — I. Materia *remota* matrimonii est corpus quod conjuges sibi invicem tradunt, seu mutuum jus in corpus alterius.

II. Materia *proxima* est ipsa actualis traditio juris in corpora facta per verba, vel per signa consensum exprimentia.

III. Forma est mutua ac legitima corporum acceptatio verbis vel signis expressa.

IV. Minister hujus sacramenti sunt ipsi contrahentes; sic ex Const. *Arcanum* Leonis XIII.

V. Subjectum sacramenti matrimonii est quilibet homo baptizatus, nullo naturali, divino, vel canonico impedimento ligatus.— Non baptizatus est capax matrimonii uti contractus.

797.—*Q.* Quinam consensus requiritur ad essentiam matrimonii?

R. Certum est quod consensus ad essentiam matrimonii requiritur, sive illud spectetur in ratione contractus, sive in ratione Sacramenti. Etenim contractus nihil aliud est quam mutua partium conventio, quae sine consensu esse nequit. Sacramentum autem matrimonii est ipse legitimus contractus ad Sacramenti dignitatem elevatus; ergo si contractus esse nequit sine consensu, nec Sacramentum.

Consensus iste esse debet:—1° *interior*, alioquin non esset consensus, sed fictio consensus;— 2° *exterior*, seu manifestatus per si-

gna externa, etenim consensus debet ab altera parte acceptari, quod fieri non potest absque aliquo signo sensibili; — 3° *liber*, et quidem ea libertate quae necessaria est ad peccatum mortale: — 4° *mutuus* et *simultaneus*, saltem moraliter; — 5° *de praesenti*, si enim esset de futuro, non matrimonium sed sponsalia tantum constitueret.

An vero necesse sit ut consensus manifestetur per verba et non per signa tantum, Th. dicunt verba certe non requiri *ad validitatem* matrimonii; probabilius tamen requiri *ad liceitatem*, sed tantum sub levi, quia alias ageretur contra rubricam et consuetudinem Ecclesiae. Attamen ab omni culpa excusaret verecundia, vel alia rationabiiis causa [1].

798. — *Q.* Quid de eo qui ficte consensit [2]?

R. Qui ficte consensit, peccavit mortaliter:—1° contra veritatem in re gravi mentiendo;—2° contra religionem, Sacramenti sanctitatem violando; — 3° contra justitiam, alterum in re maximi momenti decipiendo. Ordinarie autem tenetur matrimonium convalidare per verum consensum, ut sic reparet injuriam compartis. Dixi *ordinarie*, quia si ex altera parte fictio, vel etiam fraus intercesserit, vel ipsa pars decepta separationi consentiat, vel nullum ipsi damnum obventurum sit, tunc matrimonium convalidare non tenetur [3].

Conjux vero qui verum consensum posuit non tenetur credere alteri asserenti se ficte consensisse, nisi id juramento firmaret, ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus non sit evidenter probatus.[4]

799.—*Q.* Matrimonium *conditionatum* est ne validum?

R. Praemitto: 1° graviter illicitum est sine rationabili et urgenti causa matrimonium conditionatum, seu sub conditione contrahere; — 2° conditiones matrimonio appositae, licet non exprimantur coram Parocho et testibus si non constet sponsos ab iis recessisse, ipsum matrimonium afficiunt; — 3° Parochus propria auctoritate nec admittere potest has conditiones, nec huic matrimonio assistere. Hisce praemissis:

1. Si conditio est contraria substantiae matrimonii, tunc matrimonium est nullum,[5] ut dictum fuit n. 793.

2. Si conditio est de *praeterito*

[1] S. Alph., L. VI, 887.

[2] Fictio non praesumitur, et in foro externo non admittitur, nisi forte probari possit.

[3] S. Alph., L. VI, 887, 908.

[4] *S. Congr. Concilii, 24 febr. 1720.*

[5] Matrimonia inita cum solo contrahentium errore, quod matrimonii consummati vinculum, in casu adulterii, vel ob alias causas, dissolvi possit, valida sunt. Si vero sub hac expressa conditione inita sint, ut invalida habenda sunt. C. S. Off., 18 dec. 1872.

Et Bened. XIV de Synod. dioec. L. 13, c. 22, n. 7, haec habet: « Matrimonium initum cum privato contrahentium errore quod vinculum matrimonii consummati, ob causam adulterii, vel ob alias causas dissolvi potest, validum est, quia adest praesumptio illud inire voluisse quemadmodum a Christo institutum est, hoc est perpetuum et insolubile etiam interveniente adulterio; adeo ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat, praevalente nimirum generali voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente. At si contrahentes in ipso matrimonii contractu *expressam* apposuerunt conditionem contrariam substantiae matrimonii, jam fieri nequit ut er-

vel de *praesenti*, sive honesta sit sive turpis, modo non sit contraria substantiae matrimonii, tunc si extiterit, vel extet, matrimonium validum erit; illicitum tamen reddit ejusdem usum, donec constiterit conditionem extitisse, vel extare: si vero ejusmodi conditio non extiterit vel non extet, tunc nullum erit matrimonium.

3. Si conditio est de *futuro* tunc distinguendum: si est de futuro *necessario* per se non suspendit matrimonium; nam futurum necessarium habetur pro praesenti, nisi contrahentes matrimonium differre velint usque ad eventum conditionis necessariae.—Si vero est de futuro *contingenti*, et conditio est turpis, sed non contraria substantiae matrimonii, vel est impossibilis, matrimonium est validum; quia talis conditio ex jure canonico in matrimonio habetur pro non adjecta. Attamen si sponsi vere non intenderunt consentire sine tali conditione, matrimonium esset invalidum. — In dubio autem debet judicari in favorem matrimonii [1].—Si autem est honesta, ut « *si parentes consenserint*, » tunc contractus non habet rationem matrimonii, sed tantum sponsalium.— An vero, adimpleta conditione, requiratur novus consensus pro matrimonio, disput. Th.. Alii affirmant, quia matrimonium non est solum contractus, sed etiam Sacramentum, cujus valor pendere non potest ab effectu futuro. Alii tamen negant, quia matrimonium, licet sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractus et ad hujus valoris normam ejus valor dirigitur. Haec secunda sententia videtur probabilior; sed, quia prima est etiam fundata, in *praxi* expedit istam sequi [2].

800. — *Q.* Filii possunt ne valide et licite matrimonium contrahere sine consensu parentum?

R. Lutherani dicunt matrimonium absque consensu parentum esse irritum: sed errant. Etenim non est irritum jure naturae, quia filius dominium habet in proprium corpus; nec jure divino positivo, quia nullibi jus divinum irritat hoc matrimonium; nec jure ecclesiastico, quia Trid. eos anathemate damnat qui falso affirmant matrimonia a filiis-familias sine parentum consensu contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse [3].

At, generatim loquendo, graviter illicita sunt, quia honor et reverentia parentibus debita vult ut filii rem tanti momenti non peragant sine ipsorum consilio, et eo magis contra eorum voluntatem. Unde Trid. ait: « Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis haec matrimonia filiorum sine parentum consensu semper detestata fuit » [4]. Dixi *generatim loquendo*,

ror particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium prout a Christo institutum fuit; sed potius voluntas generalis hujusmodi extinguitur ac suffocatur ab errore particulari, qui manifeste praevalet, ac dominatur, atque hinc oritur nullitas matrimonii.

[1] S. Alph., L. VI, 890.

[2] S. Alph. Hom. Ap., Tr. XVIII, 34.

[3] Sess. XXIV, c. 1, *De ref.*

[4] Parochus a quo filius postulat benedictionem nuptialem, invitis parentibus, illum suaviter invitet ad ulterius non progrediendum; quod si filius persistat et adimpletae fuerint omnes formalitates a lege civili requisitae, non deneget nuptialem benedictionem.

Confessarius vero sedulo expendat motiva quae poenitentem suum impellunt

cum duobus in casibus licita sint: 1° quando parentes sunt irrationabiliter inviti; 2° quando matrimonium honestum et utile differri nequit, nec commode haberi potest consensus parentum [1].

801. — *Q.* Quaenam praecipuae obligationes conjugum?

R. Praecipuae obligationes conjugum sunt mutuus amor, cohabitatio, et onus reddendi debitum. De mutuo amore, et cohabitatione, V. dicta, Vol. I, n. 677-79. De onere reddendi debitum. V. *Appendicem de debito conjugali* in fine Tractatus.

ART. IV.

De Matrimonii proprietatibus.

802. — *Q.* Quaenam sunt praecipuae proprietates matrimonii?

R. Duae sunt praecipuae proprietates matrimonii, *unitas* scilicet, et *indissolubilitas.* — Unitas matrimonii nihil aliud est quam conjunctio unius cum una. Unitati adversatur: 1° *polyandria*, seu pluralitas simultanea maritorum, quae legi naturae repugnat utpote contraria generationi prolis et bonae ejus educationi; 2° *polygamia*, seu pluralitas simultanea uxorum.

803. — *Q.* Polygamia quo jure prohibita est?

R. — I. Polygamia simultanea primariis juris naturae principiis non adversatur, bene vero quodammodo ejus secundariis praeceptis, simul et primaevae institutioni matrimonii. Attamen ex dispensatione divina permissa fuit tum Patriarchis post diluvium, tum omnibus Judaeis in lege mosaica, tum etiam probabilius omnibus gentibus usque ad Christi adventum [2].

II. In lege evangelica Christus matrimonium ad primaevam institutionem revocavit, unde polygamiam simultaneam prohibuit, quod est de fide: *Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anath. sit* [3].— Et sane Cristus, sciscitantibus Pharisaeis, dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit moechatur* [4]. Si igitur ex Christo moechus est qui ab alio dimissam duxerit, perseverat prius matrimonium. Praeterea si moechatur qui, uxore dimissa, aliam ducit, multo magis moechatur qui aliam duxerit, priore uxore retenta. Ergo. — Hinc Paulus [5] docet quod vir et mulier in juri-

ad nubendum sine parentum consensu, et si illa levia detegat, absolutionem ei deneget. Quod si e contra inveniat gravia, illum hortetur ad parendum desideriis parentum suorum: sed si in suo proposito perseverat, confessarius ultra non progrediatur, nec ei beneficium absolutionis deneget.

[1] « Il figlio che non ha compiuto gli anni 25, e la figlia 21, non possono contrarre matrimonio senza il consenso del padre e della madre. Se i genitori sono discordi, è sufficiente il consenso del padre ». *Cod. Civ. Ital.*, art. 63.

[2] Relate ad polygamiam erravit tum Calvinus, tum Lutherus: Calvinus docuit polygamiam simultaneam lege naturali esse prohibitam, proindeque peccasse Patriarchas qui plures habuerunt uxores. — Lutherus vero affirmavit non prohiberi nec lege naturali, nec ipsa lege evangelica absoluta, ed ideo illam Langravio Hessae permisit.

[3] Trid. Sess. XXIV, c. 2.

[4] Matth. XIX, 9.

[5] 1ª Cor. VII, 4.

bus matrimonii pares sunt, et sicut mulieri non licet, primo conjugio perseverante, alterum superducere maritum, nam « *vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro* », sic nec licet viro, eodem manente conjugio, alteram superducere uxorem — Convenit traditio universalis Ecclesiae. Ergo.

804. — *Q.* Matrimonium est ne indissolubile ?

R. Praemitto : Dissolutio matrimonii duplex esse potest, alia propria, alia impropria. *Propria* est ea, qua conjuges priori libertati ita restituuntur, ut alias possint inire nuptias, et vocatur etiam dissolutio *quoad vinculum*. — *Impropria*, quae et *divortium* vocatur, de quo in articulo sequenti dicemus. Hoc praemisso :

Matrimonium *fidelium*, si est *ratum* et *consummatum*, vivente utroque conjuge, nunquam dissolvi potest *quoad vinculum*, ita ut nunquam valide aliud matrimonium iniri possit. Hanc doctrinam expresse docet Trident. his verbis: Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis*... Ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis Christus confirmavit « *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* ». Christus hic loquitur de matrimonio consummato, nam loquitur de his qui facti sunt una caro. Igitur matrimonium ratum et consummatum est indissolubile tum jure naturae, ut communiter dicunt Th., tum jure divino, ut de fide definivit Trid.: *Si quis dixerit propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anath, sit* [1].Imo neque *per adulterium* alterius conjugum vinculum matrimonii solvi potest. De fide autem est quod Ecclesia in hac doctrina non errat. *Si quis dixerit Ecclesiam errare dum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, anath. sit* [2].—Et sane Christus ait: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur* [3]. Ergo moechatur qui dimissam duxerit etiam cum intervenit adulterium, nam a Christo absolute dicitur reus adulterii tum qui alteram, priore repudiata uxore ducit, tum qui se cum repudiata conjungit; ergo illa verba « *excepta fornicationis causa* » de sola dimissione quoad thorum intelligi debent [4].

805.—*Q.* Matrimonium fidelium *ratum*, sed *non consummatum* potest ne dissolvi quoad vinculum ?

R. Matrimonium fidelium *ratum* sed *non consummatum*, dissolvi potest quoad vinculum duobus in casibus. — *Primo*, per solemnem

[1] Sess. XXIV, c. V.
[2] Trid. Sess. XXIV, c. VII.
[3] Matth. XIX, 9.
[4] Hic advertere juvat quod Ecclesia damnavit solum tamquam ream, pravam et oppositam evangelicae doctrinae sententiam et praxim Graecorum et Orientalium qui per solum adulterium matrimonii vinculum solvi posse putabant, non vero tamquam haereticam. Canon vero Trid. directe solum editus fuit contra Novatores qui temerario ausu affirmant Ecclesiam Romanam errasse et errare in hac doctrina.

professionem religiosam unius conjugum religionem ingredientis, ex speciali privilegio a Christo concesso et ab Ecclesia declarato. At non dissolvitur nisi eo temporis puncto quo solemnis professio religiosa emittitur. Hinc Trid.: *Si quis dixerit matrimonium non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anath, sit* [1]. Et sane Ecclesia auctoritate sibi a Christo tradita, ut inferius ostendemus, potuit nonnullas conditiones matrimonio contrahendo apponere, ita ut, si desint, illud illicite et invalide ineatur; ergo eadem auctoritate potuit tales conditiones apponere ut etiam initum dissolvi possit.

Verum quidem est quod matrimonium *absolute* contractum indissolubile est, at tale non est si *conditionate* contractum fuit juxta Ecclesiae dispositionem. Ergo [2].

Sed hic advertendum est: 1° quod quilibet conjugum licite potest intra bimestre a celebratione matrimonii debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi religionem, quia utitur jure suo; ita Th. communiter [3]. Attamen graviter peccaret sponsus qui matrimonium contraheret animo religionem ingrediendi, si compartem non admoneat, nisi justa causa excusetur [4]; 2° quod etiam transacto bimestre et matrimonio non consummato, si conjux religionem ingreditur, etsi illicite, tamen valide profiteretur.

Secundo, matrimonium *fidelium ratum* et *non consummatum* dissolvi potest etiam a Papa ex dispensatione, gravi interveniente causa; quia Summus Pontifex tamquam Christi Vicarius, cui regimen Ecclesiae commissum est, bene potest cum justa causa dispensare in aliquibus, quae sunt de jure divino et humanos actus concernunt. Constat etiam ex sententia hodie communi inter Th. et canonistas, et ex praxi Summ. Pontificum. [5]

806.—*Q.* Matrimonium *infidelium* etiam consummatum potest ne dissolvi quoad vinculum?

R. Matrimonium legitime in infidelitate contractum et consummatum, ex privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et *Paulino* dicto, utpote ab Ap. Paulo promulgato, dissolvi potest etiam quoad vinculum in hoc unico casu, quando nempe alter conjugum christianam fidem amplectitur et baptismum suscipit, et alter in sua infidelitate manens, postquam fuerit interpellatus, renuit cohabitare cum converso, vel nonnisi cum injuria Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione SS. Nominis Christi, et christianae religionis despicientia; tunc pars fidelis acquirit jus transeundi ad alias nuptias cum coniuge tamen fideli (C. S. Off., 16 jul. 1886).

En verba Ap. Pauli: « Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentiat habitare cum illo non dimittat illam ». *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater in hu-*

[1] Sess. XXIV, c. VI.

[2] Neque hoc privilegium impedit fornicatio inter sponsos habita ante matrimonii celebrationem, nisi matrimonium necessarium sit ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, vel sponsae honorem.

[3] S. Alph., L. VI, 958.

[4] S. Alph., L. VI, 870, 956, 958.

[5] Vid. *Génicot*, II, 555.

jusmodi: *in pace autem vocavit nos Deus* »[1]. Porro Ap. Paulus hic loquitur de vera matrimonii dissolutione quoad vinculum, ut ex contextu clare patet; de fidelium enim matrimonio disserens ipsum indissolubile prorsus esse fatetur, dum dicit quod uxor fidelis si a viro fideli discedit, vel maneat innupta, vel viro reconcilietur; e contra disserens de matrimonio infidelium dissolubile esse asserit per ea verba « *Quod si infidelis discedit, discedat* » nullam apponens restrictionem, imo hanc libertatem magis confirmat addendo « *Non enim servituti subjectus est* », etc.. At servituti subjectus esset, si infideli conjuge discendente, matrimonii vinculo adhuc devictus esset. Ita hunc Ap. Pauli textum interpretati sunt sancti Ecclesiae Patres, et constans Ecclesiae praxis. Hoc autem singulare privilegium Christi in favorem fidei factum fuit ne quis infidelis ob timorem ne invitus cogatur perpetuo vitam coelibem ducere retrahatur a christiana fide amplectenda[2].—Hinc :

1. Si ambo conjuges infideles baptismum susceperunt, vel suscipere intendunt, eorum matrimonium, si post baptismum fuerit consummatum, fit ratum et indissolubile. Dixi : *si post baptismum fuerit consummatum*, quia secus an sit indissolubile disput. Th [3].

2. Matrimonium non dissolvitur ipso facto per susceptionem baptismi, sed solum in actu quo conjux conversus et baptizatus transit cum effectu ad alias nuptias; et tunc etiam conjux qui manet in infidelitate valide et licite potest aliud inire matrimonium. Quare si pars fidelis nondum statum mutaverit, et pars infidelis ad fidem etiam se converterit, tenetur partem conversam recipere, et potest etiam compelli ad cohabitandum. Item si post conversionem, v. g. mulieris, vir infidelis aliud matrimonium cum alia infideli contrahat, et postea etiam ipse cum hac secunda convertatur non potest cum ipsa permanere, sed debet redire ad primam, si haec nondum statum mutavit.—S. C. Conc., anno 1679 et 1680.

3. Hoc privilegio pars fidelis semper gaudet etiam in casu quo, post baptismum susceptum, conjuges non cessarunt simul cohabitare, et matrimonium consummarunt sicuti ante baptismum, si postmodum infidelis (quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedendi) nedum converti recusaverit, sed insuper, fracta fide de pacifica cohabitatione, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, v. g. alias uxores illegitimas dimittere recusaverit, vel fidelem ad peccatum mortale, aut ad infidelitatem trahere tentaverit.

4. Pars fidelis, antequam novas nuptias ineat, debet de jure, tum naturali, tum divino, tum ecclesiastico, partem infidelem monere se ad veram fidem conversam fuisse, et ipsam interpellare an velit pariter ad fidem se convertere.—Quod si adsint causae quae talem

[1] 1ª Cor. VII, 12, 15.

[2] Utrum hoc privilegium competat non solum ei qui fidem catholicam amplexus sit, sed etiam ei qui ad sectam acatholicam se recepit, disput. Th., et plures affirmant modo rite baptizatus sit. *Lehmkuhl*, II, 705 (1).

[3] Cfr. S. Alph., L. VI, 956; *Vecchiotti*, Inst. Canonicae, Vol. III, c. XIV, n° 126, contra *Scavini* et alios.

interpellationem inutilem, vel difficilem reddant, tunc probabilius et verius necessaria est Summi Pontificis dispensatio ab omni interrogatione facienda [1].

5. Mulier baptizata potest recurrere ad dispensationem etiam quando praenoscit, quod, praemissa juridica et formali interpellatione, et viro infideli remanente, facta dissolutione matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri ejus infidelis; firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur curare, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

6. In casibus in quibus missionarii ex concessione Apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus, ideoque permittere ut pars conversa cohabitet cum parte infideli, semper requiritur ut pars infidelis parti fideli promittat cohabitare pacifice et sine ulla injuria Creatoris, puta ne vellet una simul cum uxore legitima alias uxores illegitimas retinere.—Ceterum ad S. Sedem spectat definire an pars fidelis cum infideli adhuc permanere possit, vel non. Praxis autem est ut haec cohabitatio non permittatur in locis fidelium, quippe experientia docuit non modicum perversionis periculum in tali consortio parti conversae imminere; e contra permittatur in locis infidelium, v. g. inter Sinas, Indos, etc. ob contrariam rationem.

807.—*Q.* Infidelis, qui ad fidem convertitur, si plures habeat mulieres, quamnam retinere debet?

R.—1. Si constat inter plures illas mulieres unam esse veram, seu legitimam uxorem, et alias nonnisi concubinas, tunc legitimam uxorem retinere debet, modo et ipsa se convertere velit.

2. Si inter illas mulieres nulla erat vera uxor, tunc ducere potest quamlibet sibi placet.

3. Si vero dubium est an aliqua vera sit uxor, tunc Urbanus VIII decrevit posse permitti secundum matrimonium cum quacumque ex illis quae magis ipsi placuerit.

4. Si autem conversus duas, vel tres habuerit uxores, primam retinere debet si et ipsa se ad fidem convertit. Quod si prima remanet in infidelitate, et velit ipse contrahere cum secunda, vel tertia jam et ipsis conversis, consensus absolute renovari debet inter eos et quidem sub debita forma, quia prior ille consensus, quem ipsi praestiterunt, stantibus primis nuptiis, nullius roboris fuit, sive ex lege naturali sive ex lege divina; nec a renovatione talis consensus dispensatio concedi potest. Ita Bened. XIV [2].

[1] *Vecchiotti*, Inst. Canonicae, Vol. III, c. XVI, § 121.

[2] *De Synod. Dioeces.*, L. 13, c. 21, n. 1.

ART. V.

De divortio.

808.—*Q.* Quid et quotuplex est divortium?

R. Divortium est *separatio conjugum, salvo matrimonii vinculo.*

Divortium triplex est, quoad *thorum*, ex quo conjuges immunes fiunt ab obligatione reddendi debitum; quoad *cohabitationem*, et immunes fiunt ab obligatione simul cohabitandi; et quoad *utrumque* simul, et tunc liberi evadunt ab utraque obligatione tum reddendi debitum, tum cohabitandi.

I. Divortium, seu separatio

—

quoad thorum vel cohabitationem justis de causis, licitum est, manente tamen semper vinculo conjugali.—*Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anath. sit.* (Trid., Sess. XXIV, c. VIII).

II. Causae ob quas divortium quoad thorum et cohabitationem permitti potest quatuor sunt: 1° mutuus consensus; 2° periculum gravis damni; 3° conjugis haeresis 4° conjugis adulterium.

809.—*Q.* Quandonam conjuges possunt divortium facere ex mutuo consensu?

R. Conjuges possunt vel ad tempus, vel in perpetuum divortium facere *quoad thorum*, modo non adsit periculum incontinentiae, et possunt facere etiam *quoad habitationem* sive ad tempus, modo non adsit periculum incontinentiae, nec damnum prolis, nec scandalum, sive in perpetuum, vel per ingressum in religionem, vel per susceptionem Ordinis sacri, vel saltem per continentiae votum. Sed in hoc ultimo casu, si conjuges cohabitent, confessarius non sit nimis facilis ad votum perpetuum ipsis permittendum.

810.— *Q.* Quandonam conjuges divortium facere possunt ob periculum gravis damni?

R. Conjuges divortium facere possunt non solum quoad thorum, sed etiam quoad habitationem quando adest periculum gravis damni, sive ex parte *animae*, v. g. si conjux incitetur a compagte ad graviora peccata, puta ad veneficium, sodomiam, etc.; sive ex parte *corporis*, si alter coniux sit amens, furiosus, maleficus, vel si aliquo morbo contagioso laboret, et adsit in comparte ex cohabitatione periculum infectionis; vel si conjux sit adeo saevus ut propter ejus gravia verbera, aut frequentia convincia et jurgia cohabitatio sit graviter molesta. Requiritur tamen ut damnum quod timetur sit absolute, vel relative grave, et prudenter timeatur. Divortium ob periculum gravis damni regulariter ad vitandum scandalum fieri debet auctoritate judicis ecclesiastici, nisi periculum sit in mora.—Ceterum, amoto periculo, divortium quoque cessare debebit.

811.—*Q.* Quandonam haeresis jus praebet ad divortium?

R. Ut haeresis (quae dicitur adulterium spirituale) jus ad divortium praebeat, non sufficit unus actus infidelitatis, sed consuetudo requiritur, quae pertinaciam ostendat, et tunc pars fidelis *potest* divortium facere. Imo si ex cohabitatione cum haeretico adsit periculum perversionis, non solum potest, sed *tenetur*.— Quod si ambo conjuges in haeresim lapsi fuerint, tunc non potest unus ab alio recedere, quia jus recedendi nonnisi catholico concessum est: Idem dicendum si ambo ab haeresi redierint. At si unus tantum redeat, alter vero perseverare velit in haeresi, poterit conversus ab haeretico recedere, quia Ecclesia iterum ipsi converso jus concedit.

NOTA. Si divortium ob haeresim factum fuerit propria auctoritate, tunc si haereticus revertatur ad fidem, catholicus tenetur ad ipsum redire; secus si factum fuerit auctoritate judicis [1].

[1] An vero quod de haeresi, idem dicendum sit etiam de schismate, alii negant, nisi schisma conjugis tale sit, ut haeresim contineat, quod quidem ut plu-

812.—*Q.* Quandonam adulterium jus praebet ad divortium?

R. Ut adulterium jus praebeat ad divortium, tria requiruntur:—1° ut adulterium sit *certum* saltem moraliter;—2° ut sit *formale* idest cum culpa patratum; — 3° ut sit *consummatum*; unde non sufficiunt soli tactus, amplexus et oscula.— An autem liceat divortium facere ob sodomiam aut bestialitatem a conjuge commissam, Th. communiter affirmant., quia tunc adulter fidem conjugalem laedit carnem cum alio dividendo.

E contra tribus in casibus divortium ob adulterium fieri non potest:—1° si uterque conjux sit adulterii reus, et hoc etsi unus semel peccasset et occulte, et alter pluries et manifeste;— 2° si alter consensit adulterio conjugis: prudens tamen dissimulatio non esset consensus;—3° si adulterium fuit remissum vel expresse, vel tacite, uti si innocens conscius adulterii sponte coierit cum adultero, aut maneat in eadem domo, mensa et thoro, maxime si accedant amplexus, tactus et oscula. Quod si revera conjux, per dictos actus non intendit remittere injuriam, in conscientia semper potest se separare. Si vero post remissionem relabatur vel reconciliatus vel reconcilians, alter jam dimittendi jus habeat [1].

813.— *Q.* Innocens potest ne propria auctoritate divortium facere?

R. Conjux innocens propria auctoritate certe potest divortium facere quoad thorum.— An possit etiam quoad habitationem, disput. Th., sed communiter affirmant, si adulterium notorium sit, secus si occultum; quo in casu erit instituendum judicium, a legitima auctoritate, nempe ecclesiastica, et reus non antea dimittendus nisi post sententiam judicis.

An vero liceat divortium ab auctoritate civili petere, etiam ad solos effectus civiles obtinendos, dicetur inferius, n. 822, 823.

814.— *Q.* Innocens tenetur ne divortium facere?

R. Innocens licet possit partem adulteram dimittere, tamen sola ratione adulterii non tenetur, dum haec dimissio a Christo Domino tantum permissa sit, non praecepta. Potest tamen teneri vel ratione correctionis, si dimissio necessaria sit ut reus corrigatur, vel ratione scandali vitandi, si, cum adulterium publicum sit, videatur adulterio ipsius ipse consentire si non dimittit.

In *praxi* tamen plura alia media adsunt sive ad debitam correctionem faciendam, sive ad scandalum reparandum; et ex altera parte ex dimissione gravia damna obvenire possunt, v. g. periculum propriae incontinentiae, periculum quod pars dimissa deterior fiat,

rimum evenit; vel revera adsit periculum perversionis, aut judicis ecclesiastici auctoritas; jura enim loquuntur de haeresi. Sed alii generatim affirmant, quia schisma non tantum est immane scelus, sed etiam per se seducere potest.

[1] S. Alph., L. VI, 966.

[1] Separatione facta, si alter conjugum est infidelis, vel haereticus, proles semper apud fidelem est educanda, quamvis fidelis fuerint in culpa.—Secluso hoc casu, proles relinquenda est apud partem innocentem. Expensae autem aut omnes, aut saltem ex majori parte faciendae sunt a parte rea, praecipue si in culpa est pater. — Ceterum observanda sunt quae hac in re statuat Codex Civilis. (S. Alph., L. VI, 976).—Vide Cod. It., a. 150, 154, 158.

inimicitiae inter consanguineos, etc. [1]. Unde rarus, vel rarissimus erit casus in quo pars innocens teneatur divortium facere [1].

815. — *Q.* Facto divortio, conjuges possunt ne Religionem ingredi, aut sacros Ordines suscipere?

R. Si divortium factum sit privata auctoritate, nego. Si vero auctoritate juridica, tunc conjux innocens potest, etiam altera parte invita, Religionem ingredi, vel sacros Ordines suscipere. Coniux autem reus potest: — 1° si innocens statum irrevocabilem jam susceperit; — 2° si consentiat innocens et sufficit etiam consensus tacitus, v. g., si innocens sciens alterum statum mutare, eum non impediat, cum commode possit; — 3° si reus pluries petierit veniam ab innocente, et iste recusaverit;—4° si post biennium reus non revocatur, quia tunc innocens censetur in hoc ei consentire, jure sic disponente [2]. — Hisce casibus exceptis, si reus sacerdotium susciperet, vel Religionem ingrederetur, posset ab innocente, etiam post professionem, revocari; et in hoc ultimo casu debet redire, sed non potest petere [3].

816. — *Q.* Facto divortio, innocens potest ne alterum cogere ut ad se redeat?

R. Si divortium propria auctoritate factum sit, certe potest. Si vero factum sit per sententiam judicis, tunc disput. Th., sed probabilius affirmant; secus sententia judicis non esset in favorem innocentis, sed in ejus detrimentum.—Attamen pars adultera non esset cogenda ad revertendum si rationabiliter timeatur quod domi recepta nimis dure vel etiam crudeliter tractetur.

Quod si pars innocens postea et ipsa adulterium committat, tenetur conjugem ad se revocare, si divortium non fuerit juridice factum, quia amisit jus ad divortium. Si vero divortium factum sit per sententiam judicis, tunc disput. Th. an amittat jus ad divortium. Alii affirmant, quia injuria jam est compensata, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire. Plures tamen negant, quia per sententiam absolute latam jam innocens absolutus mansit a servitute, et adulter jure suo privatur [4].

817. — *Q.* Quomodo se gerere debet confessarius si conjux divortium facere intendat?

R. Cum ex divortio innumera oriantur mala, tum quoad ipsos conjuges propter incontinentiae periculum, tum quoad filios qui nonnisi aegre ferre possunt parentum divisionem, tum quoad ceteros propter facile scandalum, ideo confessarius sequentes regulas teneat:

1ª Sit valde cautus in divortio consulendo vel permittendo, imo omnem operam insumat, quantum in se est, ut conjuges a divortio avertat.

2ª Caveat ne facilius credat uxorum praesertim adversus viros querelis aut suspicionibus ad separationem obtinendam; tum quia saepe saepius (prout experientia docet) solent aerumnas suas exaggerare ut jugo maritali subtrahantur, tum quia plerumque ipsae in causa sunt cur mariti irascantur

[1] S. Alph., L. VI, 963.
[2] S. Alph., L. VI, 969.
[3] S. Alph. Hom. Ap., T. XVIII, 97.
[4] S. Alph., L. VI, 967.

propter earum vel procacitatem, vel erga viros inobservantiam.

3ª Cum non raro divortia a minimis incipiant, omnem idcirco diligentiam adhibeat, ut principiis obstet, animos conjugum reconciliando, patienter illorum querelas audiendo, eorumque iras sedare nitendo, praesertim ex sanctorum exemplis et ex conditione humanae naturae, a qua in quolibet statu vel consortio vitia et defectus sunt inseparabiles.

4ª Si hisce non obstantibus curis, conjuges divortium facere contendant, tunc si causa non est sufficiens, nullo modo permittat, et partem, quae obedire recusat, inabsolutam dimittat.

5ª Si autem causa est vere sufficiens, sed separationem necessariam non reddit, conjuges ad reconciliationem vehementer hortetur. At si separatio necessaria videtur, et causa admitti potest in foro civili, suadeat ordinarie ut expectetur sententia. Et si admitti nequit, maxime cautus sit ad vitandum scandalum et Episcopum consulat.

6ª Demum, pars innocens a Sacramentis non est arcenda: sed pars, quam publice constat ream esse, ad Sacramenta admitti nequit, nisi prius scandalum reparet et vitae consortium cum conjuge restituat.

ART. VI.

De lege civili circa matrimonium.

818. — *Q.* Contractus civilis est ne verum matrimonium?

R. Quum matrimonium sit contractus naturalis a Deo ante omnem civilem societatem institutus et formatus, patet quod matrimonium esse nequit contractus mere civilis [1].

[1] Locis in quibus Auctoritas civilis ab omni dependentia, Auctoritatis religiosae se exemit, judex catholicus aliquoties cogi potest ad sententias proferendas juxta leges civiles, quae vel ex se, vel ex modo quo debent applicari conscientiae suae repugnant. Hinc angi potest Confessarius in excipienda ejus confessione.

Ante omnia igitur observari oportet quod extant leges quarum aliae dissentiunt a jure tantum ecclesiastico, aliae a jure ecclesiastico divino, et aliae a jure naturali. Hae autem leges duplicmodo ab hisce juribus dissentire possunt, vel praecipiendo prohibita, vel illicita tuendo.

Judex ergo potest aliquando cogi a lege ad actus contrarios quidem legibus ecclesiasticis, sed in quibus Papa dispensare potest, v. g. in lege spectante immunitatem ecclesiasticam, dominium et administrationem bonorum ecclesiasticorum: quae leges, quamvis fundamentum habeant in jure divino vel naturali, sunt tantum sub Papae potestate. Hoc in casu judex catholicus ad S. Sedem vel ad Episcopum recursum habebit, facultatemque postulabit ad agendum secundum leges vigentes, sicque, obtenta licentia, quae facile pro circumstantiis conceditur, proprio officio fungi poterit, quin leges ecclesiasticas violet, quin censuras incurrat.

Si vero agatur de legibus quae a jure divino vel naturali dissentiunt, quae, v. g. sacerdotem cogerent ad Sacramenta indigno administranda, vel concubinam compellerent ad cohabitandum cum amasio vi pacti initi, manifestum est judicem quaeque damna sive publica, sive privata subire debere, et etiam officium dimittere potiusquam sententiam ferre in favorem rei intrinsece malae.

Ergo matrimonium improprie tantum dici potest contractus civilis, hoc nempe sensu quia a Deo institutum fuit ad societatem civilem efformandum, augendam et conservandam, et quia, praeter traditionem corporum et vinculum naturale, quosdam effectus civiles et mere accessorios producit, v. g. circa bona conjugum, successionem filiorum, etc.: quae omnia, ut patet, ad intrinsecam naturam matrimonii non pertinent.

Contractus civilis igitur non est nisi quid accidentale matrimonio superadditom; unde consequitur quod, sublato in matrimonio contractu illo naturali a Deo instituto, necessario aufertur etiam contractus civilis; sed, sublato contractu civili, non tollitur contractus naturalis, ideoque nec matrimonium. Hinc plurima fluunt consectaria maximi momenti circa jura et officia potestatis civilis de matrimonio.

819.—*Q.* Licet ne observare leges civiles circa matrimonium?

R. Distinguo: Si leges civiles adessent quae juri divino et ecclesiastico circa matrimonium *intrinsece et essentialiter* repugnant, tunc non liceret eas observare, nec ad earum observantiam concurrere; ratio, quia earum observantia esset quid intrinsece malum.

Si vero hujusmodi leges *extrinsece* tantum, seu *ex intentione legislatoris*, juri divino aut ecclesiastico repugnent, tunc absque justa causa nec eas observare licet. Posita vero justa et proportionata causa, licet sive ipsis se conformare, sive ipsis mediate tantum cooperari; - ratio, quia actus qui in his casibus ponuntur, non participant essentialiter de malitia legis civilis, ideoque non sunt intrinsece mali (V. dicta *de cooperatione materiali*, Vol. I, n. 462 et seq.).

Hinc si aliqua lex civilis gravem poenam statueret contra eos qui matrimonium religiosum contraherent, antequam se sisterent coram Officiali Gubernii, tunc hanc legem observare liceret, quia haec lex civilis, etsi impia sit ex intentione legislatoris, non est tamen intrinsece et essentialiter mala, modo tales contrahentes omnem diligentiam adhibeant, ut matrimonium coram Ecclesia quam primum contrahant, atque interim sejuncti vivant. (Instr. S. Poenit. circa Matr., n. 6).

820. — *Q.* Expedit ne civilem caeremoniam matrimonii adimplere?

Quare in caso quo mulier viro ligata sit matrimonio tantum civili dicto, judex nunquam posset mulierem obligare ad cohabitandum cum tali viro, neque satellites mittere ut ipsam ad hujus viri domum vi traducant, quia in hoc casu violentiam ipsi mulieri facerent ad peccandum, quod esset intrinsece malum; poterit tamen mulctis a lege statutis damnare, si judex aliter se liberare nequit absque suo gravi damno; tunc enim judex sententia sua nil aliud mulieri dicit nisi: *Tu, mulier, postpositis obligationibus christianis, matrimonium civile tantum iniisti, sicque temetipsam in necessitate constituisti vel peccandi, vel poenam subeundi; nunc ergo si peccatum vitare velis, ut ex lege divina debes, mulctam hanc patienter recipe ut solvas poenam illius tuae malae actionis.* Cl. *Frassinetti*, nota n. 96.

R. Quum talis caeremonia juri divino et ecclesiastico circa matrimonium non repugnet, non solum licet, sed etiam expedit ut fideles se sistant coram magistratu civili ad actum legalem observandum et ad se probandos coram lege uti legitimos conjuges, praesertim si a lege pendeat valor matrimonii in foro externo. Unde Leo XIII, in Encycl. *Arcanum divinae sapentiae*, ait: « Sponsis licet hac in re (nempe in matr.) morem legibus gerere, ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ».

Attamen fideles se Officiali civili sistendo sciant exercere tantum actum mere civilem, et hoc in obsequium legis, non autem verum et proprie dictum matrimonium contrahere; et sciant nunquam ipsos esse veros et legitimos conjuges, nisi postquam matrimonium coram parocho et duobus testibus rite celebraverint. (Instruct. S. Poenit., n. 5).

Parochus vero qui fideles noscet aliquo impedimento civili ligatos, proindeque a lege uti legitimos conjuges non habituros, eos ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia non admittat, sed prius Ordinarium, quid agendum sit consulat (Instr. Sacrae Poenit, n. 7) [1].

[1] En impedimenta *dirimentia* a jure civili inducta in Italia et Gallia:

1° Vir 18°, mulier 15° aetatis anno nondum expleto matrimonium contrahere nequeunt (Cod. It., a. 55; Gall., a. 144).

2° Qui matrimonio legitime inito ligatus est, non potest valide aliud contrahere (Cod. It., a. 56; Gall. n. 147).

3° Filius qui nondum 25um aetatis annum, filia quae nondum 21um expleverint, matrimonium inire nequeunt absque consensu parentum: consensus tamen patris, si mater dissentiat, satis erit. Si ex parentibus alteruter decesserit, vel impeditus fuerit quominus consensum edat, alterius consensus sufficit. Si uterque parens decesserit, aut sit in ea conditione, ut voluntatem suam aperire nequeat, in eorum locum avus et avia subrogantur. Si inter avum et aviam, qui ejusdem linea sint, dissensns oriatur, consensus avi satis erit. Si inter duas lineas dissensus existat, haec sententiarum diversitas pro consensu habebitur. Quoties pater et mater, avi et aviae desint, aut voluntatem declarandi impotes sint, liberis utriusque sexus, qui uno supra vigesimum primum aetatis anno minores sint, nuptias inire prohibetur, nisi accesserit consensus *consilii familiae*, si sint legitimi et minime agniti (Cod. It., aa. 44-66; Gall., aa. 148-150, 158-160).

4° In recta linea nuptiae vetitae sunt inter consanguineos et affines in infinitum (Cod. It., a. 58; Gall., a. 161).

5° In linea transversali nuptiae contrahi nequeunt inter fratrem et sororem eorumque conjuges; inter avunculum, patruum et neptem; ac inter amitam, materteram et nepotem (Cod. It., a. 60; Gall., a. 163).

6° Matrimonium prohibetur inter adoptatum et adoptantem, ejusque descendentes; inter ejusdem adoptantis liberos adoptivos; inter adoptatum et adoptantis filios, qui essent nascituri; inter adoptatum et adoptantis conjugem, et vicissim inter adoptantem et conjugem adoptati (Cod. It., a. 60; Gall., a. 348).

7° Nullum est matrimonium, si consensus deficiat (Cod. It., a. 105; Gall., a. 146).

821. — *Q.* Licet ne Syndico ad matrimonium civile admittere: —1° quos certo comperit hac sola civili caeremonia contentos fore;— 2° vel quos cognoscit non posse in conscientia matrimonium civile contrahere utpote jam matrimonio religioso cum alia persona ligatos vel ob professionem religiosam, aut ob sacros ordines impeditos?

R. Ad 1um. — **1.** Si Syndicus liber est eos admittere, nec ex lege tenetur et quidem sub gravi poena, tunc eos admittere nequit, quia sine gravi causa nunquam licet nec materialiter quidem peccato alterius cooperari.

2. Si vero ex lege tenetur eos admittere et quidem sub gravi poena, tunc ante omnia tenetur et quidem sub gravi eos monere ut etiam coram parocho contrahant, modo monitio sit moraliter possibilis et profutura censeatur.

3. Si autem tenetur ex lege eos admittere, et monitio vel non est possibilis, vel non censetur profutura, tunc Syndicus eos admittere potest, quia talis caeremonia civilis non est cooperatio formalis, sed *materialis* tantum peccato contrahentium; cooperatio autem materialis licita est cum hisce tribus conditionibus [1]: *a*) ut actio non influat in pravam voluntatem peccantium; *b*) ut actio sit per se bona aut saltem indifferens; *c*) ut interveniat causa gravis et proportionata. — At vero hae tres conditiones adsunt, nam: 1° talis caeremonia civilis nullomodo influit in pravam voluntatem sic contrahentium, isti enim liberi semper sunt contrahere etiam coram parocho; 2° talis caeremonia inter personas solutas non est per se mala, et ab Ecclesia etiam permittitur; imo quoad effectus mere civiles est etiam bona; 3° adest gravis et etiam gravissima causa; remoto enim Syndico catholico, administratio publica penes Syndicum irreligiosum revolveretur cum magno damno publico, sive morali sive materiali.

Ad 2um. Syndicus huic matrimonio assistere nequit, quia ejus cooperatio videtur formalis; iste enim casus est omnino diversus a casu antecedenti.[2] Et sane, in primo casu lex civilis civem semper liberum relinquit propriae conscientiae consulendi, et propria officia religiosa adimplendi. E contra in secundo casu lex civilis sua legali et formali sanctione auctoritatem praeberet religioso, vel sacerdoti, vel conjugi matrimonio religioso jam cum alia persona ligato, mulierem in uxorem habendi contra omne jus divinum et ecclesiasticum, et non

Praeterea jure nostro Italico: — *a*) matrimonium contrahere nequeunt interdicti propter animi imbecillitatem (Cod., a. 61); — *b*) qui in judicio criminaliter convictus fuit reus vel complex patratae aut attentatae occisionis unius conjugis, non potest cum altero conjuge matrimonium inire (Cod., a. 62); — *c*) error circa personam, et impotentia antecedens simulque perpetua obstant quominus matrimonium validum contrahatur (Cod., aa. 105, 107).

Impedimenta civilia *impedientia* fere communiter recepta haec sunt: 1° defectus denuntiationum in foro civili; 2° conditio militaris, nisi veniam concedat qui rei militari praeest; — 3° status viduitatis: vidua scilicet non potest ad novas nuptias convolare, nisi post decem menses a morte prioris conjugis, vel nisi interea pepererit; partus enim statim impedimentum tollit.

[1] S. Alph., L. II, 59.

[2] Vide *Gennari*, Cons. Mor., p. 186...

solum auctoritatem praeberet, sed etiam, quantum in se est, compelleret ad cohabitandum cum concubina; ideoque talis formalitas civilis positive influeret in pravam aliorum voluntatem, eos animosiores ad malum reddendo, unde esset res essentialiter et intrinsece mala; ideoque cooperatio formalis. Imo in postremo casu magistratus civilis non solum rem omnino illicitam ageret, sed etiam injuriosam legitimae mulieri et filiis ab ea genitis; nam ipsi jus strictum habent ne alius viro et patri auctoritatem et facultatem praebeat illos injuste deserendi; unde etiam ad damna, in defectu viri, teneretur, utpote ipsorum causa culpabilis, injusta et efficax [1].

822.—*Q.* Licet ne divortium ab auctoritate civili petere?

R. Praemitto: Jus civile aliquando divortium quoad thorum et habitationem permittit; imo in aliquibus regnis aliquando etiam divortium quoad *vinculum* permittit, et conjugibus libertatem dat alias nuptias contrahendi. Hoc praemisso:

1. Id per se non licet, nam causae matrimoniales, non ad forum civile, sed ad solos judices ecclesiasticos spectant, quia in matrimonio fidelium nunquam separari potest contractus a Sacramento; unde Trid. definivit: *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anath, sit* [2].

2. Per accidens vero in regnis ubi requiritur matrimonium civile dictum licet, dummodo tres sequentes concurrant conditiones; nempe:—1° ut conjuges catholici tribunal ecclesiasticum adire nequeant; — 2° ut sententia tribunalis civilis nullum alium habeat effectum quam separationem quoad thorum tantum et cohabitationem — 3° ut judicio Episcopi adsint justae causae talis separationis.— In dubio vero de justitia causae Episcopus ad S. Sedem recurrere debet [3].

[1] Nec quis dicat quod S. Alph. (L. II, 64, 4) admittit quod famulo licet subjicere humeros vel deferre scalam domino ascendenti ad fornicandum: nam hoc admittit in solo casu quo famulus adstringatur ad illam cooperationem *metu mortis*; quo in casu cooperatio famuli nullomodo influit in pravam voluntatem domini, nec dominum animosiorem ad peccatum reddit, nec adstringit ad ascendendum; dum in nostro casu lex civilis vere influit in pravam voluntatem sic contrahentium, quia non solum eos tuetur in tali cohabitatione, sed etiam, quantum in se est, adstringit.

Interrogata autem S. Poenitentiaria a quodam Italiae Episcopo utrum Syndicus vi muneris sui assistere deberet matrimonio civile cujusdam civis jam alio matrimonio in facie Ecclesiae celebrato obstricti; respondit: Praefatum Syndicum non posse suam assistentiam praestare actui, qui tantopere matrimonii sanctitati adversatur. Proinde quaecumque sint casus circumstantiae, debet suam assistentiam omnino denegare etiamsi futurum esset, ut suo ideo muneri renuntiare cogeretur. — *Marc* Ed. 1888, p. 586.

[2] Sess. XXIV. c. 12.

[3] S. C. R. et U. L. 19 dec. 1860 ad dubium: *Utrum liceat advocati et actoris partes agere, quando finis litis est simplex separatio absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa trahente?* — Respondit. — *Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quoad thorum et mensam, et dummodo sententia hujus tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem praedictam posse toterari, ut catholicus in eo foro actoris et advocati partes agat, et dummodo adsint justae separationis causae*

3. Nunquam autem petere licet a judice civili divortium quoad *vinculum*, nempe ea intentione ut per ejus sententiam ipsum vinculum matrimonii solvatur et facultas obtineatur alias nuptias contrahendi; - ratio, quia lex quae hoc divortium statuit est intrinsece et essentialiter mala.

823. — *Q.* Sed licet ne tale divortium legale petere non ex intentione vinculum matrimonii solvendi, sed solos effectus civiles obtinendi tali sententiae extrinsecos [1] ?

R.—**1.** Si matrimonium contractum nullum fuit ob aliquod canonicum impedimentum, tunc certe licet. Sacra enim Congr. S. Off. 9 sept. 1824 respondit: «Poscenti novum cum alio inire matrimonium, suggerere quod et sibi prius consulat et ipsi Parocho, agendo scilicet ut et sibi civilis reddatur libertas, et Parocho nihil sit inde mali obventurum , non id esset civilis repudii morem approbare, dummodo rite instruatur postulans id non ideo fieri, ut solvatur matrimoniale vinculum , quia nullo jam vinculo detinetur, sed tantum ut se ac Parochum a legalibus poenis civilibusque vexationibus redimat ».

2. Si vero matrimonii vinculum coram Deo subsistat , tunc catholico non licet divortium civile quaerere etiam ad ejus solos effectus civiles obtinendos; ratio quia petere hanc sententiam divortii civilis esset absolute et intrinsece malum. Talis enim civilis sententia , invalide quidem , sed tamen matrimonii vinculum impugnat et ab usurpata auctoritate procedit in contemptum juris divini; et licet divortium postulans non intendat ex illa sententia libertatem alias nuptias contrahendi , haec tamen ejus intentio usum tantum afficit sacrilegae sententiae , sed ejus naturam non mutat et lapsu temporis posset etiam praedictam intentionem mutare , sicque via aperiretur ad alias nuptias contrahendas.[2]

Quod autem diximus de conjuge idem dicendum est de ejus advocato vel procuratore, quia hi non personam judicis, sed clientis repraesentant; ergo id omne et solum ipsis licet, quod clienti licet[3].

Quoniam vero in Gallia statutum fuit per legem 27 julii 1884 divortium etiam quoad vinculum, nonnulli Galliarum Episcopi petierunt a S. C. R. et U. I. «An attentis gravissimis rerum , temporum ac locorum adjunctis, tolerari possit ut magistratus et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur ». Et S. Congr. 25 junii 1885 respondit : *Affirmative*

judicio Episcopi , qui si quid habeat praeterea dubii ad S. Sedem recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones.—Monit. Eccles., v. 4. p. I. pag. 274.

[1] Questio est de petitione, nam omnes concedunt conjugi catholico licitum esse se defendere etiam in causa divortii, si alter conjux actionem intenderit; quia in tali casu cooperationem nonnisi indirectam et materialem praebet sententiae quae a judice proferenda est. Hinc ad dubium propositum: Utrum advocatus catholicus possit defendere causas partis conventae contra actorem vinculi solutionem exquirentem ?

Responsum fuit : *Dummodo Episcopo constet de probitate advocati , et dummodo advocatus nihil agat quod a principiis juris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari.* S. C. R. et U. I., die 3 apr. 1878.

[2] Vid. *Marc*, n. 2126, 5°.

[3] S. Alph., L. V. 223.

cum sequenti tamen conditione, nempe : *Dummodo ita animo comparati sint, tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem.*

Quum autem ex hisce verbis nonnulli Th. opinarentur licere divortium legale petere non ex intentione vinculum matrimonii solvendi, sed ad solos effectus civiles obtinendos, iterum quaesitum fuit :

1.° « An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, juxta quam satisfacit conditioni praecitatae judex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti omnino abstrahit, et applicans legem civilem pronuntiat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem obrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae ? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico juri non repugnans ?

2.° « Postquam judex pronunciavit locum esse divortio, an possit Syndicus (gallice, *le Maire*) et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia ?

3.° « Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars ? ».

Eadem S. Congregatio die 27 maji 1886 rescribi mandavit: Ad primum, secundum et tertium : *Negative.* — Et S. Pontifex Leo XIII hasce resolutiones approbavit et confirmavit [1].

[1] Casus S. Poenitentiariae propositus, N... Lucionensis, cujus matrimonium validum fuit coram Ecclesia, divortium postulavit, juxta nefandam legem quae nunc viget in Gallia, jamque judices civiles pronuntiarunt locum esse divortio. —Coniux N... ut fert art. 264 legis praedictae, mox se sistet cum alio conjuge coram Syndico, ut ille pronuntiet divortium. Si autem Syndicus pronuntiare recusaverit, absque dubio magistratu spoliabitur, quo valde periculosum erit rei catholicae, cujus strenuum defensorem Syndicus ille se semper probat.

Quaeritur an, propter gravissimas circumstantias rerum, temporum et locorum, ille Syndicus possit pronuntiare divortium civile, modo :

1° Catholicam doctrinam de Matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur;

2° In ipsa sententia, et tanquam magistratus loquens, publice declaret se solos effectus civiles solumque civilem contractum abrumpere velle, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia ?

Sacra Poenitentiaria Ven. in C.to Patri Episcopo Lucionen. ad praemissa respondet, eumdem in hoc casu particulari, si inspectis omnibus ejus adjunctis ita in Domino expedire judicaverit tolerare posse, ut Syndicus orator ad actum de quo in precibus procedat cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut locum verborum : *Solumque civilem contractum abrumpere velle*, ponat : *solumque civilem contractum spectare posse.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 24 septembris 1887.

Alia declaratio S. Poenit. circa supra relatum Rescriptum.

E.me ac R.me Domine,

Joannes Ludovicus Robert, Episcopus Massiliensis, Sacram Em. Tuae Purpu-

CAPUT III.

De impedimentis matrimonii

ART. I.

De potestate Ecclesiae circa impedimenti.

824.—*Q.* Ecclesia habet ne potestatem statuendi impedimenta matrimonii ?

R. Ecclesia potestatem habet statuendi impedimenta matrimonii sive impedientia, sive dirimentia. De fide autem est quod Ecclesia non solum potest impedimenta dirimentia constituere, sed etiam quod in iis constituendis non erravit. En canon Trid.: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel iis constituendis errasse ; anath. sit.* — Duo ergo copulative Ecclesia de fide definivit: 1° *jus* seu potestatem constituendi impedimenta; 2° *factum* seu Ecclesiam in iis constituendis non errasse. Sensus autem genuinus hujus canonis est Ecclesiam posse impedimenta constituere non ex tacito vel expresso Principum consensu ; sed ex originaria et propria potestate a Christo ipsi tradita. Trid. enim Protestantes refellere intendebat, qui admittebant quidem Ecclesiam posse impedimenta constituere, sed negabant ipsam id proprio jure facere posse. Hoc clare constat sive ex mente Trid. sive ex Bulla « *Auctorem fidei* » Pii VI.

Praeter Romanum Pontificem nemo potest impedimenta iuris ec-

ram deosculans, humiliter exponit ut infra :

Repetitis licet vicibus Sanctae Sedis oraculum quid sentiendum sit declaraverit, de actu civilis judicis divortii sententiam inter conjuges ferentis legitimo matrimonio coram Ecclesia inito conjuctos, theologorum in Galliisimo et Episcoporum unus in interpretandis S. C. decretis non est sensus. Major etiam animarum confusio facta est, ex quo publicae ephemerides S. Poenitentiariae responsum evulgarunt die 24 septembris 1887 Episcopo Ord. Lucionensi datum, nimirum Syndicum, in casu, praemissis utique debitis declarationibus, divortium pronuntiare tolerari posse : quod responsum in periodico *Le Canoniste Contemporain* scriptor aliquis ita interpretatus est, ac si decreto aequivaleret permittendi generatim Syndico, ut, praemissis debitis declarationibus, divortium in casu simili pronuntiet. Et aliunde ex quo idem responsum publici juris factum est, magis magisque invaluit opinio actum judicis divortii sententiam ferentis atque Syndici illud pronunciantis, dummodo praemittantur praescriptae declarationes, non esse juri divino contrarium, nec proinde malum intrinsecum.

Quapropter praedictus orator, utpote quia hucusque oppositam sententiam ex decretis a S. R. U. Inquisitionis hac de re latis, tanquam unice veram tenebat et docebat, supplex, ut propriae in obeundo Episcopali suo munere conscentiae consult, responsum super duplici sequenti dubio expostulat.

I. Utrum ex memorato S. Poenitentiariae ad Episc. Ord. Lucionen. rescripto deducere liceat, universim Syndicos, in Gallia. qui secus Officio suo cedere cogerentur, praemissis debitis declarationibus, divortium inter conjuges, in facie Ecclesiae ligatos, tuta conscientia pronuntiare posse ?

II. Utrum idem dici valeat de judice civili, inter similes conjuges, et sub iisdem declarationibus, divortii sententiam ferente ?

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, ad proposita dubia respondit :

Ad I. Sacra Poenitentiaria in rescripto de quo agitur, edendo, id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro ejus circumstantiis et exigentiis provideret.

Ad II. *Negative.*

Datum Romae, in Sacra Poenitentiaria, die 4 junii 1890.

—

clesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit. **Can. 1040.**

Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat.

Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis. **Can. 1038.**

Consuetudo novum impedimentum inducens, aut impedimentis existentibus contraria reprobatur. **Can. 1041.**

Ordinarii locorum omnibus in suo territorio commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu particulari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante.

Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest. **Can. 1039.**

825. — *Q.* Auctoritas civilis etiam suprema potest ne constituere impedimenta dirimentia quoad matrimonia?

R. Quoad *baptizatos*, negative; et constat praesertim ex sequentibus verbis Encycl. « *Arcanum* » Leonis XIII:

« Cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non Principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium ».

Quoad *infideles* vero, disput. Th.. Sed sententia nunc communior etiam negat, quia matrimonium, ut dictum fuit, est sua vi, sua natura sacrum [1].

825bis. — *Q.* Ignorantia impedimenti excusat ne ab illo incurrendo?

R. Negative, quia impedimenta habent rationem inhabilitatis ob bonum commune. Th. tamen disput. de impedimento criminis, et communiter etiam negant, quae sententia maxime cohaeret praxi Poenitentiariae et Datariae Apostolicae. Adest tamen sententia contraria quae tenet hoc impedimentum habere principaliter rationem poenae, quae poena quum sit ecclesiastica et extraordinaria, quae nempe per se ne in confuso quidem praevideri potest, ab ignorantibus non incurritur. Et haec sententia juxta Ballerini [2], D'Annibale [3], est satis probabilis; et Lehmkuhl [4] scribit: Probabile est, seu practice certum, impedimentum hoc pro ignorantibus non adesse, dummodo neuter complex legem ecclesiasticam scriverit.—Igitur in *praxi* si ante matrimonii celebrationem tempus ferat dispensationem petendi, ipsam petere convenit; secus, si dilatione celebrationis matrimonii gravia incommoda orirentur, et ambo sponsi poenam ignorent et in bona fide sint, haec sententia teneri potest.

826. — *Q.* Peccat ne graviter qui scienter contrahit matrimonium cum aliquo impedimento?

R. Affirmative. Impedimentum

[1] *Marc*, n. 1997; Vid. *Génicot*, II, 467.
[2] Opus Th. Mor., vol. VI. 1044.
[3] Vol. III, 442.
[4] Vol. II, 770.

impediens continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium ; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.

Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

Quanquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum. Can. 1036.

827. — *Q.* Licet ne matrimonium contrahere cum impedimento dubio, vel probabili ?

R. Distinguo.—Si impedimentum est *ex jure naturali aut divino*, per se loquendo non licet, quia illicitum est Sacramentum ministrare cum dubio vel opinione tantum probabili de ejus valore ; Ecclesia autem in hoc casu non potest defectum supplere, cum impedimentum ab ipsa non pendeat. Dixi *per se loquendo*, nam, urgente gravissima causa, poterit matrimonium contrahi, modo accedat declaratio S. Pontificis tamquam unici interpretis legis divinae.

Si vero impedimentum sit *ex jure tantum ecclesiastico* et post adhibitam diligentiam dubium purificari nequit , tunc iterum distinguo :

In dubio juris, seu in dubio utrum a lege adsit impedimentum necne, et opinio quod non adsit impedimentum est sat probabilis, et ut talis certe a Th. recepta , tunc cum tali dubio matrimonium contrahi licet ; quia in hoc casu non administratur Sacramentum cum opinione probabili de ejus valore, sed cum morali certitudine, nam, stante opinione probabili de jure quod non adsit impedimentum, ex antiqua consuetudine Ecclesia censetur in illo dispensare, si forte adsit.

In dubio facti autem , puta si probabiliter credatur fuisse commissam actionem quae , si vere commissa sit , induxerit impedimentum dirimens, tunc disp. Th.. Alii affirmant posse licite contrahi matrimonium, quia tunc standum est pro libertate ; sed sententia communior cum S. Alphonso et in *praxi* tenenda dicit matrimonium cum tali dubio, vel cum tali opinione probabili contrahi non posse, quia in hujsmodi probabilitate Ecclesia non praesumitur dispensare , et opinio opposita nonnullorum communiter non est recepta ut probabilis , sicut in casu praecedenti [1].

828. — *Q.* Valet ne matrimonium contractum cum impedimento *putativo* , sed non existente ?

R. Si contrahens aliquo modo dubitat de tali impedimento, tunc valet matrimonium, quia cum tali dubio ipse contrahit saltem conditionate, nempe in quantum potest.

Si vero est omnino certus, tunc matrimonium non valet, quia voluntas contrahendi matrimonium non est praedominans. Unde ad cautelam in *praxi* inducendus est ad consensum renovandum.

ART. II.

De impedimentis impedientibus.

829. — *Q.* Quaenam impedimenta impedientia ?

R. Ex Codice iuris canonici impedimenta impedientia sunt : votum implex virginitatis, votum

[1] S. Alph., L. VI, 902; *Génicot*, II, 469.

castitatis perfectae, votum non nubendi, votum suscipiendi ordines sacros, et votum amplectendi statum religiosum?

Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit. **Can. 1058.**

830. — *Q.* Quaenam aliae dispositiones ex Codice iuris canonici relate ad nuptias contrahendas?

R. Codex iuris canonici hos canones statuit:

In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est. **Can. 1059.**

Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur. **Can. 1060.**

§ 1. Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi:

1.° Urgeant iustae ac graves causae;

2.° Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;

3.° Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento.

§ 2. Cautiones regulariter in scriptis exigantur. **Can. 1061.**

Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi. **Can. 1062.**

§ 1. Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.

§ 2. Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario.

§ 3. Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia. **Can. 1063.**

Ordinarii aliique animarum pastores:

1.° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant;

2.° Si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur;

3.° Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant;

4.° Assistentes matrimonio servent praescriptum can. 1102. **Can. 1064.**

§ 1. Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt.

§ 2. Parochus praedictis nuptiis

ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis. **Can. 1065.**

Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium. **Can. 1066.**

ART. III.

De impedimentis dirimentibus, juxta ordinem quo habentur in Codice iuris canonici.

831. — *Q.* Quaenam impedimenta dirimentia?

R. Ex Codice iuris canonici impedimenta dirimentia sunt:

1.° *Aetas.*

§ 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.

§ 2. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastorem ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet. **Can. 1067**[1].

2° *Impotentia.*

§ 1. Impotentia antecedens et perpetua sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit.

§ 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.

§ 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit. **Can. 1068.**

3.° *Matrimonii attentatio (ligamen)*

§ 1. Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quanquam non consummati, salvo privilegio fidei.

§ 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit. **Can. 1069.** [2]

[1] Non possono contrarre matrimonio l'uomo prima che abbia compiuti gli anni 18, la donna i 15. Cod. civ. art. 55.

[2] Hoc impedimentum est ex iure divino positivo Novae Legis, et fundamentum habet etiam in jure naturali, ratione unitatis et indissolubilitatis matrimonii.

Qui bona fide iniit secundum matrimonium, putans priorem conjugem esse vita functum, si postea comperiat ipsum vivere, tenetur statim a secundo conjuge sejungi, et ad priorem redire.

Moralis autem certitudo de morte prioris conjugis plurimis modis comparari potest; v. g. ex testimonio legitimi magistratus ecclesiastici, aut civilis, vel alterius personae publicam auctoritatem habentis vel parochi testantis de sepultura, ex dicto duorum testium fide dignorum asserentium se vidisse obitum, vel sepulturam, etc.. Non sufficit vero ad moralem certitudinem constituendam sola absentia, etiam longa, compartis; nec ordinarie unicus testis de visu, vel plures de auditu, nec sola fama, nisi concurrant conjecturae quae

4.° *Disparitas cultus.*

§ 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014 pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam. **Can. 1070** [1].

Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060-1064 praescripta sunt applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus. **Can. 1071.**

5.° *Ordo sacer.*

Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti. **Can. 1072.**

Ut *Ordo* matrimonium dirimat requiritur ut sit Ordo *sacer*, seu maior, et sit libere susceptus, nam si ex metu gravi susceptus fuerit non dirimit matrimonium. Ad hoc tamen licite contrahendum requiritur Rescriptum gratiae, seu declaratio S. Sedis.

Impedimentum hoc probabilius et communius est tantum iure ecclesiastico.

6.° *Votum.*

Item valide matrimonium attentant religiosi qui vota solemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi. **Can. 1073.**

Voti nomine hic intelligitur votum solemne castitatis valide emissum per solemnem professionem religiosam in religione approbata [2].—Hoc autem votum castitatis matrimonium certe dirimit, ut constat ex pluribus locis

vehementem praesumptionem constituant.

Quoties vero testimonia, quae absolutam certitudinem de morte conjugis faciant, haberi non possint, res Episcopi judicio subjici debet, nec eam parochus per se componere potest. (V. Instr. C. S. Off. 13 maji 1868; et S. C de Sacram., 12 martii 1910).

[1] Ex Can. 1014. Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127.

Ex Can. 1127. In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

Disparitas cultus seu Religionis alia est *propria*, cum nempe unus est baptizatus alter vero non, et alia est *impropria*, quae dicitur *religio mixta*, e. g. unus est catholicus alter est haereticus vel schismaticus.

Hoc impedimentum indictum est ob periculum perversionis et est tantum ex iure ecclesiastico.

In dubio de baptismo unius partis S. C. S. O. 10 Jul. 1840 sic respondit:

« Quoad haereticos, quorum sectae Ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.

« Quoad alios, qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma quoad matrimonii valorem. (Intellige *quoad matrimonii valorem*; quod non impedit, quominus pro circumstantiis, si de conversione sic baptizati agatur, ad cautelam sub conditione baptismus iteretur).

Haec autem accipienda sunt ut patet, pro casu quo tale matrimonium initum fuit sine Ecclesiae dispensatione. Nam si haec dispensatio ante contractum matrimonium concessa fuit, censenda est ex intentione Superioris ecclesiastici valere ad tollendum directe et expresse impedimentum dirimens, quod forte ob defectum baptismi existit.

[2] Votum simplex castitatis, quod e

juris canonici. Trid. vero definivit: *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, aut Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, anathema sit* [1].

An vero hoc votum emissum per professionem religiosam matrimonium dirimat jure divino, vel solum ecclesiastico, disput. Th. Sed sententia hodie longe communior tenet matrimonium dirimere solum ex jure ecclesiastico; nam ex plurium Pontificum constitutionibus tota votorum solemnitas ex lege Ecclesiae dumtaxat provenit; quod etiam praxis Romanorum Pentificum confirmat, quia aliquoties ex gravissima causa dispensatio concessa fuit.

832. — *Q.* Ordo sacer et votum solemne emissum in professione religiosa dirimunt ne matrimonium eodem modo?

R. Negative. Ordo sacer dirimit matrimonium contrahendum, non contractum. Hinc si quis votum fecit suscipiendi ordines sacros, et postea matrimonium contraxit, peccat tantum contrahendo, sed non peccat petendo vel reddendo, quia per matrimonium contractum inhabilis fit ad ordines sacros.

Votum vero solemne emissum in professo religiosa dirimit matrimonium sive contrahendum sive contractum dummodo non sit consummatum.

Hinc si quis prius fecit votum ingrediendi religionem, et postea contraxit matrimonium, non solum peccat contrahendo, sed peccat etiam pro prima vice petendo vel reddendo, quia potest adhuc implere votum non consummando matrimonium et ingredi in religionem.

Si quis votum simplex castitatis fecit, et postea matrimonium celebravit, peccavit celebrando matrimonium, et peccat semper petendo, quia debet servare votum modo quo potest.

E contra si fecit votum non nubendi et postea contraxit matrimonium, peccavit tantum celebrando, sed nunquam peccat sive petendo sive reddendo, quia amplius nequit servare votum.

Omnia vero vota expressa reviviscunt post mortem coniugis, aut divortium perpetuum.

833. — *Q.* Clerici in sacris constituti, vel Regulares, qui matrimonium contrahere praesumunt quamnam poenam incurrunt?

R. Clerici in sacris constituti, vel Regulares, aut moniales post votum *solemne* castitatis; itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam. Can. 2388, § 1.

Ad poenam incurrendam requiritur ut contrahentes sciant quidem impedimentum dirimens, sed tamen *externam matrimonii speciem* vere intendant atque in sua actione exibeant; unde uterque contrahentium affectum maritalem, seu conjugalem saltem prae se ferre debet. — Requiritur insuper praesumptio, unde ignorantia crassa, et affectata hujus prohibitionis, aut poenae excusat.

mittitur in Societate Jesu, matrimonium dirimit: excipe si vovens sit a superiore ejectus, vel dimissus cum debita licentia, quo in casu non amplius tenet votum.

[1] Sess. XXIV, can. IX.

Haec excommunicatio non incurritur pro solis sponsalibus, sed per matrimonium.

Professi autem votorum *simplicium* perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, matrimonium etiam civiliter tantum, itemque omnes cum eis tale matrimonium contrahere praesumentes incurrunt in excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam. **Can. 2388**, § 2 [1].

7.° *Raptus.*

§ 1. Nullum potest consistere matrimonium inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit.

§ 2. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.

§ 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet. **Can. 1074.**

Requiritur violentia vel physica, vel moralis ex. gr. dolus, deceptio, metus gravis sive inferatur per se, sive per alios, nam qui per alium facit, per se facere censetur — Insuper requiritur ut raptus vel violenta detentio mulieris fiat matrimonii ineundi causa, et non explendae libidinis, vindictae etc. — Si puella abductioni consenserit, contradicentibus parentibus vel tutore, raptus matrimonium non irritat, quia tunc est raptus seductionis, et non abductionis: unde puella odiosis artibus circumventa, vel precibus importunis inducta, valide contrahit. — Hoc impedimentum durat quandiu mulier in potestate raptoris manserit, etiamsi ipsa postea consentiat. Hoc vero impedimentum est pro solo raptore, idest pro mandante, unde puella, si vult, valide nubere potest cum mandatario, quia iste non rapit matrimonii ineundi causa.

In Codice iuris canonici qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consensientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis, et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur. **Can. 2353.**

8.° *Crimen.*

Valide contrahere nequeunt matrimonium:

1.° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo; vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;

[1] Vota simplicia perpetua quae ex novo Codice can. 564, debent fieri a novitiis ad triennium in quolibet Ordine tam vivorum quam mulierum, peracta probatione, ante solemnem professionem, impediunt non dirimunt matrimonium, quia non sunt solemnia.

Haec autem vota simplicia licet sint perpetua ex parte voventis, tamen si professi votorum simplicium a Superioribus Ordinis e religione dimittuntur, et a votis in actu dimissionis, vel a S. Sede dispensationem obtinent, liberi evadunt ab omni vinculo dictorum votorum et valide et licite matrimonium contrahera possunt.

2.° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt, eorumque alter coniugicidium patravit;

3.° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt. **Can. 1075.**

Hoc criminis impedimentum contrahitur: 1.° ob adulterium cum promissione matrimonii; 2.° Ob adulterium cum attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum attentatum; 3.° Ob adulterium cum coniugicidio; 4.° Ob homicidium mutua opera commissum, etiamsi non adfuerit adulterium. Hinc:

I. Ex parte *adulterii* requiritur 1° Ut adulterium sit *verum*, unde matrimonium debet esse validum, licet non sit consummatum. — 2° Ut sit *formale*, et quidem ex utraque parte, nempe requiritur ut utraque pars cognoscat saltem alterutram esse conjugatam; et non sufficit quod uterque cognoscat se esse coniugatum, si hoc alter nesciat; quia tunc non fieret injuria eidem matrimonio [1]. — 3° Ut sit *consummatum*, nempe adsit copula perfecta; sed si copula adfuit, in foro externo uti perfecta semper praesumitur, et in foro conscientiae videndum est an fuerit ex utraque parte consummata, vel non.

Ex parte vero *promissionis* requiritur: — 1° Ut adulterium et promissio intercesserint *vivente eodem coniuge*, seu durante eo dem matrimonio; nihil autem refert quod adulterium promissionem praecedat, vel subsequatur; — 2° Ut promissio sit *seria* et *mutua*, et juxta communiorem sententiam *absoluta*, aut saltem ante mortem conjugis per conditionis eventum purificata [2], — 3° Ut non sit *revocata* ante adulterium [3].

Loco promissionis sufficeret *attentatio* matrimonii etiam per civilem tantum actum contracti. Attentatio autem matrimonii est actus quo quis, vivente legitimo conjuge suo, nuptias cum altero vel clam, vel coram parocho vel coram syndaco verbis, vel factis celebrare significat. Non est itaque merus conatus quo unus alium inducere cupit ut secum aliquando nuptias celebret; nec est determinatio ineundi connubii; nec tandem est proprie dictus concubinatus. Igitur attentatio tunc habetur v. g. quando quis, sua uxore adhuc vivente, copulam habuerit cum alia ejusdem matrimonii conscia, et ambo consensum emittunt de praesenti et volunt haberi uti conjuges. Quocumque modo attentatio fiat, esto clam, esto coram parocho et testibus, modo sit seria et acceptata ab altera parte, sufficiens est, concurrente adulterio, ad impedi-

[1] Si uterque adulter conjugatus sit, sed ambo ignorant complicem conjugatum esse, non inducitur impedimentum; contra vero si ambo sciant utriusque conjugium, duplex oritur impedimentum criminis, *Aertnys*, L. VI, 598; *Génicot*, II, 485.

[2] S. Alph., L. VI, 1037.

[3] Sicut adulterium, ita et promissio formalis esse debet; unde sicut non adesset impedimentum si adulterium fuerit ignoranter commissum, licet postea promissio scienter secuta fuerit; ita, juxta sententiam veriorem, non adesset impedimentum si adulterium fuerit quidem scienter commissum, sed post promissionem ignoranter factam, quamdiu promissor ratam eam non habuerit. *D'Annibale*, III, 439 (21).

mentum criminis constituendum [1]. Ideoque in hoc casu non solum nullum esset matrimonium attentatum ob impedimentum ligaminis; sed nullum quoque foret, si postea vellent illud revalidare, conjuge mortua, ob criminis videlicet impedimentum, quod modo exposuimus. Quae matrimonii attentatio, sive ante, sive post adulterium contingat, nihil refert [2].

II. *Ob adulterium, cum homicidio conjugis.* — Adulterium debet esse verum, formale, consummatum, ut supra dictum est. Quoad *homicidium* vero requiritur: — 1° Ut mors vere secuta sit ex facto criminoso, v. g. percussione, veneno dato ab uno adultero, vel de ejus mandato, licet altera pars inscia sit. Non sufficit autem si mors ex occasione tantum hujus facti criminosi secuta sit, puta ex incuria, vel imperitia medici.— 2° Ut adulterium praecedat mortem conjugis.—3° Ut occisio facta sit cum intenzione nubendi cum parte adultera; quae intentio probabilius manifestata esse debet per aliqua signa praecedentia: unde non sufficit si quis uxorem occidat ut liberius cum adultera agat; etiamsi ista consenserit in homicidium; nec sufficit ratihabitio occisionis [3].

III. *Ob homicidium solum*—Sed requiritur: — 1° Ut occisio facta sit utriusque conspiratione; unde sufficit si unus sit mandans, consulens, et mors prioris conjugis vere secuta sit ex actione physica vel morali alterius.—2° Ut occisio facta sit cum intentione saltem ex una parte matrimonium ineundi cum homicidii complice. — 3° Ut, probabilius, haec intentio sit alteri manifestata, vel saltem adsint sufficientia indicia hujus intentionis, puta munera, epistolae amatoriae et similia [4].

Cum autem hoc impedimentum sit tantum juris ecclesiastici locum non habet inter infideles, etiamsi dein ad fidem veniant; baptismus enim omnia delet crimina. Item, verius locum non habet si ex duobus infidelibus alter ad fidem convertatur, et vel solum adulterium, vel sola promissio facta sit post baptismum, quia utrumque contingere debet tempore habili, quo subjici possit impedimento. Item, ex solo homicidio non adest impedimentum si homicidium factum sit a parte infideli tantum, et pars fidelis particeps nullomodo fuit.—E contra si pars fidelis, promisso matrimonio, adulterat cum infideli, itemque si fidelis particeps fuit homicidii, impedimentum incurrit et per consequentiam etiam infidelis, licet indirecte, ligatur, non secus ac in impedimento disparitatis cultus contingit. Imo id verum est etiamsi uxor fidelis hoc fecerit, ut vir infidelis, inito cum ea matrimonino, ad fidem convertatur, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.

NOTA: hoc impedimentum potest esse multiplex ex duplici,

[1] Sufficit ergo matrimonium civile dictum, ac proinde hoc impedimentum incurrunt quotquot, vivente legitimo conjuge, aliud matrimonium civiliter ineunt et consummant.—*Génicot*, II, 485.
[2] *Scavini*, III, 786.
[3] S. Alph., L. VI, 1036.

[4] « Chi fu in giudizio criminale convinto reo o complice di omicidio volontario commesso, mancato o tentato sulla persona di uno dei coniugi, non può unirsi in matrimonio coll' altro coniuge ». *Cod. Civ.*, art. 62.

vel triplici capite, et tunc in libello supplici pro dispensatione impedimentum multiplex est indicandum.

9.° *Consanquinitas* seu *Cognatio.*

§ 1. In linea recta consanquinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.

§ 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanquineae in aliquo gradu lineae rectae, aut in primo gradu lineae collateralis.

Can. 1076.

834.—*Q.* Quid est cognatio et quomodo distinquitur?

R. Cognatio est *vinculum personarum*, et triplex distinguitur. Dicitur *naturalis*, seu *consanguinitas* si oritur ex generatione carnali; *spiritualis* si ex Baptismo, vel Confirmatione; *legalis*, si ex adoptione legali.

835.—*Q.* Cognatio naturalis quomodo definitur?

R. Cognatio naturalis, seu consanguinitas, quasi sanguinis unitas, definitur: *Vinculum quarumdam personarum ab eodem proximo stipite descendentium carnali generatione contractum.* Nihil autem refert an copula quae est causa consanguinitatis licita sit, vel illicita [1].

836. — *Q.* Quaenam in consanguinitate consideranda sunt?

R. Tria in consanguinitate consideranda sunt: stipes, linea et gradus.

1. *Stipes* est illa persona ex qua proxime descendunt aliae de quarum consanguinitate quaeritur. Stipes esse potest simul pater et mater, vel etiam solus pater, aut sola mater.

2. *Linea* est series personarum ab eodem stipite descendentium; et haec alia est recta, et alia obliqua, seu transerva vel collateralis. — Linea *recta* est series personarum, quarum una ab alia genita est, uti avus, pater, filius, etc.; et dicitur *descendentium* si a stipite descendamus ad posteros, et *ascendentium* si a posteris incipiendo ascendamus ad stipitem. — Linea *obliqua* est series personarum quarum una ab alia procreata non est, sed ab eodem stipite per diversas generationes descendunt, ut duo fratres; et haec alia est aequalis, si personae aequaliter ab eodem stipite distant, secus dicitur inaequalis.

4. *Gradus* est distantia consanguinitatis unius personae ab altera.

837. — *Q.* Consanguinitas quomodo computatur?

R. § 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus.

§ 2. In linea *recta* tot sunt gradus, quot generationes, seu personae, stipite dempto.

[1] Consanguinei in genere alii dicuntur *agnati* si per lineam masculinam; alii *cognati* si per lineam foeminilem descendunt. Fratres vel sorores alii dicuntur *germani* si nati ex eodem patre et ex eadem matre; *consanguinei* si nati ex eodem patre et diversa matre: *uterini* si ex eadem matre et diverso patre. Filii duorum fratrum dicuntur *patrueles*; duarum sororum *consobrini*, quasi *consororini*; filii fratris et sororis, *amitini*; et filii consobrinorum *sobrini* vocantur.

§ 3. In linea *obliqua* si tractus uterque sit aequalis tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae. Si duo tractus sint inequales tot gradus quot generationes in tractu longiore. **Can. 96.**

838. — *Q.* Quonam gradu et quonam jure consanguinitas matrimonium dirimit?

R. — I. In linea *recta* consanguinitas matrimonium dirimit in infinitum, seu in quovis gradu.

II. In linea vero *obliqua*, seu *collaterali* consanguinitas matrimonium dirimit usque ad tertium gradum inclusive; et quoad primum gradum disput. Th. an ex jure naturae, sed probabilius negant; quoad reliquos gradus solum ex jure ecclesiastico:

NOTA: Consanguinitas matrimonium dirimit etiam inter eos qui tantum ex eodem patre, vel ex eadem matre nati sunt. Item inter consanguineos ex illegitimis parentibus genitos; ratio, quia diversitas patris, vel matris, vel illegitimitas non impedit quominus carnalis consanguinitas inter eos existat. Hinc habetur cognatio carnalis, seu consanguinitas semper ac adest copula, sive licita sit sive illicita; ideoque matrimonium prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos et germanos.

839. — *Q.* Consanguinitas inter sponsos potest ne esse duplex vel etiam multiplex?

R. Affirmative, et hoc evenit: 1° quando unus vel uterque sponsorum duplici aut multiplici via, seu genealogia, a communi stipite descendit; — 2° quando ambo descendunt a duobus vel pluribus stipitibus communibus.

Porro haec multiplex consanguinitas necessario exprimenda est in supplici libello pro dispensatione obtinenda, quia singulae constituunt totidem impedimenta ad matrimonium, quoties inveniuntur inter gradus prohibitos.

840. — *Q.* Quandonam habetur duplex vel multiplex consanguinitas inter personas quae ab *unico* communi stipite descendunt?

R. — I. Quando inter ascendentes alterius ex sponsis, qui ab unico communi stipite descendunt non ultra quatuor gradus, inveniuntur *duae* personae consanguineae matrimonio copulatae, v. g. duo consobrini, habetur *duplex* consanguinitas, quia ipse duplici via e stipite communi descendit; nempe semel ex linea unius, et iterum ex linea alterius sui consanguinei, qui inter se conjuncti sunt.

II. Quando inter ascendentes alterius sponsorum inveniuntur *plures* personae consanguineae inter se copulatae, habetur *multiplex* consanguinitas: nempe quot sunt lineae per quas ipse a communi stipite descendit, tot erunt consanguinitates, et singulae in gradibus respectivis.

III. Quando ex utraque parte, seu in genealogia utriusque sponsi, inveniuntur personae consanguineae inter se conjunctae, tunc tot erunt consanguinitates, at inde impedimenta, quot sunt lineae quibus alter eorum conjungitur communi stipiti multiplicatae per numerum consanguinitatum alterius [1].

[1] Ad computandos consanguinitates et gradus respectivos, uti poterit hac regula: Designato prius schemate consanguinitatis, sumatur una ex lineis, seu ramis, communis stipitis ex parte unius v. g. sponsae, et conferatur cum singulis successive lineis, seu ramis, ex parte sponsi; idem fiat cum reliquis, si adsint;

841. — *Q.* Quotuplici modo haberi potest consanguinitas multiplex ex duobus, vel pluribus stipitibus ?

R. Inter sponsos habetur multiplex consanguinitas quando ambo descendunt a duobus, vel pluribus stipitibus communibus, et hoc evenire potest in triplici casu, nempe :

1. Quando duo consanguinei, e. g. duo fratres copulantur duabus feminis inter se etiam consanguineis, et ex iis prolem generant, eorum descendentes erunt inter se dupliciter consanguinei, quia singuli descendunt ab utroque stipite per lineam patris vel per lineam matris [1].

2. Quando quis prolem habet ex pluribus personis inter se consanguineis, e. g. pluribus sororibus, quibus successive matrimonio conjungitur, istorum descendentes erunt pariter multipliciter inter se consanguinei, prout supra dictum est.

3. Quando duo consanguinei, v. g. duo consobrini matrimonio copulantur, et eorum descendentes intra secundum gradum iterum matrimonio inter se conjungi volunt, isti duplicem habent stipitem communem, alterum proximiorem, nempe eorum avos, alterum vero remotiorem, scilicet eorum abavum et abaviam. Quare in hoc casu, uti declaravit S. C. Inq. (11 mart. 1896), triplex habetur consanguinitas ; una ratione proximi stipitis communis, duplex vero ratione communis stipitis remotioris, nempe semel ex linea avi, et iterum ex linea aviae [2].

NOTA : In casibus multiplicis consanguinitatis ratione duorum vel plurium stipitum communium, tot erunt consanguinitates quot sunt stipites. Si vero aliquis sponsorum multiplici via ab aliquo communi stipite descendit, tunc consanguinitates ex parte istius multiplicandae sunt prout dictum est de multiplici consanguinitate ratione *unius* stipitis. Cum autem in hisce casibus facile potest errari in computando numero consanguinitatum, expedit ut potius describatur schema et accludatur in supplici libello [3].

10.° *Affinitas*.

842.—*Q.* Quid est affinitas ?

R. Affinitas definitur: *Propinquitas quarumdam personarum orta ex quacumque carnali copula completa.* Nihil autem refert an haec copula habita sit cum invita, vel amente, etc., dummodo sit completa seu consummata [4], et quidem in vase naturali, unde non sufficit copula sodomitica [5].

I. Impedimentum affinitatis contrahitur inter virum cognoscen-

summa omnium dabit numerum consanguinitatum una cum gradibus respectivis (v. *Bevilacqua*. II matr. crist., n. 314).

[1] NOTA : Pater et mater non habentur instar duplicis stipitis, sed ad instar unius stipitis, quia uterque est unicum principium generationis quoad proprios filios.

[2] Vid. Act. S. Sed., t. 31, p. 635 et seq.

[3] Cf. *Bevilacqua*, n. 312 et seq.; *Génicot*, II, 478: *Aertnys*, L. VI, 570.

[4] Si puer cum puella peccavit in aetate puerili, vel si alteruter est infra aetatem pubertatis, affinitas non praesumitur, quia non censentur apti ad copulam consummatam : ita ut in dubio non censeantur impedimentum induxisse. — *Lehmkuhl*, II, 762.

[5] Ad contrahendam affinitatem certum est requiri seminationem viri. An vero necesse sit ut seminet etiam mulier, duplex datur sententia, utraque

tem et solos consanguineos mulieris cognitae, et vicissim inter mulierem cognitam et solos consanguineos viri cognoscentis.

II. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive [1].

Affinitatis impedimentum multiplicatur : 1° quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit ; 2° Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti. **Can. 1077.**

III. Affinitas variis de causis multiplex esse potest, nempe: 1° si quis copulam habuit cum pluribus compartis consanguineis ; 2° si habita fuerit cum persona quae sit comparti multipliciter consanguinea ; 3° si utraque pars copulam habuit cum persona comparti consanguinea ; 4° si plures ex hisce causis simul occurrunt [2]. — Non multiplicatur tamen si quis pluries fornicatus fuerit cum eadem consanguinea ; nam affinitas non ex actibus, sed ex personis multiplicatur [3].

IV. Ad cognoscendos gradus affinitatis haec regula tradit solet: *Quo gradu consanguinitatis quisque est junctus viro, eodem gradu affinitatis junctus est mulieri;* et vicissim : *Quo gradu consanguinitatis junctus est mulieri, eodem gradu affinitatis junctus est viro* [4].—Un-

probabilis. *Prima* affirmat, quia ex sola commixtione seminum fit una caro; *secunda* e contra negat, quia mulier generare potest etsi non seminet. Verum, cum semen proprie tale in femina non sit humor ille, qui in aestu voluptatis segregatur et exterius etiam se prodit, sed ovolum, quod ab ovario insensibiliter secernitur, etiam sine ullo voluptatis sensu, singulis fere mensibus, decidit in uterum, et virili semine in utero foecundatur si vir intra vas femineum seminaverit; difficile quidem erit pronuntiare ex parte foeminae non esse consummatum. (*Bucceroni*, II, 1003, 2°).—Ceterum ubi constet de copola perfecta commixtio seminum semper praesumitur.

[1] Cum per conjunctionem carnalem fiat una caro, consequitur quod affinitas sit quoddam vinculum naturale ad instar consanguinitatis, ita ut consanguinei unius contrahant propinquitatem cum altero conjuge, quae propinquitas affinitas appellatur. Porro quum haec affinitas sit naturale quoddam vinculum, consequitur quod infidelis qui cum legitima uxore consummavit matrimonium tempore infidelitatis, post baptismum non potest valide inire matrimonium cum consanguinea uxoris usque ad 2um gradum, quia talis affinitas oritur etiam inter infideles, et manet etiam post baptismum ; post baptismum autem subjectum est legi Ecclesiae irritantis conjuga inter affines usque ad 4um gradum. Dixi *post baptismum;* nam si ante baptismum infidelis contrahat matrimonium cum uxore fratris sui defuncti, matrimonium valet, quia affinitas illa matrimonium dirimit jure tantum ecclesiastico, cui infideles non subduntur.

Cum autem dubium sit an affinitas in 1° gradu lineae rectae ex legitimo matrimonio matrimonium dirimat jure naturae vel tantum ecclesiastico, consequitur, quod si duo infedeles in 1° gradu lineae rectae affines ex legitimo matrimonio matrimonium inter se legitime contrahant, si postea ad fidem convertantur, non essent separandi sine pontificia dispensatione. — *Ballerini*, Op. Th. Mor., Vol. VI. 1165-1167.

[2] *Marc*, 2028; *Génicot*, II, 480; *Aertnys*, L. VI, 584.

[3] Quando dispensatio petitur pro eo qui filiam ducere velit, postquam cum matre fornicatus fuerit, in dispensatione addi solet conditio, *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae*, ut sic caveatur periculum ne quis propriam filiam in matrimonium ducat; ergo si copula cum matre habita fuit post nativitatem filiae, illud periculum cessat.

[4] Ut in consanguinitate ita in affinitate distantia a remotiori gradu sumitur. Proinde nulla est opus dispensatione ex affinitate ob copulam illicitam si unus primo alter tertio gradu a stipite distat.

de vir et mulier coëuntes non sunt affines, sed stipites et veluti radices affinitatis.

VI. Affinitas non parit affinitatem; idest affinitas quam vir cobtrahit cum consanguineis mulieris, non facit illum affinem cum affinibus eorundem consanguineorum. — Hinc duo frates possunt ducere duas sorores; pater et filius possunt ducere matrem et hujus filiam, etc.

NOTA: Si uxoratus *scienter* et *culpabiliter* rem habet cum consanguinea suae uxoris in primo vel secundo gradu, vel vicissim, ex hac copula illicita contrahit affinitatem cum propria uxore, vel viro respective, et in poenam sui delicti privatur jure petendi; semper tamen debitum reddere tenetur. Dicitur: *scienter* unde ignorantia sive juris seu legis prohibentis, sive facti, sive poenae, ab hac poena excusat; *culpabiliter*, unde mulier vi oppressa excusatur, imo probabilius excusatur etiamsi per metum gravem inducta, nam in hoc casu deest culpa saltem contra legem Ecclesiae [1].

11.° *Honestas.*

Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo grado lineae rectae inter virum et consanquíneas mulieris ac vice versa. **Can. 1078.**

Impedimentum publicae honestatis contrahitur inter unam partem et consanguineos alterius partis etsi illegitimos.—Honestas est quaedem quasi affinitas non corporum, sed animorum. Hoc impedimentum inductum fuit ob aliquam decentiam morum in matrimonio servandam.

12.° *Cognatio spiritualis.*

Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat quae oritur ex baptismo Can. 1079 et impedimentum contrahunt tantum cum baptizato, baptizans et patrinus **Can. 768** [2].

Conditiones vero ad hanc spiritualem eognationem contrahendam sunt: 1° ut baptizans vel patrinus sint baptizati; 2° ut baptismus sit validus, et pro ministro sufficit baptismus privatus et in necessitate collatus, quia Sacramentum revera conficit; sed pro patrino probabilius requiritur ut sit etiam solemnis. Quod si baptismus conferatur sub conditione an adsit impedimentum disput. Th. non adest vero si tantum supplentur caeremoniae; 3° ut patrinus habeat usum rationis, et intentionem ineundi munus patrini et infantem teneat.—An vero necesse sit ut patrini in actu Baptismi infantem *physice* tangant, alii negant, sed plures affirmant ob verba, quibus utuntur canones « *suscipit, tangit, levat* ». Item disput. Th. an necesse sit ut patrini sint designati a parentibus, vel a parocho, cujus est parentes supplere. Qui vero praeter designatos infantem tetigerint, cognationem spiritualem non contrahunt. Quod si nullus fuerit designatus et aliquis tangat cum intentione suscipiendi

[1] S. Alph., L. VI, 1072-1074.
[2] Patrinus unus tantum licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur. Can. 764.

munus patrini, iste vere contrahit impedimentum. Ita S Congr.

13.° *Cognatio legalis.*

Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere. **Can. 1080** [1].

14.° *Error.*

§ 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum: 1° Si error qualitatis redundet in errorem personae; 2° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta. **Can. 1083.**

Error qualitatis redundat in errorem personae quando voluntas fertur primario in qualitatem, quia tunc illa qualitas esset obiectum consensus.

Scientia aut opinio nullitatis matrimonii vel circa indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, consensum matrimonialem necessario non excludit. **Can. 1085.**

15.° *Vis et metus.*

§ I. Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert. **Can. 1087.**

Nomine vis intelligitur violentia physica, et nomine metus intelligitur violentia moralis [2].

Ut metus matrimonium irritet, tres requiruntur conditiones: 1° Ut metus sit *gravis* et *ab extrinseco*, et quidem a causa libera, seu ab homine incussus. — 2° Ut sit *injuste incussus*, saltem quoad substantiam [3]. Metus autem *juste* incussus dicendus est, quando qui incussit jus habet tum exigendi matrimonium, tum minandi, tum exequendi quod minatur; si unum ex istis deest, *injuste* incutitur [4]. — 3° Et incussus ad *extorquendum consensum.*

Hinc metus incussus a judice juxta ordinem juris, matrimonium non irritat, quia non esset injuste incussus [5]. Item metus incussus

[1] Cod. civ. ital. sic habet: « In linea retta il matrimonio è vietato fra tutti gli ascendenti e discendenti legittimi o naturali e gli affini della medesima linea. — In linea collaterale il matrimonio è vietato: 1° tra le sorelle ed i fratelli legittimi o naturali; 2° tra gli affini nel medesimo grado; 3° tra lo zio e la nipote; la zia ed il nipote. — Il matrimonio è proibito tra l' adottante e l' adottato ed i suoi discendenti: tra i figli adottivi della stessa persona; tra l' adottato e i figli sopravvenuti all'adottante; tra l'adottato e il coniuge dell'adottante, e tra l'adottante e il coniuge dell' adottato ». *Cod. Civ.*, art. 58, 59, 60.

[2] Ad metum gravem hac duae conditiones requiruntur: prima, quod malum quod timetur sit grave in se, et non solum in vana aestimatione metuentis; secunda, quod ejusmodi grave malum certo immineat, ita ut non levi aestimatione, sed certitudine morali, seu sufficiente in actibus humanis, judicetur eventurum. *Reiffenstuel*, Tit. 40, lib. 1°, n. 18.

[3] Unde si pater, e. g. stupratorem metu mortis ad filiam suam ducendam adigat, omnes conveniunt invalidum fore matrimonium. — *Génicot*, II, 490.

[4] *Marc*, n. 2003.

[5] An si medicus nollet mederi aegrotum nisi contrahat cum sua filia, valeat

non ad extorquendum consensum, sed ad injuriam ulciscendam, matrimonium non dirimit, quia tunc non esset causa matrimonii, sed solum occasio.

An vero metus *reverentialis* matrimonium dirimat, disput. Th. Sed duae oppositae sententiae facile inter se conciliantur, nempe attendendum est utrum talis metus pro adjunctorum varietate gravis, vel levis merito censeatur: si gravis matrimonium irritat, secus si levis.

III In dubio utrum metus fuerit gravis, vel levis; injuste, vel juste incussus, judicandum est pro valore matrimonii, tum quia matrimonii causa est favorabilis, tum propter reverentiam Sacramenti.

IV. Metus si praedictas habeat conditiones, matrimonium irritat, sive metus inferatur personae in matrimonium ducendae, sive ejus propinquis; sive pro matrimonio in genere, sive pro certis nuptiis; sive inferatur ab altero contrahente, sive a tertia persona.

16.° *Clandestinitas*

Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus 1095, 1096, 1097, et salvis exceptionibus de quibus in canonibus qui sequuntur. **Can. 1094.**

Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096:

1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam [1];

2° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus. **Can. 1098.**

§ 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur:

1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati, et ad eam ex haeresi aut schismati conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt;

2° Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis, vel disparitatis cultus matrimonium contrahant;

3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.

matrimonium, disput. Th.. Plures affirmant, quia tunc metus non incutitur extrinsece a medico. sed intrinsece ab ipso morbo; sed melius alii distinguunt et dicunt quod, si medicus non tenetur ex justitia curare infirmum, tunc utique validum est matrimonium; secus si tenetur ex justitia, quia tunc metus licet principaliter oriatur intrinsece ab infirmitate, tamen oritur etiam ab extrinseco, nempe a curationis denegatione, quae vere est grave damnum. Et idem dicendum, juxta alios, si necessitas urgeret et alius non adesset, quamvis medicus tantum ex caritate teneretur ad curandum. — S. Alph.. L. VI, 1053.

[1] Quaesitum fuit S. Con.ni de Sacramentis: « Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat, qui in regionem, ubi Parochus non adest, in fraudem legis se conferat: Respondit: *Affirmative.* Die 12 mart. 1910.

§ 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili actate in haeresi vel schismate aut infedilitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint. **Can. 1099.**

843. — *Q.* Quinam intelligitur nomine Parochi quoad matrimonium?

R. Nomine Parochi, quoad matrimonium et sponsalia, venit non solum qui legitime praest paroeciae canonice erectae, sed in regionibus, ubi paroeciae erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus. (Decr. S. C. Inq. *Ne temere*, art. II.). Cum enim nunc lex clandestinitatis in toto orbe vigeat, provisum est etiam pro iis locis in quibus paroeciae proprie dictae non extant, et declaratum est inibi parochus haberi sacerdos quocumque titulo curam animarum legitime exercens.

Porro tum parochus, sensu superius declarato, tum loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt a die adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi (Dec., art. IV.). Quare parochus sive haereticus, sive excommunicatus vel suspensus sed non *publico decreto* nominatim, sive suspensus ab *ordine* tantum, vel irregularis semper valide matrimonio adsisteret.

844. — *Q.* Quaenam conditiones requiruntur ut parochus vel Ordinarius valide et licite matrimonio adsistat?

R. — 1. Ad *validitatem* matrimonii requiritur, ut parochus vel loci Ordinarius: 1° sit intra limites sui territorii, in quo matrimoniis non solum suorum subditorum sed etiam extraneorum valide adsistit;—2° adsit invitatus ac rogatus, non vi aut gravi metu constrictus; — 3° requirat et excipiat contrahentium consensum. Decr. *ne temere*, art. IV). Unde in praesenti Ecclesiae disciplina, secus ac olim ex Tridentino, *non* requiritur parochus *proprius* ad validitatem matrimonii, sed sufficit quivis legitimus pastor, dummodo sit intra limites sui territorii; e contra invalide adsisteret parochus, licet proprius contrahentium, extra paroeciam, nisi adsit consensus parochi illius loci. Praeterea debet parochus sciens et volens matrimonio adsistere; et insuper consensum exquirere et excipere. Hinc, non valeret matrimonium si parochus casu adesset, vel dolo aut metu accitus audiret tantum contrahentium consensum [1].

2. Ad *liceitatem* vero: 1° Requiritur ut constet de statu libero contrahentium, servatis de jure servandis; nempe praemissis debitis proclamationibus, et examinatis contrahentibus et testibus: unde parochus non potest matrimonio adsistere, nisi ei constet de omnibus legitime peractis. —

[1] Vide *Gennari*, Comment. in Decr. *Ne temere*.

2° Requiritur domicilium vel saltem commoratio alterutrius contrahentis per mensem in loco matrimonii ; ut scilicet celebretur matrimonium coram parocho proprio unius saltem contrahentium. Ad *quasi domicilium* vero in hoc casu non sufficit nec requiritur intentio commorandi per majorem partem anni , sed requiritur et sufficit materialis commoratio per mensem, licet sine animo ulterius permanendi. Si hoc deficiat , requiritur licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis nisi gravis intercedat necessitas excusans. — 3° Quoad *vagos* verò , qui ne per mensem quidem in loco moram duxerunt, non licet parocho eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam impetraverit, excepto casu necessitatis, supposito semper examine de libero statu contrahentium. — 4° Denique regulariter praescribitur, ut quolibet casu matrimonium coram *sponsae* parocho celebretur , nisi aliqua iusta causa excuset. Haec autem causa excusans non debet esse omnino gravis vel urgens, sed sufficit quod sit *iusta*, nempe aliqualis utilitas , decentia, etc. [1].

845. — *Q.* Sacerdos non parochus potest ne matrimonio assistere ?

R.—1. Sacerdos non parochus, qui tamen curam habet animarum in loco determinato, uti supra explicatum est, certe potest ; quia pro vero Parocho habetur in iis quae ad matrimonium spectant.

2. Ex Decr. S. C. Inq. : *Ne temere* : « Paroch s et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo ut matrimoniis intra limites sui territori adsistat.—Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho , et loci Ordinario a. IV et V superius statutas ». (Art. VI). Quare Parochus non solum per se matrimonio assistere potest, sed etiam alteri concedere potest licentiam assistendi, qui debet esse sacerdos , alioquin nullum esset matrimonium , cum Decr. dicat *sacerdoti* determinato. Parochus vero valide assisteret, etiam i non esset sacerdos.

Haec vero licentia debet esse certa , expressa , et non sufficit praesumpta; sufficit vero extorta per metum. Insuper debet esse concessa vel per se, vel per alium, et acceptata, et probabilius subsistit licet Parochus post datam licentiam mortuus sit, si ab Oeconomo, vel a successore Parochi revocata non fuerit, quia est gratia facta, quae non expirat morte concedentis. — Quod si licentia *per nuntium* data sit, tunc si nuntius fuit electus a sacerdote, statim ac haec licentia matrimonio assistendi fuit acceptata a nuntio, censetur acceptata a sacerdote, quia nuntius personam sacerdotis gerit. E contra , si nuntius fuit electus a Parocho, et interea Parochus moriatur antequam sacerdos hanc licentiam acceperit, nullum est matrimonium.

846.—*Q.* Sacerdos delegatus potest ne alterum subdelegare ?

R. Distinguo : Si sacerdos est delegatus ad uni ersitatem causarum, seu ad omnia munera parochialia obeunda, potest ad unam vel alteram causam subdelegare,

[1] Conf. Decretum *Ne temere*, art. V; et *Gennari*, Comment.

ideoque potest sacerdoti facultatem tribuere assistendi uni vel alteri matrimonio.

Si vero est delegatus tantum ad munus speciale, v. g. ad assistendum matrimoniis etc., non potest alios subdelegare, quia tunc certum munus solum ei committitur, non vero jurisdictio.—Hinc si Parochus a parochia discedens reliquit sacerdotem cum facultate omnia obeundi parochialia munera, poterit hic sacerdos alterum subdelegare ad assistendum uni vel alteri matrimonio, non vero si habuerit facultatem aliqua tantum peragendi in parochia.—Ceterum quando parochus alicui licentiam dat pro administratione Sacramentorum, vel ad supplendam per aliquod tempus parochi vicem, multo tutius est in omnibus casibus ut mentem suam clare aperiat.

847.—*Q.* Quot et quales testes requiruntur, e quomodo praesentes esse debent?

R. Testes tres vel saltem duo requiruntur. Nihil autem refert sive sponte praesentes fuerint, sive rogati pro munere testium gerendo, sive non. Nec ulla aetas aut qualitas in ipsis requiritur praeter usum rationis, ideoque valent testes quamvis sint impuberes, vel sint foeminae, vel infideles, vel parentes, etc.

Testes acatholici adhibendi non sunt in matrimonio catholicorum; possunt tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum.

Testes debent esse moraliter praesentes, ita ut audiant verba contrahentium, aut saltem percipiant data signa consensus, et haec moralis praesentia testium oportet ut sit simultanea cum praesentia Parochi.

ART. III.

De dispensationibus ab impedimentis

§ 1.°

De potestate dispensandi.

848. — *Q.* Quinam possunt dispensare ab impedimentis?

R. Praemitto: Doctrina catholica docet quod Ecclesia dispensare potest in quovis impedimento juris ecclesiastici [1]. Et sane, ipsa potest impedimenta constituere; ergo etiam in ipsis dispensare. Hoc praemisso:

I. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis juris ecclesiastici; in impedimentis vero juris divini declarare potest ea in certis circumstantiis non obligare. Hanc potestatem Papa exercet per Congregationes ad hoc deputatas [2].

[1] Trid. Sess. XXIV, c. III et cap. V, *de Ref. matrim.*

[2] Impedimenta in quibus Papa solet vel non dispensare sequentia sunt: 1° In *Voto solemni castitatis* et *Ordine sacro* non solet dispensare, vel rarissime et ex gravissima tantum causa. 2° Solet in *Crimine*, sed ex gravissima causa, modo machinatio non sit publica. 3° In *disparitate cultus*, sed difficillime in regionibus christianis. 4° In *clandestinitate*, rarissime et nonnisi post contractum matrimonium, et hoc per sanationem in radice. 5° In *cognatione spirituali*, *legali*, et etiam *carnali*, modo non sit in linea recta, nec in 1° gradu lineae collateralis. Item in *affinitate*, modo non sit ex copula licita si agatur de linea recta: quae dispensatio a consanguinitate et affinitate facilius vel difficilius obtinetur pro diversitate gradus, et gravitate causae. 6° In impedimento *publicae honestatis*, quae dispensatio, ceteris paribus, facilius obtinetur. — *Marc*, 2042.

Quoad impedimenti impedientia

Episcopus dispensare potest a proclamationibus futuri matrimonii, et a voto non reservato, et hanc dispensationem alteri delegare potest.

Quoad impedimenta dirimentia

Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate, aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus. **Can. 1043.**

In iisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1043 et solum in casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio ad norman can. 1098, n. 2. assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum. **Can. 1044.**

§ 1. Possunt ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

§ 2. Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem.

§ 3. In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti. **Can. 1045.**

Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044 de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimonium. **Can. 1046.**

Qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant. **Can. 1057.**

Dispensatio a Congr. S. Officii et a Congr. de disciplina Sacramentorum semper per Episcopum petenda est.

Dispensatio autem a S. Poenitentiaria immediate ab Oratore, vel ab eius Confessario, vel a consanguineis infra quartum gradum peti potest.

In petenda dispensatione a Congr. S. Officii et a Congr. de disciplina Sacramentorum exprimendum est nomen et cognomen Oratoris, dioecesis originis et domicilii utriusque sponsi, impedimentum, causa.

In petenda dispensatione a S. Poenitentiaria exprimendum est nomen et cognomen oratoris sub litera N. N., postea impedimen-

tum, causa, dein persona et domicilium, cui literae sunt dirigendae.

In petenda dispensatione non requiritur consensus oratorum, et etiam, iis insciis, peti potest dispensatio.

Ut autem applicari possit, requiritur oratorum acceptatio, quia beneficia invitis non conferuntur (Lig. VI. 1145).— Excipe dispensationem in radice, quae potest peti et applicari utraque parte illius ignara, quia nullo modo requiritur cognitio dispensationis ut Ecclesia tollere possit effectum legis seu obstaculum, quod obe rat efficaciae consensus, nam potestas Ecclesiae a tali cognitione est omnino independens. Quare dispensatio in radice est proprie abrogatio legis, et improprie dicitur dispensatio.

Quaesitum fuit S. Poenitentiae: 1.° Se attese le norme date dal S. Off. 28 feb. 1888, si può dall'Ordinario dell' oratore, che ha dato le testimoniali. eseguire *validamente* una dispensa, quando per errore si è detto nelle testimoniali medesime che l' oratrice era della stessa diocesi, mentre sia per origine sia per domicilio apparteneva ad una diocesi diversa. — 2.° Posto che si possa *validamente* eseguire tale dispensa, si può anche *lecitamente* senza un nuovo ricorso alla S. Sede?— S. Poenitentiaria ad praemissa respondit. *Ad utrumque affirmative, sed si error animadversus fuerit corrigatur.* Die 6. feb. 1895.

849. — *Q.* Quomodo se gerere debet parochus vel confessarius quando noverit matrimonium contractum a parochiano vel a poenitente esse nullum?

R. Si impedimentum *non est dispensabile*, et nullitas matrimonii est *publica*, absolute imponere debet separationem. Si nullitas est *occulta* utrique parti *incognita*, et a separatione prudenter timetur grave scandalum vel damnum, parochus vel confessarius prudenter sileat, et eos relinquat in eorum bona fide—Si uni parti est nota debet ei interdicere usum coniugii, et si pro ea adest grave periculum fornicandi, parochus vel confessarius debet ei imponere ut compartem dimittat — Si utrique est nota debet ei imponere separationem, vel si nullum adest incontinentiae periculum, potest eis permittere ut simul cohabitent ut frater et soror.

2.° Si vero impedimentum est *dispensabile*, et nullitas matrimonii est publica debet eis imponere separationem ad reparandum scandalum. Interim petenda est dispensatio, qua obtenta, procedi potest ad celebrationem matrimonii. — Si nullitas est *occulta*, et utrique parti est *nota*, debet ei imponere separationem a toro, petere dispensationem, qua obtenta, debet curare ut ambo inter se renovent consensum, ne detur locus scandalo et partium diffamationi, uti constat ex praxi constanti S. Poenitiariae. — Si uni parti antum est nota, debet ei imponere ut se abstineat ab usu coniugii, petere dispensationem, qua obtenta, ipsa tenetur renovare consensum etiam se privatim et secreto, dummodo altera pars in consensu prius praestito perseveret. Can. 1135. — Si neutri est nota, et ex separatione prudenter timetur grave scandalum aut damnum, et monitio non esset profutura relinguat eos in eorum bona fide, vel petere potest dispensationem in radice.

§ 2°

De causis dispensationis.

874.—*Q.* Ad dispensationem requiritur ne semper justa causa?

R. Ad dispensationem, quae est relaxatio legis communis, justa causa requiritur, et quidem causa gravis, et eo gravior quo gravius est impedimentum pro quo petitur dispensatio.

875.—*Q.* Quaenam praecipuae causae ad dispensationem obtinendam?

R. Praecipuae causae quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent ex Instruct. S. C. de Prop. Fide, 9 maji 1877, sequentes sunt:

1. *Angustia loci*, sive absoluta, sive relativa (ratione tantum oratricis) cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii, cognatio foeminae ita sit propagata ut alium virum paris conditionis cui nubat invenire non possit nisi consanguineum vel affinem, et durum sit ei patriam deserere. Locus reputatur augustus si non exsuperat 300 focos, seu 1500 catholicos habitatores; angustia loci vero non est desumenda a numero focorum cujusque paroeciae, sed a numero focorum cujusque loci, vel etiam plurium locorum si ab invicem non distant ultra miliare. S. C. C. 16 dec. 1876.—2. *Aetas foeminae superadulta*, nempe si annum 24um jam egressa est, et virum paris conditionis non invenit cui nubere possit. Haec vero causa non suffragatur viduae quae ad novas nuptias convolare cupiat.—3. *Deficientia dotis*, aut ejus incompetentia.—4. *Lites* super successionem bonorum jam exortae, vel earumdem grave aut imminens periculum.—5. *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae, ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.—6. *Bonum pacis*, seu extinctio gravis inimicitiae, odii, rixae inter contrahentes consanguineos vel affines, vel confirmatio pacis quae inter ipsos, post easdem graves inimicitias, jam inita est.—7. *Nimia suspecta, periculosa familiaritas*, nec non *cohabitatio* sub eodem tecto quae facile impediri non possit.—8. *Copula* praehabita cum consanguinea, vel affine; vel cum alia persona impedimento ligata, *ejusque praegnatio, ideoque legitimatio prolis*.—9. *Infamia mulieris*, ex suspicione licet falsa orta quod illa cognita sit a consanguineo vel affine, ex qua suscipione mulier graviter diffamatur, et innupta remaneret, vel viro disparis conditionis nubere deberet, aut alia gravia damna orirentur.—10. *Revalidatio matrimonii* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est. Quod si mala fide contractum fuit dispensationem minime merentur juxta Trid.; ideo difficilius dispensatio obtinetur; facilius tamen hodie, quam olim.—11. *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi*, seu periculum ne ex denegatione dispensationis pars catholica matrimonium celebret cum parte acatholica, vel sponsi pro nuptiis celebrandis ad ministrum acatholicum accedant.—12. *Periculum* incestuosi concubinatus.—13. *Periculum* matrimonii civilis.—14. *Remotio* gravium scandalorum.—15. *Cessatio*

pubblici concubinatus.—16. *Excellentia* meritorum, cum nempe quis de Religione sit optime meritus.

876.— *Q.* Quid dicendum si aliqua ex causis in libello supplici expressis non subsistit?

R.— 1. Si dispensatio obtenta fuit ob plures causas expositas, quarum una falsa sit, tunc si causae non fuerunt expositae *per modum unius*, valida est dispensatio, si unaquaeque causa est per se apta ad dispensationem obtinendam. Si vero causae expositae fuerunt per modum unius, tunc dispensatio est nulla.—2. Si causa scienter et mala fide allegata fuit, et causa est finalis, dispensatio est nulla; si vero causa est solum impulsiva, an teneat dispensatio disput. Th. In dubio autem an causa fuerit finalis, vel impulsiva, vera vel falsa, valida habetur dispensatio, quia in dubio standum est pro valore actus.—3. Si causa dispensationis cesset, sed dispensatione jam expedita et facta ab Episcopo vel delegato, tunc etiamsi causa cesset ante matrimonii celebrationem dispensatio tamen non cessat; bene vero si dispensatio nondum fuit expedita, vel facta a delegato.

§ 3°

De modo dispensationem impetrandi et exquendi.

877.— *Q.* Ad quodnam tribunal recurrendum est pro dispensatione?

R. In praesenti disciplina, ex Const. Pii Pp. X *Sapienti consilio*, 29 junii 1908, haec statuta sunt:

1. *Pro foro externo*, Congregatio *de Sacramentis* sola dispensationes et sanationes concedit super impedimentis matrimonii, sive impedimentibus sive dirimentibus, tam pro pauperibus quam divitibus, etiam pro locis subjectis S. C. *de Prop. Fide.*—Excipe impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis, quae privative spectant ad C. *S. Officii*, sicut etiam quae versantur circa privilegium Paulinum dictum.—Dispensationes in foro *externo* expediuntur vel *in forma communi*, vel *in forma pauperum.*—2. *Pro foro interno*, nempe pro impedimentis *occultis*, recurrendum est ad tribunal *S. Poenitentiariae*, quae gratias omnes, sanationes et dispensationes expedire debet *gratis* et sub secreto.—Litterae quae mittuntur ad S. Poenit. inscribi possunt vel *E.mo Card. Poenitentiario majori*; vel *Sacro Tribunali Poenitentiariae Apostolicae*; et scribi possunt lingua latina vel vulgari italica, aut gallica.

878.— *Q.* Quaenam exprimi debent in supplici libello ad obtinendam dispensationem?

R. Ad validitatem dispensationis necessario exprimenda sunt ea omnia quae ex jure vel stylo Curiae Romanae requiruntur, ita ut quamvis ignoranter et bona fide veritas taceatur (*subreptio*), aut falsitas exponatur (*obreptio*) dispensatio nulla esset.—Porro necessario exprimi debent in quolibet casu: 1° objectum dispensationis, indicando *speciem infimam* impedimenti, an adsit v. g. consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; 2° gradus et linea consanguinitatis, etc.; 3° numerus impedimentorum; 4° circumstantia matrimonii si jam contractum, vel adhuc contrahendum.— Praeterea in litteris quae ad S. Congr. de Sacra-

mentis diriguntur pro dispensatione super impedimento publico exprimi debet verum nomen et cognomen oratorum, et dioecesis originis vel domicilii.—Si vero agatur de impedimento occulto,de quo scribitur ad S. Poenitentiariam taceri debent vera nomina, cognomina, patria, dioecesis et similia quae ad personas dispensandas pertinent, sed finguntur nomina, v. g. Titius, Caius, Lucia, etc. Ultimo additur cognomen et nomen verum personae ad quam rescriptum dirigendum est, tum nomen loci in quo ipsa moratur, et haec, ad errorem vitandum, exarantur idiomate vulgari distinctis ac perspicuis characteribus additis praeterea nominibus Regni, Provinciae et Municipii si oppida sint municipiis adiecta. Quilibet sive Parochus, sive Confessarius, sive ipse qui dispensationem desiderat recurrere potest per epistolam ad S. Poenitentiariam.

Nota: 1. Recursus ad S.Congr., quamvis fieri possit a quolibet, sive per se sive per procuratorem Romae existentem, tutius tamen est ut fiat per Officiales Curiae Episcopalis, ut passim fit et tunc omnia clare exprimenda sunt. — Quae autem occultos conscientiae casus continent fictis nominibus proponere, et litteras obsignatas mittere omnino necesse est, nec per Procuratores, quibus propterea nefas est factum enarrare ut ipsi supplicem libellum conficiant S. Poenit. exhibendum [1].

2. Si duplex adsit impedimentum unum publicum et alterum occultum, tunc semper duplex petitio facienda est, una a Parocho ad S. Congr. de Sacramentis pro impedimento publico, altera a Confessario ad S. Poenitentiariam pro impedimento occulto. Quo in casu in petitione ad S. Poenitentiariam, exprimendum est adesse etiam impedimentum publicum, de quo dispensatio expostulatur apud S. Congr. de Sacr. idque sub poena nullitatis dispensationis; quia existentia simultanea duplicis impedimenti dispensationem difficiliorem reddit, et ideo a concedente cognosci debet.

879. — *Q.* Quinam modus dispensationem exequendi?

R. — 1. Si dispensatio obtenta fuit a S.C. de Sacr.pro foro *externo*, haec ordinarie mittitur Episcopo, vel ejus Vicario Generali, ut exequatur extra confessionem, et si oratores sunt diversae dioecesis dispensatio mittitur ad Ordinarium, aut ad Vicarium Generalem oratricis.

Porro delegatus inquirere debet in causae veritatem, et quidem sub poena nullitatis, si in rescripto dicatur: *Si preces veritate niti compereris;* si autem simpliciter dicatur: *Si preces veritate nitantur; si vera sint exposita,* tunc si delegatus jam aliunde sciat illa esse vera, dispensatio non erit irrita, si explorationem omiserit [2]. Dein delegatus attendere debet ad clausulas in S. Cong. litteris positas; tunc omnibus adimpletis delegatus dispensationem impertit, et mandat Parocho ut matrimonio assistat. Parochus autem, celebrato matrimonio, omnia describat in libro matrimoniorum, et dispensationis litteras servet in archivio parochiali ad proban-

[1] Monitum S. Poenit., Act. S. Sed. VI, 268.—Vid. *Monitore Eccl.*, v. XX, p.249.

[2] *D'Annibale*, I, 141. — At hodie inquisitio veritatis non imponitur.

dam, si opus fuerit, matrimonii canonicitatem.

2. Si dispensatio obtenta fuit a S. Poenitentiaria, tunc ad exequendam dispensationem eligi solet confessarius a poenitente designandus ex approbatis: et tunc si impedimentum uni tantum parti sit notum, sufficit unica executio, sed si utrique est cognitum et commune, uterque a respectivo confessario dispensandus est; si contrahentes diversum habeant. Idem rescriptum duobus confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo qui illud ultimus exequitur. Conditiones vero in rescripto appositae sedulo considerandae sunt, et fideliter observandae.

Confessarius autem, obtenta potestate dispensandi, postquam absolverit a peccatis, hisce vel aliis similibus verbis prosequi potest: *Auctoritate Apostolica dispenso tecum super impedimentum N. quod incurristi, ut matrimonium inire,* vel *initum consummare, vel in eo permanere valeas, et legitimam reddo prolem susceptam, vel suscipiendam: in nomine Patris, †, etc.*

Si vero dispensatio sit a voto castitatis dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere, et illo uti, auctoritate Apostolica, dispenso,* vel *in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto; in nomine Patris, etc.*

Nulla formula sub poena nullitatis, imo nec sub praecepto praescribitur, nulla enim in Rit. Rom. habetur. Si vero confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare potest, tunc enim causam sibi commissam et nondum absolutam continuaret.

880.—*Q.* Quaenam sunt clausulae quae in rescripto S. Poenitentiariae apponuntur?

R. Hae clausulae aliae sunt ad effectum matrimonium contrahendi; aliae ad effectum remanendi in matrimonio jam contracto.

Clausulae ad effectum matrimonium contrahendi hae sunt:

1. *Si ita sit: si preces veritati nitantur.* Haec verba imponunt necessitatem rem investigandi; quae investigatio (cum de foro interno agatur) in hoc consistit ut confessarius iterum poenitentem interroget, serio eum admonendo de ejus gravissima obligatione sincere respondendi.

2. *Audita prius Sacramentali confessione*; unde necessaria est poenitentis confessio, etsi jam prius alteri confessus fuerit, quia dispensatio pronuntiari debet in actu confessionis: non requitur tamen sacramentalis absolutio, si poenitens forsan non sit dispositus, nec validitati dispensationis officit absolutio sacrilege suscepta, ut pluries declaravit S. Poenitentiaria.

3. *Sublata occasione peccandi*; quae clausula probabilius ponitur non pro validitate dispensationis, sed tantum ad monendum confessarium, quid ipsi agendum sit. Intelligitur vero occasio proxima et voluntaria: si autem occasio est necessaria, sufficit ut media eligantur ut ex proxima remota fiat.

4. *Injuncta pro modo culpae poenitentia salutari*, idest juxta vires poenitentis, habita ratione conditionis, aetatis: haec autem esse potest, v. g. jejunium semel in hebdomada ad semestre; trina recitatio tertiae partis rosarii in hebdomada; frequens con-

fessio, puta semel in mense ad annum, etc. [1]. Haec autem poenitentia a poenitentia sacramentali distincta esse debet.

5. *Injunctis aliis de jure injungendis: aliudque non obstet;* nimirum confessarius poenitenti imponat alias obligationes quae aliunde habere potest, v. g. famae restituendae; et inquirat an forsan aliud canonicum impedimentum obstet, et in hoc casu a tali impedimento dispensatio prius obtineri debet.

6. *Dummodo impedimentum sit occultum*; idest non notorium. Si dicat *omnino occultum*, ut poni solet in impedimento criminis, tunc non est amplius tale si per duos testes probari possit. Si dicat simpliciter *occultum*, tunc non obstat si cognitum sit a paucis personis, quae ita prudentes sint ut adsit moralis certitudo quod impedimentum ex occulto non fiat notum. Quod si delictum olim quidem publicum fuit, sed nunc ex hominum memoria saltem a 10 annis exciderit, rescriptum exequi potest a delegato; non vero si delictum in loco quo est matrimonium contrahendum, sit quidem occultum, sed alibi notum. Ita Bened. XIV.

7. *Ut dispensatio in foro externo nullatenus suffragetur;* unde si impedimentum post dispensationem fiat publicum, tunc ad scandalum vitandum, conjuges separentur, donec obtineatur dispensatio pro foro externo, et iterum contrahatur in faciem Ecclesiae. Attamen uti conjuges in secreto haberi possunt, quia tales sunt, cum impedimentum revera sublatum est. Imo si conjuges petant ut nota fiat dispensatio a confessario obtenta, tunc nullus amplius locus esset nec molestiae inferendae, nec renovandi matrimonium.

8. *Praesentibus laceratis sub poena excommunicationis latae sententiae,* non tamen sub poena nullitatis dispensationis. Haec laceratio facienda est ne peccatum poenitentis occultum in lucem veniat; et statim moraliter facienda est, nempe intra triduum ab executione ipsius dispensationis.[2]

Clausulae speciales ad effectum remanendi in matrimonio jam contracto hae sunt:

1. *Si separatio fieri nequeat absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timeatur*, (haec clausula agitare non debet confessarium, cum in praxi vix aliter res esse possit, unde rarissime erit necessarium experiri an conjuges revera possint separari, et honeste vivere uti frater et soror), *inter se secreto* (idest sine praesentia Parochi et testium) *contrahere valeant.*

2. *Certiorata parte de nullitate prioris matrimonii, sed ita caute ut oratoris delictum nunquam cognoscatur.* Hodie vero addi solet: *Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo* (nempe scan-

[1] Si Confessarius, ex culpabili negligentia, poenitentiam delicto proportionatam non imponat, graviter peccat; attamen juxta fere omnes, dispensatio est valida; non vero si poenitens, gravem suscipiendo poenitentiam, intentionem non habeat eam implendi. Quae poenitentia non potest ab alio confessario mutari, cum inferior non possit cognoscere in rem superioris; excipiunt nisi id suadeat vera utilitas, ex praesumpta superioris voluntate. *Scavini*, III 825, 5°.

[2] Actus quo delegatus vel confessarius dispensationem impertitur *fulminatio* dicitur.

dali, saevitiae, infamiae, separationis etc.) *fieri nequit, renovato consensu juxta regulas a probatis Auctoribus traditas.* — Quare si absque ullo periculo ingeri potest alteri parti notitia vel dubium de nullitate matrimonii, tunc explicite renovandus est mutuus consensus. Si autem hoc grave periculum adest prout facilius evenire potest quando pars rea est mulier, neque adest tempus impetrandi sanationem in radice, tunc probabiliter sufficit copula habita animo conjugali, quia in hoc casu rationabiliter praesumitur S. Sedem relaxare praefatam conditionem [1].

881.—*Q.* Quid est dispensatio *in radice*, et quandonam petenda est ?

R. Dispensatio *in radice* est quando Papa ex suprema sua auctoritate in omni impedimento juris ecclesiastici, aufert impedimentum ascendendo ad radicem, seu originem matrimonii, et, destruendo effectum impedimenti dirimentis, sanat vitium invaliditatis, et perseverante consensu conjugum, matrimonium validum reddit, et prolem susceptam legitimam declarat.

Haec dispensatio petenda est quando confessarius p r u d e n t e r praevidet difficultatem ad renovandum debitum consensum; ideoque haec dispensatio in radice nonnisi in quibusdam casibus concedi solet, nempe : 1° Quando impedimentum est utrique cognitum, et una pars parata est consensum renovare, altera vero, etsi ejus consensus perseveret, ipsum tamen renovare recusat. Dixi *etsi ejus consensus perseveret,* quia si consensus ex utraque parte non perseverat, neque Ecclesia illum supplere potest. 2° Quando impedimentum est uni tantum parti notum, nec ipsa alteri manifestare potest sine gravi incommodo 3°. Quando ambo conjuges nullitatem matrimonii ignorant, et adest gravis ratio illos non monendi de tali nullitate: at hoc explicite peti debet et concedi in dispensatione, quia regulariter non praesumitur .[2] In hoc vero casu litterae dispensatoriae diligenter custodiri debent in cancellaria episcopali, ut, quocumque eventu, de matrimonii validitate et prolis legitimitate constet.

An vero haec dispensatio in radice concedi etiam possit quando matrimonium est nullum ob impedimentum clandestinitatis, ut in matrimonio vulgo *civili*, alii negant, sed ex praxi S. Sedis videtur affirmative respondendum, ut notant Cl. Vecchiotti et Em. Gousset; nam hoc impedimentum clandestinitatis est tantum juris ecclesiastici.

[1] Cfr. S. Alph L, VI. 1117.

[2] Vide *Génicot*, II, 541, 3°.

FORMULAE AD POSTULANDAS DISPENSATIONES A S. POENITENTIARIA

1. Pro matrimonio contrahendo:

Emin.me ac Rever.me Domine,

Titius cognovit Bertam ; postea conscius (vel *ignarus*) *impedimenti tractatum habuit de matrimonio contrahendo cum sorore ejusdem. Cum autem dictum impedimentum sit occultum, tractatus vero sit publicus, et si matrimonium non contrahatur scandala timeantur, de praemissis, de quibus maxime dolet, cupit absolvi et se-*

CAPUT IV.

De matrimonii celebratione et convalidatione

ART. I.

De matrimonii celebratione

882. — *Q.* Quaenam requiruntur ad licitam matrimonii celebrationem ?

R. Ad licitam matrimonii celebrationem, praeter canonicas denuntiationes matrimonio praemittendas, requiritur:

Ex parte contrahentium: 1° immunitas a quolibet impedimento; 2° cognitio saltem principalium mysteriorum fidei; 3° status gratiae, cum matrimonium sit sacramentum vivorum.

Ex parte parochi vero requiritur : 1° observatio Ritus in Rit. Rom. praescripti, et omnium quae

cum dispensari. Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me dirigere.

Humillimum Servum
N. N.

(Foris) All'Em.mo e Rev.mo Signore,
Il Sig. Card. Penitenziere Maggiore,
Palazzo Cancelleria
ROMA

2. Pro matrimonio contracto revalidando:

EMINENTISSIME, ETC.

Titius conscius (vel *ignarus*) *impedimenti contraxit in faciem Ecclesiae matrimonium cum muliere, cujus sororem carnaliter cognoverat. Quare, cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. — Dignetur, etc.* ut supra.

3. Pro obtinenda dispensatione *in radice:*

EMINENTISSIME, ETC.

Titia cum vero et sincero Sempronii consensu, qui asseritur adhuc perseverare, matrimonium in faciem Ecclesiae contraxit et consummavit. At vero matrimonium est invalidum ob copulam fornicariam Sempronii cum sorore Titiae, cujus impedimenti Sempronius est prorsus ignarus. Impedimentum est omnino occultum nec timetur manifestandum; et de eo nulla petita fuit dispensatio. Oratrix fundate timet, ne si qualicumque modo renovatio consensus a putativo conjuge petatur, recuset. Quare oratrix, quae optat rite in conjugio permanere, et prolem legitimare, humiliter supplicat Eminentiam Vestram, ut dispensationem in radice, ad praefati matrimonii sanationem, a S. Pontifice procurare dignetur.

4. Pro obtinenda dispensatione a voto simplici:

EMINENTISSIME, ETC.

Titius annos viginti natus vovit castitatem perpetuam; cum autem in gravi incontinentiae periculo versetur, supplicat pro commutatione aut dispensatione voti, ut inde valeat matrimonium inire. — Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me dirigere.

Humillimum Servum
N. N.

5. Pro impetranda dispensatione a S. Cong. de Sacramentis *in foro externo.*

BEATISSIME PATER,

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae, pro parte devotorum oratorum N. N., *dioecesis* N., *et* N. N. *dioecesis* N. *ex oppido* N., *quod cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum paris conditionis cui nubere possit, invenire nequeat, dictus orator, cum dicta dote minus competente, oratricem in uxorem ducere intendit: sed quia tertio gradu aequali a communi stipite proveniente conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Ideo supplicant, quatenus S. V. dignetur cum ipsis, ut, impedimento*

in statuta dioecesana sunt praescripta; 2° celebratio missae pro sponso et sponsa in qua impertienda est solemnis benedictio nuptiarum ut in Missali Rom. habetur [1].

Haec solemnis benedictio nuptiarum non est concedenda:—*a)* tempore feriato, et graviter peccaret sive Parochus benedictionem dans, sive sponsi eam recipientes;—*b)* nec impertienda extra ecclesiam, quia haec fieri debet intra Missam, quae in ecclesia celebrari debet, ex quo consequens est impertiri posse in oratorio privato;—*c)* nec extra parochiam sine expresso consensu Parochi loci.

hoc non obstante, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, ac in eo postmodum remanere libere, ac licite valeant, dispensare.

Datum N., die N., mensis N., anno N.

6. Pro dispensatione obtinenda *in forma pauperum.*

Beatissime Pater,

Exponitur Sanctitati Vestrae humiliter pro parte devotorum oratorum (ponuntur eorum nomina, dioecesis, civitas et parochia, ut supra), *quod dicti oratores orthodoxae fidei cultores, vere pauperes ac miserabiles, et labore suo et industria tantum viventes, conscii se in tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente conjunctos esse, se invicem, non quidem data opera ut, crimine admisso, Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliorem redderent; sed solum vesana libidine victi, carnaliter cognoverint, prolemque susceperint.*

Cum autem, Sanctissime Pater, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, innuptaque, et proles illegitima remaneret, graviaque inde scandala orirentur, cupiunt supradicti oratores matrimonialiter copulari; sed quia obstante impedimento ujusmodi, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione, ideo supplicant, etc..... ut supra.

(*Foris*) Al Sommo Pontefice
Palazzo Vaticano
ROMA

7. In casu de duobus impedimentis, uno publico, alio occulto, sic scribitur ad Poenitentiariam:

Emin.me et Rever.me Domine,

Jacobus et Berta, consanguinei in secundo gradu, vesana libidine victi, rem secum habuerunt. Nunc vero Berta a Joanne fratre Jacobi in matrimonium requisita, ei nubere cupit; 1° *Quia aetate jam est provecta, nempe triginta annorum nata;* 2° *Quia sufficientem non habet dotem, ut alium virum sibi convenientem sperare valeat;* 3° *Quia ex hac unione rixae familiarum probabiliter cessabunt. Ambo supplicant Sanctissimo Domino nostro apud S. Cong. de disciplina Sacram, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare.*

Eminentiae autem Vestrae humiliter supplicat oratrix, ut non obstante dicto affinitatis ex copula illicita provenientis impedimento, dispensatione super consanguinitate prius obtenta, cum eodem Joanne licite, ac valide matrimonium contrahere, atque in eo contracto manere valeat.

8. Ad petendam ab Episcopo facultatem restituendi conjuges in integrum post incestum.

Excell.me ac Rever.me Domine,

Titius vel *Titia* (nomen fingitur) *conjux in culpa incestus incidit. Facti summopere poenitet: et per me infrascriptum humillime petit dispensationem super contracto impedimento una cum restitutione in pristino jure petendi.*

Dignetur rescriptum ad me dirigere.
Datum N., die N., mensis N., anno N.

Obsequentissimum Servum
N. N.

[1] Missa tamen non debet necessario applicari pro sponsis, nisi eleemosynam afferant; in eadem missa vero plura matrimonia benedici possunt. *Marc*, n. 2079.

S. Cong. vero Rom. et U. I. die 31 augusti 1881 decrevit:

« Benedictionem nuptialem quam exhibet missale romanum in *Missa pro sponso et sponsa* semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint, etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

« Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii. Contrariis quibuscumque non obstantibus. »

883.—*Q.* Parochus potest ne *licite* assistere matrimonio si sponsi non exhibent testimonium confessionis, nec ipsam facere volunt ?

R. Confessio et eo minus Communio nulla lege generali praecipiuntur ; quare Parochus instanter quidem et paterne sponsos hortari debet ut horum Sacramentorum receptione ad matrimonium se disponant ; sed si confessio non est praescripta *ex speciali lege* in Synodo dioecesana, vel ex aliquo *speciali mandato* Ordinarii, tunc Parochus matrimonio assistere potest, quia absolute per se non requiritur nec confessio, nec libellus confessionis. Et quamvis status gratiae ad licite hoc Sacramentum suscipiendum requiratur, sponsi tamen vel in statu gratiae jam sunt, vel statum gratiae acquirere possunt per contritionem.

Si vero *ex speciali lege* confessio, vel ejus testimonium requiritur, tunc Parochus illam, vel saltem illius testimonium exigere debet, et si sponsi recusent, ipse eorum matrimonio assistere nequit, nisi ab Ordinario dispensationem a praescripto obtineat, vel nisi urgeat necessitas assistendi ad evitanda majora mala, ut saepe saepius in *praxi* evenit.

884. — *Q.* Parochus potest ne assistere matrimonio sponsorum quos noverit esse indignos?

R.—1. Si sponsi sunt indigni, quia doctrinam christianam nesciunt, ipsos tenetur prius sufficienter instruere; nec eorum matrimonio assistere potest, nisi hoc ad evitanda majora mala sit necessarium.

2. Si vero sponsi indigni sunt, quia excommunicati, vel peccatores, tunc si indignitas est *occulta*, et ipsi publice petunt, Th. communiter dicunt Parochum teneri assistere, juxta dicta Vol. II, n. 213, 214 [1].

Si autem indignitas est *publica*,

[1] Quesitum fuit: Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione matrimoniorum illorum qui *notorie* in ecclesiasticas censuras inciderint ? — S. Poenit. 10 dec. 1860 respondit: Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum ecclesia reconcilientur. At si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur gravia inde mala imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratio-

et indignitas se tenet tantum ex parte unius sponsi, Parochus assistere potest in favorem sponsi innocentis et dispositi, ut patet ex matrimonio contrahendo a parte catholica cum alia disparis cultus, et ex regulis a Th. traditis de cooperatione. Ita S. Poenitentiaria.

Si vero indignitas *publica* se tenet ex parte utriusque sponsi, tunc an Parochus assistere possit, disput. Th.. Alii affirmant, quia Parochus non est minister matrimonii, sed tantum testis, unde ex una parte cum sit publicus minister non potest suam negare assistentiam; et ex altera licite potest assistere, cum sua cooperatio sit mere materialis.— Sed S. Alph. cum aliis negat, et dicit Parochum non teneri, nec posse assistere tali matrimonio, quia ipse ex justitia tenetur incumbere saluti suarum ovium, eas avertendo a peccatis. [1] — Convenit tamen S. Alph. quod Parochus aliquando tali matrimonio assistere potest, nempe quando, non assistendo, adest periculum majoris mali vel communitati, vel ipsis contrahentibus, uti esset si sponsi jam sint civiliter conjuncti, vel si in concubinatu versarentur, quia tunc per matrimonium sive scandalum, sive occasio peccati tolleretur.

885.—*Q.* Quomodo se gerere debet Parochus si noverit adesse impedimentum dirimens, et ex una parte desit tempus ad Episcopum recurrendi, et ex altera omnia parata sint ad nuptias ?

R.—1. Si impedimentum est *publicum*, vel si occultum, super quo tamen Papa dispensare non solet, Parochus vel Confessarius permittere non debet matrimonii celebrationem.

2. Si vero impedimentum est *occultum*, et super eo Papa dispensare solet, et matrimonium sine gravi incommodo differri nequit, tunc si sponsi sunt in bona fide Parochus vel Confessarius matrimonii celebrationem permittat, et eos in bona fide relinquat, donec dispensatio, aut sanatio in radice obtineatur.

3. Si autem unus ex sponsis, vel ambo sunt in mala fide, tunc alii dicunt Parochum vel Confessarium non posse permittere matrimonii celebrationem: alii dicunt sponsos suadendos esse ut matrimonium contrahant sub conditione: alii demum dicunt quod in hoc casu urgentissimae necessitatis Parochus aut Confessarius dispensare potest, seu potius declarare quod in eo casu lex impedimenti non obligat, quia cessat lex quando potius est nociva, quam utilis. Et licet hic non cesset finis in communi sed in particulari, cum tamen cesset finis legis in contrarium, cessat etiam lex. Contracto tamen matrimonio, quantocius recurrendum est ad Superiorem ut dispensatio, vel sanatio in radice, obtineatur [2].

886.—*Q.* Quidnam adimpleri debet post celebrationem matrimonii ?

R. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gessit, statim describere debet in libro matrimoniorum nomina conjugum

ne, omnibusque perpensis, quae ab approbatis auctoribus et praesertim a S. Alph., L. VI, n. 55, traduntur, ea declaret quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione.

[1] S. Alph., L. VI, 54, 55.

[2] S. Aph., L. VI, 613.

ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

Praeterea parochus in libro quoque Baptizatorum adnotet, conjugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum Baptismi, sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in Baptismi librum referatur. — Idem servare tenentur in solidum cum contrahentibus sive sacerdos sive testes, quoties matrimonium in casibus exceptis sine praesentia parochi celebratur, prout supra explicatum est (v. n. 860). Ita ex eodem Decreto S. C. Inq., art. IX.

Hujusmodi praescriptiones obligant per se *sub gravi*, uti patet ex gravitate rei, ad cognoscendam scilicet matrimonii celebrationem; et parochi transgressores ab Ordinario puniri debent juxta gravitatem culpae, prout supra dictum est.

§ 1°

De celebratione matrimonii mixti

887.—*Q.* Matrimonium *mixtum*, seu fidelis cum haeretico est ne licitum?

R. Matrimonium *mixtum*, seu fidelis cum haeretico (qui nempe adhaeret alicui sectae ab Ecclesia damnatae uti haereticae), illicitum est sub gravi, quia graviter prohibitum a lege Ecclesiastica, et communiter loquendo ab ipsa lege naturali, ob periculum perversionis et ob impedimentum ad exercitium verae religionis et ad rectam prolis educationem. Licitum tamen est, accedente Pontificis dispensatione et positis sequentibus conditionibus: — 1° ut absit periculum perversionis;—2° ut pars fidelis permanere possit in fide et ejus officia libere implere;—3° ut omnes indiscriminatim liberos possit in religione catholica educare;—4° ut interveniat gravis aliqua causa, plerumque publica. Si vero ambo sponsi consentire nolint illi conditioni ut omnes nati in catholica religione educentur, tunc Parochus assistere nequit et abstinere se debet a quocumque interventu. Quod si intervenit, validum est matrimonium, quia impedimentum est solum impediens [1].

Olim hujusmodi matrimonio ex decreto C. S. Off. 1 sept. 1841 non erat impertienda benedictio sacerdotalis, nec missa in praesentia haereticorum celebranda, nec matrimonium intra ecclesiam celebrandum. At Pius IX in sua Instruct. ad omnes Ordinarios locorum die 15 nov. 1858 conscientiae et arbitrio Episcoporum re-

[1] Parochus vocatus ad confitendum moribundum, qui usque tunc temporis in concubinatu vixerit cum muliere haeretica, potestne eos in matrimonium conjungere si adest gravis causa, v. g. legitimandi prolem? — Videtur respondendum affirmative, nam ex una parte matrimonium mixtum validum est etiam si initum sine dispensatione, et ex altera parte licitum evadit propter instantem necessitatem, cum hic non agatur nisi de impedimento impediente a quo ex gravi causa, ut in casu, Papa dispensare solet. Parochus tamen, si ex propria scientia moraliter certus non sit de ipsorum libertate status, tenetur

misit ut permittant ritum a Rit. praescriptum in usu propriae dioecesis, semper tamen excepta celebratione missae.

888. — *Q.* Parochus potest ne assistere matrimonio *mixto,* si postea sponsi etiam coram ministro haeretico contrahere velint?

R.—1. Si minister haereticus, non ut talis, sed ut magistratus civilis, seu ut Syndicus matrimonio assistit, tunc non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post matrimonium contractum ad formam Tridentini, etiam coram ministro haeresi addicto, ad actum civilem dumtaxat implendum.

2. Si vero minister haereticus censeatur veluti sacris addictus et quasi Parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministro praestare; - ratio, quia adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico se consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio.

3. Parochus si interrogetur a contrahentibus, vel si certe noverit eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, silere non potest, sed monere debet eosdem sponsos de gravissimo peccato quod patrant et de censuris, quas incurrunt.

4. Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu Parochus non fuerit interpellatus a sponsis an liceat nec ne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint; praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda.

5 Quod si tandem consensus coram Parocho velit renovari, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis Parocho notificetur; Parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis uti supponitur ceteroquin servandis, et pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. Decretum S. Congregationis Rom. et Univ. Inquisitionis, die 17 februarii 1864.

—

ab ipsis juramentum exigere de hac status libertate, nec non promissionem eamdem libertatem, casu quo convalescat, consuetis et ab Ecclesia requisitis modis comprobandi. Insuper exigere tenetur alias conditiones ab Ecclesia requisitas pro liceitate hujusmodi matrimonii. Periculo denique transacto, omnia referre debet Episcopo, coram quo deinde contrahentes supradictas promissiones renovare debent ut de eis constet in foro externo.—*Ciolli*, Direttorio, c. 6, § 7.

—

§ 2°

De matrimonio per procuratorem, et de matrimonio conscientiae et in extremis.

889.—*Q.* Estne validum matrimonium celebratum per *procuratorem ?*

R. Th. affirmant; ratio, quia Christus elevans matrimonium ad dignitatem Sacramenti non immutavit contractus naturam, quae talis est ut possit inter absentes per procuratorem iniri. Requiruntur tamen sequentes conditiones : — 1° ut procurator habeat mandatum speciale ; — 2° ut persona cum qua contrahendum est sit determinata ; — 3° ut procurator contrahat per se et non substituat alium ; — 4° ut procurator non excedat conditiones in mandato appositas, v. g. temporis, dotis, etc. : secus matrimonium est nullum ; — 5° ut procurator mandatum coram Parocho et testibus exprimat, quod sufficit si ore tenus sit datum ; — 6° ut mandatum non sit revocatum, licet revocatio mandatario non innotuerit. In aliis contractibus si revocatio mandatario non innotuerit, contractus validus est, quia tunc lex supplet consensum ; non vero in matrimonio, quia in ipso requiritur consensus de praesenti [1].

Duo hic adnotanda sunt : 1° quod ut valide contrahatur matrimonium per procuratorem non requiritur diversitas sexus ; 2° ad licite contrahendum per procuratorem requiritur ut causa sit cognita et approbata ab Ordinario, vel ab ejus Vicario.

An vero quis possit matrimonium contrahere per epistolam, multi probabilius affirmant [2]. Quo in casu epistola coram Parocho et testibus legenda esset.

890. — *Q.* Quaenam conditiones praescriptae sunt pro matrimonio conscientiae ?

R. Benedictus XIV in Bulla « *Satis vobis* » solis Episcopis concedit facultatem haec matrimonia permittendi sub istis conditionibus : — 1° Ut adsit urgentissima causa, e.g. si vir et mulier in occulto concubinatu vivant, neque ulla suspicio sit. — 2° Ut omnino constet contrahentes liberos esse ab omni impedimento. — 3° Ut contrahentes intra 30 dies a prolis nativitate numerandos, vel per se vel per litteras suo charactere exaratas, Episcopo denuntient prolem natam et baptizatam ; alioquin matrimonium in lucem proferretur in gratiam filiorum. — 4° Ut in Episcopali Cancellaria retineatur liber sigillo clausus, in quo describantur contrahentes, Parochus, vel alius Sacerdos coram quo initum fuit matrimonium, una cum nota loci, temporis et testium ; et in alio libro a priore distincto et pariter sigillo obsignato proles inde nata fideliter adnotetur. Parochus vero, vel alius Sacerdos ab Episcopo deputatus pro tali matrimonio, de hisce omnibus contrahentes admonere tenetur.

891. — *Q.* Quodnam est matrimonium *in extremis ?*

R. Matrimonium *in extremis* dicitur illud quod celebratur in periculo mortis ad damnum, vel scandalum reparandum. Parochus, ut

[1] S. Alph., Hom. Ap., T. XVIII, 32.

[2] S. Alph., L. VI, 886.

hujusmodi matrimonio assistat, petere debet licentiam ab Ordinario.

Regulae practicae ad ejus celebrationem sunt: — 1° Ut Parochus exigat juramentum a contrahentibus quo affirment se nullo impedimento canonico esse irretitos. — 2° Ut recipiat juratam depositionem saltem duorum testium de statu libero contrahentium. — 3° Ut canonicas denuntiationes ante, vel post (prout fert temporis angustia) faciat in ecclesia; et imponat moribundo quod, si convalescat, matrimonium non consummet, nisi prius adimpletae fuerint omissae solemnitates.—4° Ut, his peractis, matrimonio assistat cum testibus et de omnibus fidem exhibeat Ordinario.

Quod si in inquisitione aliquod occultum impedimentum detegat, nec facilis sit ad Episcopum recursus, vide quae dicenda sunt numero sequenti.

In casu vero quo mors immineat, et neque parochus; neque alius de ejus licentia adesset, matrimonium convalidari potest coram quolibet sacerdote, et duobus testibus, prout dictum est supra n. 860.—Postea vero, pro tempore et circumstantiis, cetera de more adimpleantur.

892.—*Q.* Potest ne Parochus vel alius sacerdos dispensare ab impedimentis, si forte adessent, ad convalidandum matrimonium in extremis?

R. Per se Parochus vel alius sacerdos non posset ab impedimentis dispensare. Attamen sanctitas Sua Leo XIII per Supremam Congregationem S. Rom. et Univ. Inquisitionis benigne annuit pro gratia, quo locorum Ordinarii dispensare valeant, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quamtumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus; excepto sacro presbyteratus ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.

Mens autem est ejusdem *Sanctitatis Suae*, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis ejusmodi casibus, Ordinarii de impertita dispensatione supremam S. Officii Congregationem certiorem faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit eo meliori modo quo fieri possit, removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia, aliasque salutares poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

Die vero 1 mart. 1889 Ordinariis concessum fuit posse ad dispensandum super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo subdelegare habitualiter parochos tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi, et periculum sit in mora [1].

[1] *Monit Eccl.*, vol. VI, p. 82.

Insuper Pius P. P. X benigne declarare dignatus est ac decernere : « quemlibet sacerdotem , qui ad normam art. VII decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo... matrimonio valide ac licite adsistere potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus » exceptis ut supra. (S. C. de Sacramentis, 14 Maji 1909).

Art. II.

De Matrimonii invalidi convalidatione

893.—*Q.* Quomodo se gerere debet Parochus vel Confessarius si cognoscat nullitatem alicujus matrimonii ?

R. Parochus vel Confessarius valde cautus et prudens esse debet relate ad hunc casum, ne se ipsum et alios in magnas perturbationes injiciat. Quare :

1. Prudenter et accurate observet an constet *certe* quod matrimonium prius initum sit invalidum; nam in dubio (dubio perseverante) standum est pro ejus valore.

2. Si matrimonium prius initum est certe invalidum , et impedimentum est occultum , et sponsi sunt in bona fide, tunc videndum an monitio censeatur profutura vel non. — Si monitio, non levibus sed firmis argumentis , censetur profutura, tunc sponsi moneri debent , ut matrimonii convalidationem procurent, tum quia peccata etsi materialia, quantum fieri potest , etiam impedienda sunt , tum quia sponsi privandi non sunt gratia sacramentali. Expedit tamen ut monitio differatur, donec obtenta fuerit dispensatio; facilius enim monitioni obsequentur conjuges, quando sciunt malo statim remedium afferri. — Quod si monitio non censetur profutura confessarius prudenter sileat, ipsos relinquendo in eorum bona fide. —In dubio autem an monitio sit profutura vel non , confessarius eodem modo se gerat ac si censeatur non esse profuturam.

3. Si vero ambo, vel unus ex sponsis est in mala fide, seu conscius est de nullitate matrimonii initi , et impedimentum est dispensabile, tunc pro diversis casibus curet ut matrimonium convalidetur juxta regulas quae infra tradentur.

894.—*Q.* Quomodo convalidari debet matrimonium nullum ob defectum consensus ?

R. Si matrimonium fuit invalidum ex defectu consensus , et consensus ex utraque parte defuit ab utraque parte consensus renovandus est, neque ad hoc ulla dispensatio requiritur.

Si autem consensus defuit ex una tantum parte, haec pars consensum renovare debet ; res evidens est. An vero pars ignara monenda sit de nullitate prioris matrimonii ut ipsa quoque consensum renovet, disput. Th.. Alii affirmant quia prior consensus inhabilis erat ad efficiendum matrimonium ; sed alii probabilius negant, quia prior consensus fuit verus consensus naturaliter habilis: ideoque cum ad validitatem matrimonii sufficiat *moralis* simultas consensus ex parte sponsorum , sufficit quod dum moraliter perseverat consensus unius, pars quae prius non consensit ,

praestet nunc suum consensum, quem praestare potest vel per verba, vel per signa, vel etiam per ipsam copulam conjugalem affectu maritali habitam.

895. — *Q.* Quid agendum si inveniatur matrimonium invalidum ob aliquod impedimentum dirimens?

R. Si matrimonium fuit invalidum ob aliquod impedimentum dirimens, convalidari nequit nisi cessante impedimento, vel per se vel per dispensationem. – Interim vero si impedimentum est *publicum*, sponsi illico separari debent sive quoad thorum, sive quoad habitationem, et hoc ad scandalum avertendum; quod si se separari recusent, indigni sunt absolutione. Petita vero et obtenta dispensatione, sponsi consensum renovare debent et quidem coram Parocho et testibus; quia secus validitas matrimonii coram Ecclesia probari non posset.

Si vero impedimentum est *occultum sed utrique parti* notum, tunc sufficit separatio a thoro, modo sponsi media adhibeant ad periculum incontinentiae removendum, secus procuranda est brevis separatio sub aliquo praetextu peregrinationis, negotiationis, etc.. — Si autem impedimentum occultum est *uni parti* tantum notum, tunc pars conscia de nullitate matrimonii initi absolute abstinere debet ab usu conjugii. — Obtenta vero dispensatione ab occulto impedimento, matrimonium convalidare debet consensum renovando.

896. — *Q.* Quomodo convalidari debet matrimonium nullum ob aliquod impedimentum dirimens?

R. Praemitto: modus convalidandi matrimonium nullum ob dirimens impedimentum varius esse potest, iuxta naturam ipsius impedimenti et diversam rationem qua impedimentum cessare supponitur. Hinc:

1. Quando impedimentum unam tantum partem afficiebat, e. g. defectus veri consensus ex errore, vel votum, ab altera vero parte quae est immunis ignorabatur, eo sublato, moraliter certum videtur sufficere ut pars quae impedimento laborabat novum consensum praestet, perseverante alterius consensu, uti supponitur. Nam, cum consensus illius qui immunis erat ab impedimento naturaliter validus manserit, sufficit ad matrimonium efficiendum ut accedat verus consensus alterius; prout dictum est de matrimonio nullo ob defectum consensus. — Attamen, cum quidam A. A. teneant in hoc casu etiam consensum alterius *indirecte* invalidari, securius erit, cessato impedimento, renovari consensum ab utraque parte, si absque periculo gravis damni fieri potest, quia agitur de validitate Sacramenti.[1]

2. Quando agitur de impedimento quod utramque partem afficiebat, et quidem ex jure naturali vel divino, e. g. impedimentum ligaminis, ac proinde *per se* tantum cessavit, regulariter conandum est ut consensus ab utraque parte renovetur, ut certe matrimonium valeat. Nam multi existimant consensum, cui obstitit impedimentum juris naturalis vel divini, fuisse omnino nullum quoad omnem effectum etiam futurum [2]. — Dixi *regulariter*: nam quidam Th. probabiliter censent,

[1] Conf. *Génicot*, II, 535; *Marc*, 2082; *Bevilacqua*, n. 507.

[2] Conf. *Génicot*, 539; *Aertnys*, lib. VI, 662; *Marc*, 2082, 2083.

in casu quo una tantum pars nullitatem matrimonii cognoscat altera vero illam ignoret, satis esse ut novus consensus partis consciae impedimenti coniungatur cum consensu perseverante partis ignarae. Ratio est, quia consensus prius datus non fuit inefficax, nisi propter impedimentum: hoc igitur sublato, idem consensus perseverans effectum suum naturalem sortietur. — Attamen, cum agatur de validitate Sacramenti, patet nonnisi in *necessitate* hanc sententiam sequi posse; et regulariter securiori modo curandam esse renovationem consensus.

3. Quando impedimentum est juris positivi, e. g. cognatio vel affinitas, et cessat per *dispensationem simplicem*, seu ordinariam, exequenda est clausula ejusmodi dispensationi addi solita a S. Poenitentiaria Ap.; qua injungitur renovatio consensus ex parte etiam alterius putati conjugis, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas; prout dictum est ubi de clausulis dispensationis exequendis. (V. n. 880). Nam simplex dispensatio reddit tantum personas habiles ad contrahendum matrimonium; unde novum utriusque consensum requirit. — Quare ad difficultates praeveniendas, confessarius vel parochus priusquam dispensationem petat, diligenter inquirat num putati conjuges concorditer vivant, qualis sit dispositio alterius partis; ut discernere possit utrum renovatio consensus ab illa secure peti valeat et facile haberi, an infamia sequutura sit vel scandalum timendum, etc. Quod si, facta inquisitione, probabiliter periculum subsit, petat ab initio sanationem in radice, quo securius procedat [1].

4. Si autem obtenta sit dispensatio *in radice*, haec notanda sunt : — 1.° Talis dispensatio supponit in principio datum fuisse *verum consensum matrimonialem*, qui adhuc perseveret; sanari enim non potest consensus qui nunquam adfuit vel non amplius existit. — 2.° Licet sanatio matrimonii in radice obtineri et exequi possit, utraque parte ignara, quin de illa certiores fiant; attamen S. Sedes non solet in casibus *particularibus* indulgere sanationem in radice quando neutra pars de nullitate moneri potest, et potius sinit invalide conjunctos in bona fide permanere.—3° Consensus renovatio saepe non praescribitur; interdum vero praescribitur, praesertim si pars quae sanationem obtinet mala fide fuit tempore celebrationis. Si ergo ejusmodi renovatio in Rescripto praescribatur, ad valorem requiritur: sufficit vero quilibet actus externus ad hoc directus, uti ipsa copula conjugalis.—4.° Dispensatio in radice regulariter pro solo foro interno petitur et conceditur, quia impedimentum occultum esse solet : quod si facile fieri potest ut impedimentum detegatur, petenda est sanatio quae valitura sit etiam pro foro externo [2].

In *praxi* ergo, videndum in primis quid Rescriptum exigat, ut recte adimpleatur; et si praescripta fuit renovatio consensus a parte conscia impedimenti, cu-

[1] Vid. *Aertnys*, lib. VI, 663, q. 2ª; *Génicot*, II, 539; *Bevilacqua* n. 513.

[2] Conf. *Marc*, 2086, *Gury*, 904; *Bevilacqua*, 522; *Génicot*, II, 541-42; *Aertnys*, lib. VI, 664.

randum est ut ipsa meliori modo ponatur; si vero exigatur tantum quod constet de perseverantia prioris consensus, sufficit ut confessarius indirecte saltem de hoc certior fiat ; et tunc per ipsam dispensationis fulminationem matrimonium convalidatur. Quare confessarius curare debet ut tempore quo matrimonium convalidatur conjuges sint in statu gratiae, quoad fieri potest, ac proinde illam concedat post absolutionem.

Tandem, in quolibet casu, confessarius vel parochus prudenter quidem sed diligenter instruat poenitentem seu conjuges de ratione qua tutius et absque incommodis invalidum matrimonium convalidare ipsi debeant , prout natura impedimenti et obtenta dispensatio exigit, vel potius circumstantiae suadent.

897.—*Q.* Ad convalidandum matrimonium requiritur ne praesentia parochi et testium ?

R. — **1.** Si matrimonium, licet celebratum in forma Trid,. fuit nullum ob aliquod impedimentum *publicum*, vel quod publicum facile fieri potest , ad illud convalidandum iterum coram parocho et testibus consensus renovari debet sublato impedimento; ratio quia in faciem Ecclesiae constare debet de matrimonio valide contracto.

2. Si impedimentum fuit *occultum*, sufficit renovatio consensus privatim facta inter ipsos sponsos.

3. Si matrimonium fuit invalidum ex defectu praesentiae Parochi vel testium illud convalidari debet consensum renovando coram ipsis, quia Trid. exigit praesentiam Parochi et testium ad probandam validitatem matrimonii secundum externam apparentiam; et ab hac praesentia S. Pontifex non dispensat [1].

—

[1] « *Quod si una pars renuat pergere ad Ecclesiam*, consulendus est Episcopus, qui poterit permittere, praesertim in casu nullitatis occultae , ut partes jungantur in ipsarum domo, vel alio loco, dummodo cum parocho adsint testes graves, quorum ope convalidatio hujus matrimonii fieri possit publica, si hoc ad tollendum scandalum sit necessarium ».

« *Si adduci non possit ut coram parocho se sistat*, tunc satagendum est ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more; aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho, vel alteri sacerdoti Ordinarii aut parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur ».

« *Quod si nec per procuratorem, nec per epistolam contrahere velit*, tunc deveniendum erit ad dispensationem *in radice*, ita ut saltem innocentis partis animae saluti provideri possit ». Ita Card. *Caprara* in istruct. super matrim. invalide initis tempore perturb. Galliae.

—

APPENDIX.

DE DEBITO CONJUGALI.

S. Alphonsi Monitum magni momenti. — Nunc aegre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen hominum mentes inficit. Mihi tamen opus fuit ad instructionem eorum qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen qui ad munus audiendarum confessionum se parant ut hanc appendicem non legant nisi ob hunc unicum finem ad confessiones rite excipiendas, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore saepius mentem ad Deum elevent, ac Virgini Immaculatae se commendent, ne dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur.

898.—*Q.* Quid est actus conjugalis, et est ne licitus?

R. Actus conjugalis est copula carnalis, qua nempe vir et mulier per seminum commixtionem fiunt una caro, ab Auctore naturae ordinata ad generationem ac proinde ad generis humani propagationem. Quoniam vero hujusmodi actus est mutua obligatio quam conjuges suscipiunt, dicitur etiam *debitum conjugale:* hoc nomen ab apostolo Paulo addiscimus.

Actus conjugalis *per se* honestus et licitus est. Est de fide contra antiquiores haereticos. Et sane, Christus, relata matrimonii institutione, ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* atqui ea quae a Deo conjuncta sunt mala esse non possunt, ergo [1]. — Attamen *per accidens* actus conjugalis potest esse illicitus; sive ex parte rei, nempe si matrimonium initum est nullum, sive ex parte conjugum, si detinentur aliquo impedimento personali; sive ex parte finis vel circumstantiarum, si aliquid illicitum pertentant.

899. — *Q.* Conjux ad quid tenetur in dubio de valore matrimonii?

R.—1° Conjux qui dubitat de valore sui matrimonii tenetur dubium purificare.—2° Conjux si audiat adesse impedimentum a persona fide digna, vel ex fama a certo auctore, tenetur fidem praebere et consequenter veritatem inquirere; e contra credere non tenetur si audiat a persona fide non digna, vel ex fama ab auctore non

[1] Quinimo actus conjugalis potest esse etiam meritorius, quia est actus praecepti impletivus; ergo quoties habetur vel ad debitum ex justitia implendum, vel ad bonum finem v. g. ut proles ad Dei cultum procreetur, est meritorius.

certo. — 3° Conjux, ordinarie loquendo, non tenetur credere comparti asserenti se ficte consensisse, licet id asserat cum juramento. Dixi : *ordinarie loquendo ;* secus enim dicendum est si ex circumstantiis aliter censendum esset, puta si conjux ille sit in periculo mortis, si non soleat pejerare, vel si sit persona pia, et vellet separari, aut religionem ingredi etc., tunc enim sufficiens motivum adesset prudenter dubitandi.

900. — *Q.* Licet ne debitum petere, vel reddere in dubio de valore matrimonii ?

R. Durante tali dubio, sive dubium matrimonium antecedat, sive subsequatur, si matrimonium jam consummatum fuit, vel jam elapsum est bimestre a matrimonii celebratione, conjux dubitans, si dubium potest purificare, durante tali dubio, non potest petere, sed potest et tenetur reddere comparti petenti in bona fide ; - ratio, quia in dubio nemo privandus est suo jure quod in bona fide possidet. Ita Th. communiter.

Si vero post adhibitam diligentiam dubium purificari nequit tunc, si matrimonium contractum fuit in *bona fide*, conjux probabilius et communius potest et reddere et petere;-ratio, quia in dubio melior est conditio possidentis, possessio vero confert jus certum petendi, donec certo constet de nullitate matrimonii.

Si autem matrimonium contractum fuit *cum dubia fide*, an conjux qui dubium purificare nequit possit, durante tali dubio, debitum petere, disput. Th.. *Prima* sententia negat, quia nemo potest uti re quam mala vel dubia fide possidere incoepit. *Secunda* sententia tamen sat probabilis affirmat, quia esto quod dubitans non possit dubium deponere ex titulo possessionis, potest tamen illud deponere ex alio principio, v. g. in dubio standum est pro valore actus, seu matrimonii, in cujus favorem sive in foro interno, sive externo, semper judicandum est ratione boni communis societatis. — Excipitur tamen casus quod dubium adsit de morte prioris conjugis, nisi adsit certitudo, vel saltem tanta praesumptio quae moralem certitudinem statuat. Alias, petere nequit, quia in eo casu possidet prius matrimonium, donec certo constet fuisse solutum [1].

901. — *Q.* Conjuges ex parte personae quodnam impedimentum habere possunt ad debitum petendum ?

R. Conjuges ex parte personae triplex impedimentum habere possunt ad debitum petendum, nempe:

I. *Votum castitatis*: quo in casu conjux tali voto innodatus tenetur debitum reddere, quia alter habet jus, et virtus justitiae praevalet: non potest tamen per se petere, quia tenetur ad votum. Dixi *per se,* quia per accidens petere potest in duobus casibus, nempe: 1° si compars *tacite petat*, v. g. si uxor prae verecundia petere non audeat, tunc enim petitio esset vera redditio ; 2° si compars sit *in periculo incontinentiae*, quia tunc obligatio oritur ex ipso fine matrimonii, qui praecipit ut alter alteri subveniat. Conjux tamen voto castitatis ligatus etsi petere non possit, si tamen versetur in periculo incontinentiae,

[1] S. Alph., L. VI, 903, 906.

licite potest compartem monere de proprio periculo eamque rogare ut hac de causa subinde exigat.

2. *Affinitas*, quam conjux durante matrimonio cum propria comparte contraxit si incestum completum et formale commiserit cum consortis consanguineo vel consanguinea in primo vel secundo gradu, quia tunc privatur jure petendi, donec debitam dispensationem obtinuerint (V. dicenda numero sequenti).

3. *Impotentia*, de qua vide dicta n. 867.

902.— *Q.* Quaenam crimina privant jure petendi?

R. Duo: 1° incestus formalis et completus unius conjugis cum consanguinea alterius conjugis in primo vel secundo gradu, et non sufficit incestus cum consanguinea propria; 2° adulterium completum et formale.

Dixi quod incestus, vel adulterium debet esse *formale:* unde si mulier per vim cognita fuit, vel si non cognovit personam cum qua peccavit esse consanguineam alterius conjugis, non privatur jure petendi. Disput. vero Th. an metus gravis, vel ignorantia hujus poenae excusant ab ipsa incurrenda, et multi cum S. Alph. probabilius affirmant in utroque casu. Et etiam probabilius affirmant quod, si una pars consensit in incestu compartis, consentiens non amittit jus petendi, quia poenae ecclesiasticae non sunt ampliandae.

Hoc autem intercedit discrimen inter incestum et adulterium:—1° incestus a comparte condonari nequit, sicut potest adulterium; 2° incestus non solvitur, etsi altera pars idem crimen commiserit, ut contingit in adulterio; 3° incestuosus non potest benevole petere debitum sicut potest adulter, et tantum a superiore relaxatur. Unde si ambo conjuges incestum commiserint, neuter potest debitum petere.

Adnotandum quod Episcopus non solum in casu necessitatis, sed semper et absolute potest restituere conjuges in jure petendi debitum, et potest quemvis ad hoc delegare.

903.—*Q.* Conjuges ob quem finem actum conjugalem exercere debent?

R.—1. Conjuges actum conjugalem exercere debent ob finem honestum et licitum, v. g. vel ad *generandam prolem:* non est tamen necessarium ut prolis generatio intendatur, dummodo positive non impediatur; imo licitum est conjugibus simplici affectu desiderare ut proles non nascatur, puta propter debilitatem matris;—vel *ad reddendum debitum* comparti;—vel *ad vitandam incontinentiam* in se aut in comparte;—vel etiam *ad fovendum amorem conjugalem, ad corporis sanitatem, etc.*.

2. Non licet exercere actum conjugalem ob *solam* voluptatem; unde Innoc. XI hanc damnavit proposit.: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu venialis;* — ratio, quia tunc adesset quaedam finis subversio, nam medium converteretur in finem. Haec culpa tamen est solum venialis, quia subversio finis per se non est gravis, dummodo quis non ponat in tali voluptate suum ultimum finem (V. dicta Vol. I, n. 36).— In *praxi* autem difficile est quod conjux actum conjugalem habeat

ob solam voluptatem, sed plerumque concomitanter alios fines habet, v. g. remedium concupiscentiae, amorem conjugis etc.; et aliunde talis conjux in bona fide esse solet; quare in *praxi* consultius est ut confessarius in sua bona fide eum relinquat.

Hinc ob malum finem graviter peccant conjuges qui actum conjugalem mente adultera exercent nempe dum ad compartem accedunt, aliam personam sibi praesentem imaginantur et desiderant. — E contra actus conjugalis licitus est sive senibus, sive sterilibus, quia licet non adsit spes prolis, possunt tamen adesse alii fines honesti et liciti, ut diximus.[1]

904. — *Q.* Quid de loco in usu conjugii?

R. Locus in usu conjugii est circumstantia per se indifferens; per accidens tamen potest reddere actum conjugalem leviter vel etiam graviter illicitum: puta ratione irreverentiae, si exerceatur in loco sacro praeter casum necessitatis, vel ratione scandali si exerceatur coram filiis, vel coram aliquo qui illum actum advertere et inde scandalum sumere potest.

905. — *Q.* Quid de tempore in usu conjugii?

R. Tempus in usu conjugii est etiam circumstantia per se indifferens; per accidens tamen reddere potest actum conjugalem leviter vel etiam graviter illicitum ob periculum abortus, vel nocumenti sanitatis, praesertim tempore menstrui, praegnationis, purificationis post partum, lactationis, et infirmitatis. Hinc:

1. Tempore fluxus sanguinis seu *menstrui ordinarii*, actus conjugalis probabilius non excusatur a veniali, ob aliquam indecentiam quae adesse videtur, nisi excusetur causa proportionata vitandi periculum peccati, etc. — Tempore vero *menstrui extraordinarii* (quod provenit ex morbo diuturno, et ad plures dies, 10, 12, et etiam amplius durare potest), tunc si adsit periculum gravis damni in muliere, actus conjugalis illicitus est; secluso hoc casu, licet petere et reddere, quia secus adesset grave incommodum.

2. Tempore *praegnationis* et *purificationis* post partum, Th. communiter idem dicunt quod de menstruo ordinario. Quod si ex copula periculum adesset nocumenti, tunc ex levitate vel gravitate mali quod timetur, culpa metienda erit. Hoc autem periculum adest intra biduum post partum, et juxta recentiores medicos etiam ultra extenditur, nempe ad unam vel duas hebdomadas, durante scilicet fluxu puerperii, aut magna mulieris debilitate, aut infirmitate.[2]

3. Tempore *lactationis*, Th. communiter dicunt usum conjugii licitum esse, sive quia nulla lex id vetat, sive quia periculum inficiendi lac, et sic proli nocendi, est remotum et rarum.

4. Tempore *infirmitatis*, licitum est petere et reddere, si infirmitas est levis et diuturna, quia in hoc casu leve malum non praevalet contra grave incommodum. Si vero infirmitas est gravis, vel

[1] Probabilius excusantur conjuges qui ob senectutem vel aliam indispositionem extra vas seminant, quamdiu adest spes intra vas seminandi; quia cum tali spe jus habent ad copulam, et effusio praeter intentionem et nonnisi per accidens evenit.

[2] Vid. *Génicot*, II, 544.

levis et brevis, tunc commensurari debet ex una parte periculum incontinentiae, et ex altera incommodum aegrotantis [1].—Hodierni medici testantur quod actus conjugalis post balneum, venae sectionem, prandium vel coenam, non solet esse periculosus.

906.—*Q.* Quid de modo seu situ in usu conjugii?

R. Modus seu situs in usu conjugii illè honestus et licitus est quem natura ipsa docet, nempe ut mulier sit succuba, et vir incubus;-ratio, quia aptior est ad effundendum et recipiendum semen; unde modum hunc violare peccatum est, cum sit inversio ordinis naturae. Ita S. Thomas et Th. communiter. Quicumque alius modus seu situs, quantumvis innaturalis, *per se* est solum peccatum veniale, dummodo actus conjugalis satis perfici possit in vase naturali;-ratio, quia mutatio situs generationem non impedit, cum semen virile in matricem mulieris ex se et naturaliter attrahatur. — Imo si modus seu situs naturalis mutetur ob aliquam justam causam, v. g. aegritudinis, periculi abortus, scandali, difficultatis etc., nullum peccatum erit, modo non adsit periculum s e m e n extra effundendi.

907.— *Q.* Conjuges possunt ne licite tactus inter se habere?

R.—1. Conjuges licite possunt habere inter se oscula, amplexus, et tactus pudicos ad fovendum amorem, etc.; et si aliquando ex hisce tactibus sequatur improvisa pollutio, haec non est peccatum, modo non adsit consensus, quia pollutio sequeretur per accidens, et praeter intentionem. Ita Th. communiter [2].

2. Conjuges licite possunt habere inter se tactus, oscula, amplexus, sermones turpes, et alios actus impudicos si hos exercent ad naturam excitandam et ad copulam hic et nunc consummandam;-ratio, quia, ubi licitum est opus, etiam licita esse debent media ad opus conducentia. Debent tamen conjuges non diutius immorari in praedictis actibus, ne periculo pollutionis se exponant; unde si ipsi debitam diligentiam adhibent ad pollutionem praecavendam, immunes sunt ab omni culpa, quia pollutio esset praeter intentionem. E contra, si debitam diligentiam omittunt, peccant et quidem graviter si proximo periculo pollutionis se exponunt.

3. Conjuges si hos actus impudicos inter se exercent sine intentione congrediendi, tunc si hi actus ita impudici sunt ut sint veluti inchoata pollutio, graviter peccant. Si vero ex ipsis non adsit proximum pollutionis periculum, tunc non excedunt culpam levem; imo ab omni culpa vacant si una vel altera pars hos actus habeat ex justa causa, v. g. ad fovendum mutuum amorem, ad avertendam alterius zelotypiam, dummodo pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus si per accidens sequatur.

908.—*Q.* Conjuges quandonam peccant in usu conjugii?

R.—1. Conjuges in usu conjugii graviter peccant si invicem sibi procurant voluntariam pollutionem extra concubitum.

2. Peccant graviter si commit-

[1] S. Alph., L. VI, 910, 950.

[2] S. Alph., L. VI, 934.

tunt grande flagitium *onanismi*, nimirum quando vir post copulam incoeptam se voluntarie retrahit a vase mulieris, ut semen extra vas effundat ; vel etiam quando ipsa mulier ante viri seminationem se voluntarie subtrahit. Malitiam onanismi pejoris speciei habet etiam vir si utitur quodam levi involucro vel instrumento (vulgo *condom*), ut impediat ne semen in locum generationi aptum deveniat.

3. Peccant graviter, si incoepta copula, voluntarie cohibeant seminationem, et ante ipsam se retrahant cum periculo pollutionis in uno vel in altero conjuge.— Quod si se retrahant sine hoc periculo, tunc talis congressus haberetur veluti tactus verendorum, et venialem culpam non excederet.

4. Peccat speciatim *vir*, juxta veriorem et communiorem sententiam, si copulam inchoat in vase praepostero mulieris, vel in ore, animo eam in vase naturali dein perficiendi ; vel si perfricaret pudenda circa vas praeposterum mulieris, quia hi actus essent contra naturam, et in ipsis adesset inchoata sodomia, vel affectus ad eam.

5. Peccat speciatim *uxor* si statim post copulam surgit, mingit, vel aliud quid facit animo semen expellendi, frustraret enim finem naturae. Dixi: 1° *statim post copulam*, neque enim diu immota et supina manere debet, cum brevissime matrix semen attrahat, et claudat; 2° *animo expellendi semen*, si enim id ageret ex aliqua necessitate nullum esset peccatum, uteretur enim jure suo, et si semen forte effundatur, esset per accidens et praeter intentionen.

6. Peccat graviter *vir*, si voluntarie cohibeat seminationem cum uxor jam seminavit, aut in probabili seminandi periculo versetur, quia causa est cur semen uxoris, frustrato generationis fine, prodigatur. Secus vero, si copulam abrumpet ex gravi causa, puta ad vitandum scandalum, etsi cum pollutionis periculo.

7. Dubium vero fit an peccet graviter *vir* si seminat non expectando seminationem uxoris; vel peccet graviter *uxor* si postquam vir jam seminaverit, ipsa se retrahit a seminando. Sententia communior et hodie multo probabilior negat; ratio, quia hodie compertum est feminam non habere veram seminationem quae sit generationi necessariam. Attamen in *praxi* suadenda est sententia contraria, tum quia mulieris seminatio pertinet ad copulae complementum, tum ne refrigescat amor conjugalis. Quare male se gerunt mulieres quae in actu copulae animum ad alia divertunt, ne concitentur ad seminationem. — Certum vero est quod si vir vel uxor ita se geret eo fine ut generationem impediat, tunc culpa ex parte finis esset mortalis.

909.— *Q.* Conjux potest ne licite tactus turpes cum se ipso habere ?

R. Conjux potest licite tactus turpes cum se ipso habere quando isti tactus ordinantur ad copulam immediate habendam. Hinc Th. communiter dicunt quod mulier non solum potest se ipsam tangere ante copulam ut sic se praeparet ad copulam et ad seminationem in ipsa habendam, sed

potest se ipsam tangere etiam post copulam ad propriam seminationem procurandam, licet vir jam seminaverit et se retraxerit, quia seminatio mulieris pertinet ad complementum actus conjugalis; et licet non sit absolute necessaria ad generationem, ad ipsam tamen summopere confert. Secus vero, probabilius, post congressum onanisticum, quia, eo casu, finis naturae omnino frustraretur.

Seclusa necessitate vel utilitate praedicta, non convenit ut conjux se ipsum, absente altero conjuge, turpiter tangat, et peccaret etiam graviter si hujusmodi tactus haberet cum delectatione venerea, vel cum periculo pollutionis.

910. — *Q.* Est ne mortalis delectatio morosa in conjuge de copula habita vel habenda, quae tamen non possit haberi de praesenti?

R. Tres adsunt sententiae. *Prima* affirmat, quia talis delectatio est quasi inchoata pollutio. *Secunda*, quae est communior, tenet talem delectationem esse venialem, quia caret debito fine cum non possit ordinari ad copulam praesentem; sed non esse mortalem, quia delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab objecto, et cum copula sit licita conjugatis, non potest eis esse graviter illicita ejus delectatio. *Tertia*, quam tenet S. Alph. distinguit et dicit: si talis delectatio habetur cum commotione spirituum et titillatione partium, seu voluptate venerea, est mortalis, quia est proxime conjuncta cum periculo pollutionis, secus est tantum levis [1].

[1] S. Alph., L. VI, 937.

911. — *Q.* Conjuges tenentur ne petere vel reddere debitum?

R.—1. Conjuges per se non tenentur debitum *petere*, quia nemo tenetur uti jure suo; tenentur tamen per accidens si actus conjugalis necessarius est ad vitandum periculum incontinentiae, vel in se vel in comparte, vel necessarius est ad fovendum mutuum amorem, vel si generatio prolis necessaria est bono publico vel paci familiae.

2. Conjuges per se tenentur debitum *reddere*, comparti debitum rationabiliter et serio petenti, nisi justa causa ipsos excuset. Dixi 1° *rationabiliter petenti*; sic enim intelligitur omnis humanus contractus, ut nemo velit se ad aliquid irrationabile obligare. Hinc conjux non tenetur ex justitia reddere debitum si conjux petens non est compos sui, v. g. est amens vel perfecte ebrius, vel petit injuste, immoderate, intempestive. In hisce tamen casibus tenetur reddere ex caritate, si hoc est necessarium ad vitandum in petente periculum incontinentiae, irae, blasphemiae, etc., cum reddens non patitur grave incommodum.—Dixi 2° *serio petenti*, nam si conjux remisse petat, vel facile precibus denegantis cedat, denegans non peccat mortaliter, nisi petens versetur in periculo incontinentiae, imo nec venialiter, si neget ob justam causam. — Dixi 3° *nisi justa causa ipsos excuset*. Hinc uxor non tenetur reddere si rationabiliter timet grave damnum in sanitate, vel grave periculum vitae: puta si conjux laboraret morbo contagioso, v. g. gallico, vel si mulier ex proprio experimento vel medicorum judicio, vita periclitaretur in partu.

Hinc *in praxi* relate ad hanc obligationem peccat mortaliter *vir*, qui ex avaritia ut prolem evitet, vel ex malevolentia, erga uxorem, vel ex amore concepto erga alias, propriam uxorem nunquam aut fere nunquam cognoscit, si colligat quod ipsa id aegre ferat. — Item peccat graviter *uxor* si in obediendo *magnam difficultatem* ostendat, cum periculo aut cum animo virum deterrendi a petitione; vel si debitum non concedat nisi *coacta*; vel si *dure* et *contumeliose* viri petitiones exprobret; vel etiam si pro una vice *obstinate* neget, dum vir rationabiliter, serio, et instanter petit. — Quod si uxor neget raro, v. g. semel in mense saepe petenti, citra periculum incontinentiae et dissidii, vel si reddere differat ad breve tempus, puta a die ad noctem, non peccat graviter, imo nec venialiter si justa adsit causa.

912. — *Q.* Conjux tenetur ne reddere illicite petenti?

R. — 1. Certum est conjugem non teneri ad reddendum cum peccato proprio, ne veniali quidem, nemo enim tenetur ad peccandum.

2. Si peccatum se tenet *ex parte actus*, et actus est *graviter illicitus*, puta si petitio fiat in loco sacro, publico, vel cum proximo periculo mortis, aut abortus, tunc alter non potest reddere sine gravi culpa, quia actus per se graviter malus nulla causa cohonestari potest, nec propterea exigi potest. — Si vero actus est solum *leviter illicitus*, puta si petatur situ innaturali, tunc si adsit justa causa vel in petente vel in reddente, non est peccatum ne veniale quidem, secus erit veniale.

3. Si peccatum se tenet *ex parte solius petentis*, v. g. quia ligatus voto castitatis, vel petit ad pravum finem, tunc conjux ex caritate tenetur monere compartem ut a petendo desistat, si monitio censeatur profutura; quod si petens desistere nolit, tunc probabilius et communius reddere tenetur.

913. — *Q.* Uxor potest ne licite reddere, vel etiam petere debitum a viro volenti seminare extra vas post copulam incoeptam?

R. Praemitto: Uxor tenetur virum onanistam monere de obligatione recte agendi, eumque quantum in se est a tali nefando crimine avertere; nec sufficit quod semel eum monuerit, sed monitionem debet interdum repetere, nisi certa sit novam monitionem nihil esse profuturam. Attamen tunc etiam repugnantiam suam aliquo modo patefacere debet, ne peccato mariti libenter consentire videatur. Ita, interrogata, respondit S. Poenitentiaria. Hoc praemisso:

1. Quoad *reddere*, uxor probabilius non solum potest, sed etiam tenetur, si monitio non censeatur profutura, quia peccatum non se tenet ex parte actus, sed ex parte personae.

2. Quoad *petere*, non potest sine justa causa, quia ex caritate tenetur peccatum viri impedire. Dixi: *sine justa causa*, nam si ipsa est in periculo incontinentiae, vel si alioquin perpetuo se abstinere debet a jure suo petendi, tunc etiam petere potest, quia non tenetur peccatum alterius impedire cum tam gravi suo incommodo.

914. — *Q.* Confessarius quomodo se gerere debet cum conjugibus circa debitum conjugale?

R.—1. Confessarius legat et observet regulas superius positas.

2. Confessarius nunquam de variis congrediendi modis faciat quaestiones, quae non solum inutiles sunt, sed etiam plenae periculi et scandali. Quod si poenitens de his dubium injiciat, vel dubitandi occasionem suppeditat, confessario sufficit cognoscere an pollutio habita fuerit extra vas debitum.

3. Quod si sponsa mox nuptura, vel mulier mox nupta, et sollicita de omni peccato cavendo in usu conjugii, confessarium de ea re interroget, ipse prudenter sponsam vel mulierem remittat propriae genitrici, aut alii piae feminae, quae ipsam de proprio officio edoceat.—Quod si poenitens prae verecundia matrem vel piam feminam non audeat interrogare confessarius ei dicat quod marito suo tamquam capiti obediat etiam in illis rebus ; et si vir aliquid petat quod ipsa dubitet esse peccatum, poterit verecunde maritum deprecari ne illud exigat ; et si maritus nihilominus exigit, ipsa in dubio ei obediet, certa se non offensuram Deum dum in dubio paret marito tamquam superiori.—Proxima autem occasione quaerat ipsa a confessario utrum illud in quo obedivit, licitum sit conjugibus, nec ne.

4. Relate ad onanismum, a duobus extremis se abstineat: unum illorum confessariorum qui censent conjuges generatim esse interrogandos quoad matrimonii usum; alterum illorum qui e contra opinantur omittendas omnino esse quasvis interrogationes [1]; sed prudenter interroget tantum cum adsit prudens timor quod poenitens hujus peccati sit reus.—Ceterum in re tam lubrica nunquam aliqua interrogatio facienda est, nisi adsit manifesta necessitas ; et etiam in respondendo magna prudentia adhibenda est.

5. Si confessarius aliquem poenitentem inveniat quem nulla ratione avertere possit a detestabili onanismi crimine, poterit, caute tamen et prudenter, ipsi insinuare ut se contineat tribus vel quatuor diebus ante, et per quindenam post mulieris menstruationem; reliquo vero tempore debito modo agat. Hoc modo foecundatio, licet possibilis, improbabilis tamen evadet, ut asserunt periti, neque tunc aliquid contra naturam agit, sed actus assimilatur copulae tempore sterilitatis: unde nullum aderit peccatum, praesertim si aliquam justam causam habeat vitandi numerosam prolem. Hanc praxim non reprobavit, imo permisit ipsa S. Poenitentiaria die 16 jun. 1880 [2].

[1] Quaesitum fuit: Quid de propositione quae asserit: *Nunquam expedire interrogare de materia onanismi utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio ?* Et responsum fuit: *Propositionem prout jacet, esse falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam.* S. C. Inq. 21 maji 1851.

[2] *Aertnys*, L. VI, 496; *Génicot*, II, 558. Vid. *Capellmann*, Medic. Past., p. 139.

APPENDIX ALTERA

DECRETUM DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

Jussu et auctoritate SS. D. N. Pii Papae X a S. Congregatione Concilii editum.

Ne temere inirentur clandestina conjugia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. 1, Sess. XXIV de reform. matrim.* edicens: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de « ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus « matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic « contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus « irritos et nullos esse decernit. »

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant...

His rerum adiunctis permotus SS.mus D. N. Pius PP. X pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret, Sibi proponeret . . .

In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur.

De sponsalibus

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus [1].

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae ; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa

[1] In hac scriptura requiritur ad validitatem ut apponatur data, seu adscriptio diei, mensis et anni, et insuper ut subscriptio fiat a partibus *unico contextu* cum parocho, seu Ordinario aut duobus testibus ; nec sufficit ut scriptura, ab una parte cum parocho vel duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.—S. C. C., 27 julii 1908 ad I et II.

est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, juxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt;

§ 1.° a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii; nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2.° intra limites dumtaxat sui territorii in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt [1];

§ 3.° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V.—Licite autem adsistunt.

§ 1.° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2.° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3.° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

§ 4.° Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5.° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua justa causa excuset.

VI.—Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alio sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V. superius statutas.

VII.—Imminente mortis periculo, ubi parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus. [2]

VIII.—Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis de-

[1] Etiam in ecclesiis Regularium exemptis, quae in territoriali districtu sitae sunt. — S. C. de Sacr., 12 martii 1910, ad VIII.

[2] Hoc autem valet non solum in casu concubinatus, sed etiam quando alia adest causa ad consulendum conscientiae, etc.; uti patet ex declaratione S. C. de Sacramentis, 14 maji 1909, pro facultate dispensandi ab impedimentis in eodem casu. — (Vid. Acta Apost. Sedis, v. I, p. 656).

legatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.[1]

IX.—§ 1.° Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2.° Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3.° Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum conjugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X.—Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicujus matrimonio adstiterint **contra** praescriptum § 2. et 3. num. V, emolumenta *stolae* sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1.° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant [2].

§ 2.° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis, sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum [3].

[1] Quaesitum est: « I. Quid intelligendum sit nomine *regionis*, seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII Decr.

« ... III: Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in *regionem*, de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat... »

S. C. de Sacramentis, die 12 martii 1910 ita respondendum censuit:

« Ad 1um. Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat.

« Ad 3um. Affirmative ».

(Vid. Acta Apostolicae Sedis, v. II,193).

[2] *Orientales* vero qui, ex immemorabili consuetudine non subjacent legibus disciplinaribus nisi *expressa* declaratione comprehendantur, huic decreto non adstringuntur. — Ita declaravit S. C. C., 1 febr. 1908.—Adstringuntur tamen si quis orientalis cum catholico ritus latini matrimonium contrahere velit. S. C. C, 28 mart. 1908.

[3] Ita pro *imperio Germanico* provisum est Const. *Provida*, 18 jan. 1906. Haec tamen exceptio valet *tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentes*. — S. C. C., 28 martii 1908.

§ 3.° Acatholici, sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi; et in singulis suarum dioecesim parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praesentibus valituris de mandato speciali SS.mi D. N. Pii PP. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae die 2.ª mensis Augusti anni 1907.

✠ VINCENTIUS CARD. EP. PRAENEST., *Praefectus.*

C. DE LAI. *Secretarius.*

—

INDEX

De praeceptis particularibus.

Proœmium . . . . . *pag.* 1

De statu religiosorum.

CAP. I. *De natura status religiosi, et de erectione et suppressione religionis, provinciae, domus* . . . . » 3
Art. I. De natura status religiosi . . . . . » 3
» II. De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus. . » 7
CAP. II. *De religionum regimine.* » 9
CAP. III. *De confessariis et cappellanis.* . . . . . » 12
CAP. IV. *De vocatione religiosa, de admissione in religionem, de postulatu, de novitiatu et de novitiorum institutione.* . . . . » 14
Art. I. De vocatione religiosa » 14
» II. De admissione in religionem et de postulatu » 17
» III. De novitiatu . . . » 18
» IV. De novitiorum institutione . . . . . » 20
CAP. V. *De professione religiosa, et de obligationibus religiosorum.* . . . . » 23
Art. I. De professione religiosa . . . . . » 23
» II. De obligationibus religiosorum . . . . » 24
CAP. VI. *De obligatione servandi vota.* . . . . . » 26
§ 1.° De voto paupertatis . » 26
§ 2.° De voto castitatis . . » 30
§ 3.° De voto obedientiae . » 30
CAP. VII. *De obligatione religiosi extra claustra manentis.* » 32
CAP. VIII. *De Privilegiis religiosorum.* . . . . . » 34
APPENDIX. *Decretum SS. Leonis PP. XIII.* . . . . . » 37
Breve commentarium super decretum QUEMADMODUM . . . » 40
1.° De manifestatione conscientiae . . . . . » 40
2.° De Confessario Monialium. . . . . *pag.* 41
3.° De frequentia SS. Eucharistiae. . . . . » 43

De statu clericorum.

CAP. I. *De statu clericorum in genere.* . . . . . » 45
Art. I. De obligationibus clericorum . . . . . » 46
§ 1.° De vitae sanctitate. . » 46
§ 2.° De caelibatu . . . . » 47
§ 3.° De habitu et tonsura . » 48
§ 4.° De obedientia Ordinario praestanda . . . » 48
§ 5.° De exercitio proprii ministerii . . . . . » 48*a*
Monita a clericis servanda . . . . . » 48*b*
Art. II. De negativis clericorum obligationibus . » 49
CAP. II. *De Horis canonicis* . . » 51
Art. I. De obligatione recitandi Horas canonicas » 52
Art. II. De forma, ordine, tempore, loco et situ, deque modo recitandi Horas canonicas . . » 56
§ 1.° De forma . . . . . » 56
§ 2.° De ordine. . . . . » 59
§ 3.° De tempore . . . . » 59
§ 4.° De loco et situ . . . » 61
§ 5.° De modo . . . . . » 62
De pronuntiatione . . . » 62
De attentione et devotione » 64
Nonnulla monita pro praxi » 65
Art. III. De causis ab Officii recitatione excusantibus. . . . . » 66
CAP. III. *De obligationibus particularibus clericorum* . » 68
Art. I. De obligationibus Episcoporum . . . . » 68
» II. De obligationibus Vicariorum Generalium et Capitularium . . » 70
» III. De obligationibus Canonicorum . . . . » 72
» IV. De obligationibus Parochorum . . . . » 74

§ 1.° De residentia . . . pag. 75
§ 2.° De praedicatione . . » 77
§ 3.° De oratione et celebratione missae. . . . » 80
§ 4.° De administratione Sacramentorum. . . . » 82
§ 5.° De ceteris Parochi obligationibus . . . . » 82
Art. V. De Œconomo et Vicario parochiali . . . » 86
APPENDIX I. *De beneficiis ecclesiasticis* . . . . . » 89
APPENDIX II. *De immunitate ecclesiastica.* . . . . . » 94
Art. I. De immunitate reali et locali . . . . . » 95
» II. De immunitate personali. . . . . » 95
§ 1.° De privilegio canonis. » 96
§ 2.° De privilegio fori. . » 98

De obligationibus quorumdam laicorum.

CAP. UNICUM. . . . . » 103
Art. I. De officiis judicialibus » 103
§ 1.° De judice, de juratis, et de apparitore . . » 103
§ 2.° De actore, accusatore, et teste . . . . . » 106
§ 3.° De reo. . . . . » 108
§ 4.° De advocato, procuratore et secretario . . » 109
Art. II. De officiis civilibus . » 110
§ 1.° De syndico et notario . » 110
§ 2.° De medico, chirurgo, et pharmacopola . . » 111

De Sacramentis.

DE SACRAMENTIS IN GENERE . » 113
CAP. I. *De Sacramentorum definitione, institutione et necessitate.* . . . . » 113
CAP. II. *De effectibus Sacramentorum* . . . . . » 118
Art. I. De primo Sacramentorum effectu, seu de gratia . . . . . » 118
» II. De Charactere . . . » 124
CAP. III. *De materia et forma Sacramentorum* . . . . » 124
Art. I. De materiae et formae natura. . . . . » 125
» II. De materiae et formae unione. . . . . » 127
» III. De materiae et formae mutatione. . . . . » 128
CAP. IV. *De ministro Sacramentorum* . . . . . » 131
Art. I. De intentione et attentione ministri . » 132
Art. II. De fide et pietate ministri . . . . . pag. 138
» III. De officio seu obligatione administrandi Sacramenta. . . . . » 141
CAP. V. *De subjecto Sacramentorum* . . . . . » 142
Art. I. De intentione in subiecto necessaria . . » 142
» II. De dispositionibus requisitis . . . . . » 144
CAP. VI. *De caeremoniis Sacramentorum* . . . . . » 148
APPENDIX. *De Sacramentalibus.* . » 150

De Baptismo.

CAP. I. *De Baptismi natura, institutione, necessitate et effectibus* . . . . . » 152
Art. I. De baptismi natura . » 152
» II. De baptismi institutione et necessitate . » 153
» III. De baptismi effectibus » 155
CAP. II. *De materia et forma* . » 156
Art. I. De materia . . . . » 156
» II. De forma . . . . » 160
CAP. III. *De ministro Baptismi.* » 162
» IV. *De subjecto Baptismi* . » 164
Art. I. De baptismo parvulorum . . . . . » 164
» II. De baptismo adultorum. . . . . » 168
» III. De filiis infidelium et haereticorum. . . . » 170
CAP. V. *De Patrinis et de caeremoniis Baptismi.* . . » 173
Art. I. De Patrinis. . . . » 173
» II. De caeremoniis Baptismi. . . . . » 175

De Confirmatione.

CAP. I. *De Confirmationis natura, necessitate et effectibus* . . . . . » 178
» II. *De materia et forma* . » 180
» III. *De ministro, subjecto et patrino.* . . . . . » 182

De SS. Eucharistia.

Pars. I.

DE SS. EUCHARISTIA UTI SACRAMENTO

CAP. I. *De hujus Sacramenti natura, necessitate et effectibus* . . . . . » 186
Art. I. De hujus Sacramenti natura . . . . . » 186
§ 1.° De hujus Sacramenti definitione, institutione, unitate et essentia. . » 186

§ 2.° De reali Christi praesentia in Eucharistia. . *pag.* 188
§ 3.° De transubstantiatione seu conversione substantiae panis in Corpus Christi et vini in Sanguinem . . . . » 191
§ 4.° De praesentia Christi sub utraque specie et de ejus permanentia donec perdurant species consecratae . . . . » 194
§ 5.° De Eucharistiae conservatione et de cultu Ei debito. . . . . » 196
Art. II. De Eucharistiae necessitate et effectibus. . » 199
CAP. II. *De materia et forma Eucharistiae, ac de conditionibus requisitis ut materia formae subjici queat* » 202
Art. I. De materia . . . . » 202
» II. De forma. . . . . » 205
» III. De conditionibus requisitis ut Eucharistiae materia formae subjici queat . . . . . » 207
CAP. III. *De ministro Eucharistiae et de servandis in Eucharistiae dispensatione* » 211
Art. I. De ministro Eucharistiae . . . . . » 211
» II. De servandis in Eucharistiae dispensatione . » 213
CAP. IV. *De Eucharistiae subjecto, ejusque Eucharistiam suscipiendi obligatione, et de dispositionibus ad illam requisitis* . . . » 216
Art. I. De Eucharistiae subjecto, ejusque Eucharistiam suscipiendi obligatione . . . . . » 216
§ 1.° De praecepto Ecclesiae communicandi in Paschate . . . . . » 218
§ 2.° De praecepto Viaticum sumendi, et de jure ac modo illud deferendi. » 222
Art. II. De dispositionibus ad Eucharistiam suscipiendam requisitis . . » 226
§ 1.° De dispositionibus animae » 226
§ 2.° De dispositionibus corporis . . . . . » 229

Pars II.

DE SS. EUCHARISTIA UTI SACRIFICIO

CAP. I. *De Sacrificii Missae natura et effectibus.* . . » 236
Art. I. De Sacrificii Missae natura . . . . . *pag.* 236
» II. De Sacrificii Missae valore et effectibus . » 240
CAP. II. *De ministro Sacrificii missae, ejusque celebrandi obligatione, et de missae applicatione ac subjecto* . . . . . » 243
Art. I. De ministro. . . . » 243
» II. De obligatione celebrandi. . . . . » 245
§ 1.° De obligatione celebrandi ratione sacerdotii et officii . . . . . » 245
§ 2.° De obligatione celebrandi ratione oblatae eleemosynae . . . . . » 246
§ 3.° De obligatione celebrandi ratione beneficii. . . » 251
Art. III. De missae applicatione » 253
» IV. De subjecto sacrificii missae. . . . . » 255
CAP. III. *De tempore et loco celebrationis* . . . . . » 256
Art. I. De tempore celebrationis . . . . . » 256
» II. De loco celebrationis. » 259
CAP. IV. *De modo celebrandi.* . » 260
Art. I. De requisitis ad missam. . . . . » 260
» II. De rubricis Missalis . » 266
» III. De Missa a Sacerdote dicenda et de orationibus praeceptis . . » 269
» IV. De missae defectibus. » 274
APPENDIX. *De Ecclesiae consecratione et violatione* . . » 277

De Poenitentia.

Pars I.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE IN SE ET QUOAD EJUS SUBJECTUM

CAP. I. *De natura Poenitentiae sive ut virtus sive ut Sacramentum.* . . . . » 279
Art. I. De natura Poenitentiae ut est virtus. . . . » 279
» II. De natura Poenitentiae ut Sacramentum . » 280
» III. De materia Sacramenti Poenitentiae . . . » 283
CAP. II. *De Contritione et Proposito* . . . . . » 286
Art. I. De Contritione. . . » 286
» II. De Proposito . . . » 295
CAP. III. *De Confessione Sacramentali.* . . . . . » 297
Art. I. De Confessionis necessitate ejusque dotibus. » 297

Art. II. De examine conscientiae ante confessionem pag. 299
» III. De integritate confessionis . . . . . » 303
§ 1.° De integritate confessionis quoad numerum et speciem peccatorum . » 303
§ 2.° De circumstantiis peccatorum . . . . . » 306
§ 3.° De peccatis dubiis, vel oblitis, aut omissis . . » 310
Art. IV. De sinceritate confessionis . . . . . » 313
» V. De causis ab integritate confessionis excusantibus, et de manifestatione et inquisitione complicis . . . » 316
§ 1.° De causis ab integritate confessionis excusantibus . . . . . » 316
§ 2.° De manifestatione et inquisitione complicis . » 319
Art. VI. De confessione invalida et de confessione generali . . . . . » 321
§ 1.° De confessione invalida et iteranda . . . . » 321
§ 2.° De confessione generali . » 324
Cap. IV. *De satisfactione* . . . » 329
Art. I. De natura satisfactionis . . . . . » 329
» II. De impositione satisfactionis. . . . . » 332
» III. De adimpletione satisfactionis . . . . . » 337
» IV. De commutatione satisfactionis . . . . . » 340
Cap. V. *De forma Sacramenti Poenitentiae* . . . . . » 341
Cap. VI. *De obligatione suscipiendi hoc Sacramentum.* . » 346

Pars II.

DE IIS QUAE AD MINISTRUM SACRAMENTI POENITENTIAE SPECTANT

Cap. I. *De ministro Sacramenti Poenitentiae et de ejus potestate* . . . . . » 349
Art. I. De ministro ejusque ordinis potestate. . . » 349
» II. De potestate jurisdictionis. . . . . » 350
§ 1.° De jurisdictione ordinaria » 352
§ 2.° De jurisdictione delegata » 353
§ 3.° De jurisdictione per Ecclesiam suppleta. . . » 356
§ 4.° De jurisdictione Regularium . . . . . » 359
§ 5.° De Confessore Monialium » 362
Cap. II. *De reservatione: de absolutione a reservatis: et de vetita absolutione complicis* . . . . . pag. 363
Art. I. De reservatione. . . » 363
» II. De absolutione a reservatis . . . . . » 368
» III. De vetita absolutione complicis . . . . . » 372
Cap. III. *De ministri dotibus et officiis* . . . . . » 378
Art. I. De ministri dotibus . » 378
§ 1.° De bonitate.. . . . . » 378
§ 2.° De scientia . . . . . » 379
§ 3.° De prudentia . . . . » 380
Art. II. De ministri officiis. . » 381
Cap. IV. *De generali et speciali agendi ratione confessarii cum variis poenitentibus* . . . . . » 382
Art. I. De generali agendi ratione confessarii cum poenitentibus. . . . » 382
» II. De speciali agendi ratione confessarii cum variis poenitentibus . » 387
§ 1.° De occasionariis. . . . » 387
§ 2.° De habituatis seu consuetudinariis, et recidivis . . . . . » 389
§ 3.° De modo se gerendi cum pueris . . . . . » 394
§ 4.° De modo se gerendi cum mutis et surdis. . . » 396
§ 5.° De modo se gerendi cum mulieribus . . . . » 396
§ 6.° De modo se gerendi cum personis piis . . . » 397
§ 7.° De modo se gerendi cum personis donis extraordinariis a Deo donatis; vel e contra a daemone speciatim vexatis . » 400
§ 8.° De modo se gerendi cum sacerdotibus . . . . » 403
§ 9.° De modo se gerendi cum infirmis et moribundis » 404
Cap. V. *De obligationibus ministri post confessionem* . » 407
Art. I. De obligatione corrigendi errores commissos . . . . . » 407
» II. De sigillo sacramentali . . . . . » 410
§ 1.° De obligatione sigilli. . » 410
§ 2.° De materia sigilli. , . » 411
§ 3.° De iis qui ad sigillum tenentur. . . . . » 412
§ 4.° De violatione sigilli . . » 414
Appendix. I. *De sollicitatione* . » 421

Art. I. De crimine sollicitationis et de poenis in sollicitantes . . . . pag. 421
» II. De obligatione denuntiationis, et de poenis in non denuntiantes . » 430
» III. De obligatione confessarii monendi poenitentem de onere denuntiationis . . . . . » 433
Art. IV. De causis a denuntiatione excusantibus. . » 435
Art. V. De modo denuntiationem exequendi. . . » 437
Appendix II. *De indulgentiis* . » 441
Art. I. De indulgentiis in genere . . . . . » 441
» II. De aliquibus indulgentiis in specie. . . 448
§ 1.° De benedictione Papali et ceteris indulgentiis in articulo mortis. . » 448
§ 2.° De Indulgentiis Viae Crucis . . . . . » 450
§ 3.° De indulgentiis rebus adnexis . . . . . » 451
Art. III. De Jubilaeo . . . » 452
§ 1.° De requisitis ad Jubilæum lucrandum . . . » 453
I — De visitatione ecclesiarum » 453
II — De Confessione . . . . » 454
III — De Communione. . . . » 454
IV — De Ieiunio. . . . . » 454
V — De Eleemosyna . . . . » 454
§ 2.° De facultatibus in Jubilæo concessis . . . » 456

De Extrema Unctione.

Cap. I. *De natura, necessitate et effectibus Extremae Unctionis* . . . . . » 459
Cap. II. *De materia et forma* . » 462
Cap. III. *De subjecto et ministro Extremae Unctionis, et de modo eam conferendi* » 464
Art. I. De subjecto et ministro . . . . . » 464
» II. De modo Extremam Unctionem conferendi » 468
Brevis appendix. *De sepultura ecclesiastica* . . . . » 471

De Ordine.

Cap. I. *De Ordinis natura in genere: de ejus materia, forma et effectibus: et de Hierarchia ecclesiastica* » 475
Art. I. De Ordinis natura in genere. . . . . » 475
» II. De Ordinis materia, forma et effectibus . pag. 478
» III. De Hierarchia ecclesiastica . . . . . » 479
Cap. II. *De Ordinibus in specie* . » 480
Art. I. De tonsura . . . . » 480
Art. II. De quatuor ordinibus minoribus . . . . » 481
» III. De ordinibus majoribus. . . . . » 483
§ 1.° De Subdiaconatu et Diaconatu. . . . . » 483
§ 2.° De Presbyteratu et Episcopatu . . . . . » 485
Cap. III. *De ministro et subjecto Ordinationis, et de poenis in illicite Ordinantes vel Ordinatos* . . » 488
Art. I. De Ministro ordinationis . . . . . » 488
» II. De subjecto ordinationis . . . . . » 490
» III. De poenis contra illicite Ordinantes vel Ordinatos . . . . . » 495

De irregularitatibus.

Appendix ad tractatum de Ordine
Cap. Unicum. . . . . » 497
Art. I. De irregularitatis natura et effectibus . . » 497
» II. De irregularitatibus ex defectu . . . . » 498
» III. De irregularitatibus ex delicto. . . . . » 500

De Matrimonio.

Cap. I. *De praeparatione ad matrimonium, seu de sponsalibus et de denuntiationibus* . . . . . » 509
Art. I. De sponsalibus. . . » 509
§ 1.° De natura sponsalium . » 509
§ 2.° De obligatione et effectibus sponsalium . . » 515
§ 3.° De dissolutione sponsalium . . . . . » 517
Art. II. De matrimonii publicationibus . . . . » 525
Cap. II. *De matrimonio in se spectato, sive uti contractu, sive uti sacramento* . . » 529
Art. I. De matrimonii natura et institutione . . . » 529
» II. De matrimonii essentia, fine et effectibus. » 534
» III. De matrimonii materia, forma, ministro et subjecto . . . . . » 537

Art. IV. De matrimonii proprietatibus. . . . . *pag.* 540
» V. De divortio . . . . » 544
» VI. De lege civili circa matrimonium . . . » 548
Cap. III. *De impedimentis matrimonii* . . . . . » 555
Art. I. De potestate Ecclesiæ circa impedimenta. . » 555
» II. De impedimentis impedientibus . . . . » 557
» III. De impedimentis dirimentibus juxta ordinem quo habentur in Codice juris canonici. » 559
I. — Aetas . . . . . » 559
II. — Impotentia . . . . » 559
III. — Matr. Attentatio . . » 559
IV. — Disparitas cultus . . » 560
V. — Ordo sacer . . . . » 560
VI. — Votum. . . . . » 560
VII. — Raptus. . . . . » 562
VIII. — Crimen . . . . . » 562
IX. — Consanguinitas. . . » 565
X. — Affinitas . . . . . » 667
XI. — Honestas. . . . . » 568
XII. — Cognatio spiritualis . » 568
XIII. — Cognatio legalis . . » 570
XIV. — Error . . . . . » 570
XV. — Vis et metus. . . . » 570
XVI. — Clandestinitas . . . *pag.* 571
Art. IV. De dispensationibus ab impedimentis . . » 574
§ 1.° De potestate dispensandi » 574
§ 2.° De causis dispensationis » 577
§ 3.° De modo dispensationem impetrandi et exequendi. . . . . » 592
Formulae ad postulandas dispensationes a S. Poenitentiaria . . . . » 596
Cap. IV. *De matrimonii celebratione et convalidatione.* » 597
Art. I. De matrimonii celebratione . . . . . » 597
§ 1.° De celebratione matrimonii mixti. . . . . » 601
§ 2.° De matrimonio per procuratorem, et de matrimonio conscientiae et in extremis . . . » 603
Art. II. De matrimonii invalidi convalidatione . . » 605
Appendix. *De debito coniugali* . » 609
Appendix altera. *Decretum de sponsalibus et matrimonio* . . . . . » 618
De sponsalibus . . . . . » 618
De matrimonio . . . . . » 619

Nihil obstat

Jo. Bapt. Viti Cong. Mis.is

Censor Theologus

Imprimatur

Franciscus Can. Sorrentino

Deputatus

BX1758.M67 C001 V002
THEOLOGIA MORALIS AD MENTEM S. ALPHONSI

3 0311 00044 2678

WITHDRAWN

DATE DUE

BX
1758
.M67
V.2

23513

AUTHOR Morino, John

TITLE THEOLOGIA MORALIS AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGORIO

DATE DUE	BORROWER'S NAME